image
not
available

4° Exeg.
919

Wesselius

Digitized by Google

JOHANNIS WESSELII
DISSERTATIONES ACADEMICÆ
AD SELECTA QUÆDAM LOCA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Accedunt

ORATIONES DUÆ

PRIMA

DE ADMIRANDA GENTIS JUDAICÆ IN HUNC USQUE DIEM CONSERVATIONE.

ALTERA

IN OBITUM MAGNI THEOLOGI JOHANNIS MARCKII.

Præfixa est PRÆFATIO, in quâ, præter alia pauca, continentur

VINDICIÆ DISSERTATIONIS Ultimæ DE NATURA PECCATI.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1734.

Bibliopolam & Typographum Academiæ.

DEDICATIO

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS SPECTATISSIMISQUE

VIRIS AC DOMINIS

D. GYSBERTO VAN HOGENDORP,
BARONI DE ST. JANSTEEN, LIBERO DOMINO DE HOFWEEGEN, DOMINO CURIÆ DELPHENSIS, VRYENBAN, WOUT ET WOUTHARNAS, ETC. ETC.

FOEDERATI BELGII QUÆSTORI GENERALI.
FRATRI AFFINI.

D. DIDERICO VAN HOGENDORP, J.C.
CIVITATIS ROTTERODAMENSIS SENATORI, NUPER EX ILLUSTR. ET PRÆPOT. ORDINUM, HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ CONSESSU AD ORDINANDA DENUO ÆDIUM VECTIGALIA PER TOTAM HOLLANDIAM AC WESTFRISIAM DELEGATO, ETC. ETC.

D. ENGELBERTO VAN BERKEL, J. C.
URBIS ROTTERODAMENSIS SENATORI,
COLLEGII QUONDAM ARCHITALASSICI,
QUOD EST AD MOSAM, ASSESSORI,
DEIN CIVITATIS ROTTERODAMENSIS
PRÆTORI.

NUNC

CONSULI

UT ET

SOCIETATIS INDICÆ CURATORI, ETC. ETC.

D. JOHANNI VAN RIEBEEK,
CIVITATIS DELPHENSIS
SENATORI.

SUIS, EX FRATRE ET SORORE PER
AFFINITATEM, NEPOTIBUS.

VIRIS

VIRIS

MAJORUM STEMMATE, PATERNORUM AVITORUMQUE
IN PATRIAM ET REMPUBLICAM MERITORUM
SPLENDORE FULGENTIBUS

VENERANDA CANITIE, SENILI PRUDENTIA,
SPECTATA INTEGRITATE, ADMIRANDA
VIRTUTE CONSPICUIS

VERÆ FIDEI, PURÆQUE RELIGIONIS,
AC LIBERTATIS BATAVICÆ
CULTORIBUS ET ASSERTORIBUS FORTISSIMIS,
ECCLESIÆ REFORMATÆ
FULCRIS

HASCE DISSERTATIONES ACADEMICAS,
AD SACRÆ SCRIPTURÆ ILLUSTRATIONEM,
DOCTRINÆ SANÆ CONFIRMATIONEM,
ET DEFENSIONEM, AC SACRÆ
JUVENTUTIS INSTITUTIONEM,
CONSCRIPTAS

IN OBSERVANTIÆ SUÆ AC SINCERISSIMÆ
ANIMI AFFECTIONIS
PUBLICUM TESTIMONIUM
DICAT ET OFFERT.

ET

ET SIMUL

OMNIGENAM FELICITATEM,

NÒMINIS ET SPLENDORIS PERENNITATEM,

POSTERITATIS SERÆ PERPETUITATEM,

MAJORIBUS NEPOTES MAJORES,

VALETUDINIS ROBUR INCONCUSSUM

MUNERUM GRAVISSIMORUM EXOPTATISSIMOS

SUCCESSUS

SANCTAM ANIMI SERENITATEM,

BONORUM CIVIUM AMOREM,

VITAM DENIQUE SALUTEM ET OMNIA:

AB OMNIS BONI ET DONI FONTE

DEO TRIUNO,

APPRECATUR

JOHANNES WESSELIUS.

PRÆFA-



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



ABHINC ſeptennio quidam levis armaturæ miles me coegit arma capere: Pro Filio Dei Æterno ac Naturali, quem Ille, cum peſſimis & ab Eccleſiâ damnatis Hæreticis, Neſtorianis inprimis ac Adoptianis, in Filiorum Adoptivorum ac Metaphoricorum, & proinde quoque, Deorum Nuncupativorum Ordinem audaci inſtituto ac vehementi niſu redigere conabatur: & Pro Eccleſiâ Noſtrâ Reformata, quam ille hujus erroneæ opinionis inſimulare, quamque idem plane hoc in Capite ſecum ſentire ac profiteri, inauditâ temeritate aſſerere, haud dubitabat: & de-

nique Pro me ipso, meaque Famâ ac Orthodoxiâ, quam utramque ille extremo implicare discrimine nefariis ausis adlaborabat, traducendo me ut *Impostorem & Heterodoxum*, ut qui Ipse non solùm ab *Ecclesiæ Orthodoxæ sententiâ recederem*, sed etiam sententiam *mihi propriam*, & *hactenus* in *Ecclesiâ inauditam Orbi erudito obtruderem* ut *communem & receptam*. Sic provocatus, coactus quidem attamen lubens, in hanc arenam descendi pro *Gloria Unigeniti* & *Proprii* Filii Dei, & conscripsi Librum, cui Titulus est, *Nestorianismus* & *Adoptianismus Redivivus Confutatus*. In quo *Unicam* modò *Christi Filiationem Divinam* asserui; & hanc sententiam Communem ab Objectionibus, non modò hujus Velitis (utpote quæ tam operosam refutationem non merebantur, nec mihi Librum integrum a *capite ad calcem adversus ipsum*, ut sibi stultè imaginatur, conscribendi necessitatem imponebant) sed etiam Veterum Hæreticorum, qui præter ea quæ ille movit, & alia bene multa tela in æternam hanc Veritatem intenderant. Et ut ex eo plus utilitatis redundaret in puræ nostræ Religionis Cultores, Omnesque Scripturarum Sacrarum ac Historiarum Ecclesiæ Studiosos, Loca quædam Scripturæ insignia simul illustravi; Nestorii, Veterumque Adoptianorum, de quibus vix quicquam antea inaudiverat Noster, sententiam ex Veterum Monumentis erui; de Fide Ecclesiæ ante Concilium Nicænum, ante Nestorium, ante Vorstium ac Remonstrantes, & post tempora Vorstii ac Episcopii, diligenter egi; ut simul vanam Hominis jactantiam de priscâ Ecclesiâ Catholicâ se-

cum ſentiente, atque iniquam de Doctorum Eccleſiæ noſtræ Reformatæ cum Adoptianis Conſenſione criminationem retunderem; Inprimis quoque de Titulo *Primogeniti* Chriſto dati, ex quo Adoptiani olim, & Noſter hodie, pro Chriſto *Filio Dei Metaphorico* argumentati ſunt, diſſerui, atque oſtendi hunc Titulum Chriſto dari in Sacris, nunquam relatè ad Deum Patrem, ſed ſemper relatè vel ad Creaturas omnes, vel ad Fideles, & abſque ulla *Genituræ connotatione* ſignificare *Dominum* & *Principem*: quemadmodum abſque ullo ad *Genituram* reſpectu Diabolus in Libro Jobi appellatur *Primogenitus mortis* cujus habet ex peccato imperium, atque à Græcorum Vetuſtiſſimis, & Judæorum Doctoribus Deus vocatus eſt *Primogenitus Mundi*, omniaque Gubernans Providentia *Primogenita* dicta eſt. Cui Libro meo cum oppoſuiſſet ille *Exercitationes* quaſdam cum *Mantiſſa* anno hujus ſeculi vigeſimo octavo, ego anno ſequente *Cenſuram* in illas, atque *Diſſertationem* de *Chriſto Primogenito* ad *Heb.* 1. 6. in Academia ventilandas propoſui. Quas nunc publici Juris feci, nec amplius in anguſtis Academiæ noſtræ Cancellis concludendas judicavi; ut *omnibus* conſtaret incredibilis Adverſarii in defendendis manifeſtis erroribus pertinacia, & quinam ſint Errorum Ejus atque Clamorum de Reformatæ imo Catholicæ Eccleſiæ omnis ſecum Conſenſione, Fontes, quomodo in Argumentis ac Ratiociniis ſuis continuè committat vitium ignorationis Elenchi, & quam ridiculis andabatarum more ictibus pugnet, & denique quam injuſtè me tot tantarumque calumnia-

rum reum peregerit. Et ſpeciatim præmiſi Diſſertationem illam de *Chriſto Primogenito*, quæ eſt in hoc Opere ordine XVI; ut preſſius adhuc demonſtrem, Chriſtum in Scripturis; *neque* cum *Geniture Divinæ connotatione* vocari *Primogenitum*; neque ita vocari poſſe, ob generationem Divinam, vel propriam vel metaphoricam; neque hoc abſurdum ac inauditum eſſe, ut ille continuè clamat, *Primogeniti titulo Generationem non* comprehendi. Quod non modò ex exemplis allatis conſtat, ſed & in aliis, inprimis dignitatis ac Imperii vocibus reperitur. Nempe Chriſtus dicitur abſque *Genituræ* ſignificatione *Primogenitus*, eo modo quo Imperatores Romani *Cæſares* dicti ſunt, tantum propter *Imperium*, non autem quia, vel ex utero matris *cæſi*, vel cum Cæſarie magniſque crinibus nati ſunt. Et eo magis edendam cenſui utramque hanc Diſſertationem XVI. & XIX, quia Adverſarius, (qui legiſſe ſe *Cenſuram* & Diſſertationem de *Primogenito* fatetur) *Scriptum* quoddam *Belgicum* nuper edidit. In quo Lectori, qui Latina non legit, inſinuare haud erubeſcit, me ad ea, quæ ille ex Loco *Heb.* I. 6. pro Chriſto Primogenito *Dei Filio* dicto attulerat, nihil hactenus reſpondiſſe. In quo porro provocat ad Claſſium Judicium, num Chriſtus non dicatur *Primogenitus Dei* in Sacris, & annon hic Titulus includat vel poſtulet genituram, nec tangens nec curans ea quæ & antea & nunc in hiſce Diſſertationibus ea de re ſcripſeram. In quo amplius dicere ſuſtinet, *Pauciſſimos* Theologos pro unica Filiatione Chriſti Divinà ſtare; & non tantum *Hommium* &

Urſi-

Ursinum (de quibus id non liquet, ut ostendi) sed & *Coccejum*, *Altingium* (de quibus hoc apertè falsum est) imo *Nubem testium*, *Centenosque alios* se *adduxisse* secum facientes, præter *innumerabiles* rationes, (quod addit circulatorum more) quarum *Catalogum* in isthoc scripto Belgico non exhibet, quia scilicet *ingens multitudo earum*, *Lectori tædium crearet*; imo ait, *gratias sibi deberi publicas*, eò quod *quotidie* Cognitionem *mysteriorum Fidei majorem* & *sublimiorem* efficiat: Scilicet per scripta sua *Typomaniam* ad ludribrium Religionis nostræ ubique spirantia, & quia Veteres & Recentiores Hæreticos sequutus viam imprudenter & cum pertinacia aperuit, quæ ducit, vel ad Divinam Christi Filiationem propriam & æternam, vel ad Unitatem Personæ Christi, negandam. In quo *Scripto* præterea falsò & malitiosè ait me Hæreticis adnumerare omnes qui dicunt, Christum *Primogeniti* titulo referri ad Deum Patrem, cujus contrarium, & ex prænominato Libro meo, & ex Dissertatione XVI. De *Christo Primogenito* luce meridiana clarius apparet. In quo *Scripto* denique; ex eo quod monueram, nihil honoris ac gloriæ accedere Filio Dei *proprio* per *Metaphoricam* Filiationem, quia *eminenter* id perfectionis habebat ut Filius proprius, quod in Filio metaphorico invenitur; perversè & sophisticè infert; ergo Christum non debere dici *servum Dei* quia in eminentiori Titulo Filii illa *servi* latet: nam debuisset dicere, Christum ideo quà *Servum Dei* & *Mediatorem* non debere vocari *Filium Dei* metaphoricum, qui ab æterno fuit *pro-*

prius: quia hæc impropria Filiatio Propriæ gloriam nec auget nec augere potest. In quo scripto (p. 522. coll. cum 526.) tandem hæc durissima profert; nempe *Caussas* seu *Fundamenta Filiationis* Christi Divinæ *Metaphoricæ*, qualia sunt, *discere* a Deo, *revereri Deum*, *dependere* ab ipso, *obedire* ei &c. *non incepisse demum ab Incarnatione* sed ab *æterno* locum in Filio *habuisse*. Quæ an viam, vel ad Monarchicorum Veterum & Recentiorum hæresin, vel ad Arianismum sternant, vel ad Valentini Tritheismum, Lectoris judicio nunc committo. Hæreticum efficere qui non est, ab animo meo valde alienum est. Quo autem sensu Belgicè p. 521. dixerit, *dat de Vader syne Natuur MET synen Soone MEDEDEELT*, ipse probe novit. Sed misso hoc Homine, qui veritati cedere recusat pertinacissime, & planè dimisso, nullaque ulteriori responsione digno; ad alia transeo.

Ultima harum Dissertationum est de Natura Peccati, publicè habita 6. & 9. Maji MDCCXXII. In quâ Communem Theologorum nostrorum sententiam de *Natura Peccati*, quod consistit *in sola privatione Rectitudinis* ex *Lege debitæ adesse actibus atque habitibus nostris*, defendere suscepi, eamque vindicare ab Objectionibus, quas ante aliquot annos adversus eam moverat, Celeberrimus Theologus Campegius Vitringa, qui contrariam cum Aliis adoptaverat sententiam, *Naturam* nempe *Peccati omnis non absolvi solo Privationis conceptu*, sed esse quid *Reale*, *Actumque* aut *Habitum*, ita *modificatum*, ut Legi sit *contrarius*, ingredi Naturam ipsius

ipsius peccati, & esse ipsissimum peccatum, quod Deus odit, punit, & cujus Effecta sunt Macula, Reatus, Pœnæque omnes temporales ac æternæ. Quod verò hæc Disputatio paullò post obitum Viri Celebris habita fuerit, non est factum ex meo humano Consilio, qui eam, dudum à me expetitam, conscripseram, preloque destinaveram, in vivis hactenus existente Viro Clarissimo, quem haud ægre laturum fore mihi persuadebam, si ab ejus sententia hac in parte discederem, & si eadem libertate, debitâ cum modestiâ, Theses ejus sub examen, etiam publicè pro ratione Muneris mei, revocarem, quâ Ille, discedens à communiter recepta sententiâ, conscripserat eas, & publicaverat. Sed Providentia Divina hoc contigit, quæ rebus humanis eripuit Eum antequam Disputatio mea typis plenè describi, ac publicè ventilari potuit. Destinato itaque animo neutiquam conscripta, impressa, *habita* est post mortem Clar. Viri, ut mortuo Leoni insultarem, & *impetum in mortuum facerem, quem vivo* illo *represseram*. Hoc tamen omnibus persuadere conatus est Filius Ejus, qui statim adversus hanc Disputationem meam calamum strinxit virulentum, ac conscripsit Tres *Dissertationes*, ut vocat, *Anticriticas*, acerbissimas profectò & mordacissimas, inopinatis non modò, sed & tumidis ubique Verbis Dictisque admodum in me contumeliosis refertas. Magnificè in illis de se suisque sentit, sua laudat & extollit, insolenter in alios, inprimis in me insurgit, nullaque habita ratione ætatis ac Muneris mei Academici & Ecclesiastici debacha-

cha-

chatur. Haud absque animi dolore animadverti in hoc *Juniore Theologo* fastum incredibilem, effrenam maledicendi & convitiandi licentiam, & servitutem affectuum iræ & odii deploratam, vix autem miculam vel umbram Sapientiæ istius cælestis quam vivis coloribus depinxit Apostolus Jacobus. Ferenda quidem sed spernenda simul duxi omnia illa probra in me conjecta. Sicuti enim nos mollescere haud decet linguis laudantium, ita nec frangi linguis vituperantium ac maledicentium. Legi Dissertationes illas, ubique transmissas, sed lectas seposui, nullâque dignas responsione censui, multò minus injurias mihi illatas, quamvis atrocissimas, vindicandas statui. Canum fidelitas & vigilantia pro veritate decent Doctores Verbi Divini juxta Scripturas, sed rabies eorum atque mordacitas à nobis longè abesse debent. Et quoniam præter calumnias, Verborumque meorum iniquas quandoque torsiones, ac parerga nonnulla, nihil ab *Ipso*, quantum Caussam ipsam attinet, est præstitum, quod urget, & quod non longe brevius ac clarius à Clar. *Parente* erat propositum, & à me sub examen modestè revocatum; constitueram ego data occasione Disputationem meam in lucem emittere, certus, quod ejus attenta Lectio sufficeret ad Confutationem eorum quæ in hisce *Dissertationibus Anticriticis* adversus eam mota sunt. Quod tamen Propositum distuli ad longum tempus, nec fortè unquam executioni dedissem, (quia morte inopina præventus Adversarius, hoc suum Opus *Anticriticum* absolvere non potuit) nisi inter *Opuscula* Ejus nuper edi-

ta

per edita etiam hæ *Dissertationes* de *Natura Peccati* evulgatæ fuissent. Prodierunt autem valde truncatæ; & prudenter Clar. *Editor* quædam oscitanter scripta, & alia multa probrosè in me Aliosque dicta, (non tamen omnia) ejecit, scriptaque hæc tumultuaria in alium ordinem redegit. Necessitas itaque mihi fuit imposita edendi Disputationem illam meam *de Natura Peccati* ad Locum 1. *Joh.* III. 4; quod nunc feci, ne verbo quidem addito vel dempto; ut omnes videant ac judicent: An Clar. Patrem ejus *veluti puerum aggressus sim, & tanquam Tyronem gravi & dictatorio stylo tractaverim, ejusque cineres adhuc tepentes contumelia adsperserim:* & An Expositio Verborum *Johannis* a me allata, ut Scripturario Argumento sententiam adversam refutarem, *ab omni probabili ratione abhorreat:* & *denique* An ego *ejus quod unicè quæritur ignarus fuerim*, & *talis qui disputans sui ipsius simul solidissimam attulerit refutationem; qui nec suam quam tueri voluit sententiam bene intellexerit, multo minus perceperit mentem parentis ejus, aut verum Controversiæ statum*; atque adeo *inepte contra Parentem ejus disputaverit, ipsamque quæstionem imperitè tractaverit.* Dicta autem mea in Patrem contumeliosa scilicet hæc sunt: §. XXIV. *Vellem profecto Virum Doctum ad locum nostrum Johanneum magis attendisse, quod si fecisset, frivolis fortè ejusmodi ratiociniis se a Veritate hac in parte abduci passus haud fuisset:* & §. XX, ubi quasi de Alio scripsi; *Si quis verò ita vocet, nec aliter cogitare de Peccato valeat, id sibi imputet, suarum autem cogita-*

 tionum

tionum confusionem, ideasque suas minus claras & distinctas, modosque loquendi suos, ut veritatis regulas aliis obtrudere non debet, nec temerè affirmare, peccatum *absque actu & habitu substrato* concipi non posse, *uti facit* Vir Celeb. §. 48. *sic in memoriam non revocans sibi id quod de* Peccato Omissionis *modò dixerat*; &c. Hisce, ait, me accusasse Parentem suum *Cæcitatis*, *Cogitationum Confusionis*, ac *Oblivionis* dictorum suorum. *Cæcitatis* objectæ non memini. Ideas nostras non semper & in omnibus æque claras ac distinctas esse, quis negat? Et Viris Eruditissimis, quorum animi pluribus sunt intenti, minorem quandoque esse ad singula sensum, quis in dubium traheret, aut, si id modestè memoretur, exinde contumeliæ illatæ crimen inferret? *Frivola* quidem ratiocinia appellavi, quibus Vir Clar. se a Veritate abduci passus fuit; sed molliori sensu. *Frivola* mihi sunt *infirma*, speciosa quidem, sed neutiquam solida.

An porro mea Johannei dicti Expositio ab *omni probabili ratione abhorreat*, penes Lectorem æquum & attentum judicium esto. Accusat me quod in explicatione phrasios *Peccatum faciendi* discesserim à *constanti usu* ejus apud Johannem, cui *Peccatum facere* semper est *Peccato servire*, indulgere, operam dare; non, uti ego explicui, *quemcunque actum peccaminosum quocunque modo committere.*

Ad hanc Objectionem diluendam, quam facile prævidebam mihi moveri posse, Ego contra *Episcopium* disputans §. VII. observavi; quod phrasis hæc *facere peccatum* sæpe sumatur in Sacris intensa significatione

gnifi-

gnificatione, ſed non ſemper, & adduxi Locum 1. *Pet.* 11. 22, ubi, ipſo fatente Epiſcopio, de uno peccandi actu uſurpatur. Deinde addidi, reſpiciens ad uſum hujus phraſios apud Johannem. *Neque eſt inſolitum, ut unum idemque vocabulum, eademque phraſis, apud eundem Auctorem, in eodem ſermone vel Epiſtola, varia ſignificatione, nunc latius nunc ſtrictius ſumatur.* Hæc verba mea exſcripſit Adverſarius *Diſſert.* I. *p.* 24. & ſubjecit per ſarcaſmum, *Acute!* Sequentia verò *Exempla*, ex variis Locis Scripturæ petita, & quæ ad hujus Dicti Johannei intelligentiam, ut & aliorum Scripturæ Locorum, magno uſui eſſe poſſunt, & quæ a me allata ibi ſunt ad Illuſtrationem & Confirmationem hujus Obſervationis, diſſimulavit, ne videretur temere ſcripſiſſe, quod Expoſitio mea *ab omni probabili ratione abhorreat.*

An denique *ſtatum Controverſiæ* penitus *ignoraverim*, & *nuſquam verbis meis ritè propoſuerim*, judicet Lector. Ipſe Adverſarius, rectius ſcilicet Quæſtionis Statum formaturus, eadem verba adhibet, quibus ego plus ſemel in hac cauſſa uſus ſui, & ipſe ex me aliquoties citavit. Ut tamen fidem Dicto ſuo faciat, & me vere ignoraſſe Controverſiæ ſtatum probet, affingit mihi quod nunquam ſcripſi dixi cogitavi: Nempe me, ut *Caput quæſtionis* ac *ſummam Diſputationis probandam ſumſiſſe, contra Parentem* ejus; Hoc; Quod *Peccatum Abſtractive ſumtum*, id eſt Abſtractione reali ſeparatum, *ab omni Habitu & Actu, nihil aliud ſit quam Illegalitas, & Nihil privativum*, & proinde

de quod mihi ſtultè, & *ridicule probandum ſumſerim*, quod nemo ſanus negavit unquam, multò minus Parens ejus, nempe *Illegalitatem eſſe Illegalitatem.* Vide *pag.* 398. 400. 459. Facile omnes credent Parentem ejus nunquam eò ſtultitiæ deveniſſe, ut negaverit Illegalitatem eſſe Illegalitatem, Nigrum eſſe Nigrum, Album eſſe Album. Et oportet *Dom. Vitringa Fil.* multum præſumſiſſe de Viribus ſuis, dum hæc ſcripſit, ſi feriò putaverit, ſe poſſe ulli cordato homini in Belgio noſtro perſuadere, quòd *Weſſelius* adeo ineptus & ſtolidus ſit, ut ſibi *probandum* ſumſerit in publicà Diſſertatione Academica, id quod nullus ſanæ mentis Homo unquam negavit, aut negare poteſt, nempe Diſconvenientiam cum Lege eſſe Diſconvenientiam cum Lege. Ejuſdem Commatis eſt, quod ubique, nunc apertè magis, nunc tectè Lectori perſuadere conatur, me ſummam Rei quam probandam ſuſcepi, poſuiſſe in eo, quod *Actus qua Actus*, *Abſtractione reali ſeparatus* a *Diſconvenientiâ cum Lege*, *non ſit peccatum*, quod Parens *minimè negaſſe* dicit. Sic continuè confundit *Abſtractionem realem* & *ſeparationis* cum *Abſtractione mentali* & *diſtinctionis veræ*, de quâ poſteriori Abſtractione *ſolâ* Ego loquor, quando dico, *Peccati proprium conceptum eſſe Abſtractivum*, non *Concretivum*. Non tantum *Actum* eſſe *bonum* quid dixi *realiter Abſtractum* ab Illegalitate, ſed etiam *mentaliter Abſtractum*, arcte interim & de facto *Conjunctum* cum *Illegalitate* illà. Ita ſolent Homines ludere in vocibus, quando pugnant, non pro Veritate, ut illa vincat, ſed ut ipſi vincant, & de veritate debellatâ

latâ apud incautos Lectores triumphent. Luce meridianâ clarius videbit Lector, me summam Quæstionis, quam probandam suscepi in totâ mea Dissertatione, hanc constituisse; quòd *Peccatum propriè dictum*, seu malum illud morale, quod nos difformes Deo & damnabiles reddit, & cujus Deus sanctissimus Caussa esse nequit, nil aliud sit, quam *Illegalitas*, *Disconvenientia cum Lege*, ab ipso *Habitu* & *Actu peccaminoso* vere *distincta*, & a *mente* Infinita vel Finita *Abstracta*, quæ tamen non est *separata*, sed *conjuncta* cum Habitu vel Actu ipso peccaminoso, eique, *qua tali*, arctissime *adhærens*. Et hoc sensu *Peccati* Vocabulum sumi debere dixi & ostendi in dicto Johanneo; *Peccatum est* ἀνομία; nempe pro *illo malo morali*, quod primò, proprie & formaliter *Peccatum* est & dicitur, dum *Actus* vel *Habitus peccaminosus improprie* dicitur *peccatum*, per metonymiam, quia illi *adhæret Peccatum*, seu illud malum morale, illa disconvenientia cum Lege, quæ propriè peccatum est.

Sed & in aliis bene multis Fidem desideravi in hoc Homine, in quà tamen Boni & Honesti Viri præcipuus character est. *Pag.* 393. attribuit mihi hanc sententiam; *Abstractum vel Concretum ejusdem Vocis significatum facit proprium vel improprium*: quod utique nunquam de qualibet voce dixi, sed de hac *Peccati* voce singulari asserui, quod Abstractiva ejus notio sit propria, non Concretiva, ut Doct. Parens ejus scripsit. Et hoc docuit me Scriptura & sana Ratio. *Pag.* 409. 410. dicit, *sententiam* eorum, quos ego sequutus sum, esse; quòd, quia

 Discon-

Disconvenientia Actuum qualiumcunque *cum Lege facit internam peccati formam*, propterea *omne peccatum*, etiam *commissionis*, sic *definiendum* sit, *quòd sit disconvenientia cum Lege*, seu *Illegalitas*, *dislegalitas*, non quod sit *Actus Legi disconveniens*. Malà fide hæc posuit. Non dicimus *omne peccatum*, etiam *Commissionis*, quod improprie per metonymiam dicitur peccatum, *definiendum* esse per disconvenientiam cum Lege, verùm per *Actum legi disconvenientem*: *Sed proprie dictum peccatum*, id est malum illud morale, quod est in peccato Commissionis, quod Deus odit, reatum maculam & pœnam adfert, & ad Deum ut Caussam referri nequit, esse definiendum & definitum a Johanne per ἀνομίαν *Illegalitatem*. Iterum *pag*. 400; ubi probare vult me statum Controversiæ non attigisse, & contra umbram meam pugnasse; hæc posuit. *Nullum aliud quid ad id requiret documentum*, *præter ea quæ dedimus*, *dum apparuit*, *Ipsum ex Loco Johannis*, *ex quo primum & potissimum Argumentum ducere voluit*, vel data ipsi omnium Verborum Interpretatione pro libidine, *ne quidem quippiam effecisse*, *quod non monuerit Parens meus a se extra controversiam poni*. Quæ rursus vel mala fide vel cum magna incogitantia scripta sunt. Nam si hæc vera sunt, ergo & Pater ejus *extra controversiam posuit*, illud VIII. *Consectarium*, quod ex mea Verborum Johannis Interpretatione, quam omnem se liberaliter mihi nunc dare vult, evidenter consequitur; & quod ita sonat: *Tandem si τὸ formale* omnis *peccati*, *seu id quod* proprie *peccatum constituit*, *in conceptu*

ejus

ejus formali, *sit* ἀνομία; & ἀνομία *sit* privatio *conformitatis cum Lege sancta*; *sequitur irrefragabiliter*, *quod* omne *peccatum*, *non tantum* Omissionis, *sed* & Commissionis, (id est illud quod in hoc Commissionis peccato peccatum est & constituit, ut liquet ex sequentibus) propriè *sit* abstractum *quid*, nihilque aliud *quàm* Privatio *conformitatis cum Lege*, & *consequenter quòd ipsa Facultas, Habitus vel Actus peccaminosus*, *non sit* ipsum Peccatum, *ut quod* nil aliud *est quam ipsa* ἀνομία; *etsi* improprie & *concretivè* sumto Peccati vocabulo, *Facultas*, *vel Habitus*, *vel Actus*, *ut* τὸ Materiale *peccati*, *connotetur vulgò*. An hæc concessit Pater Ejus, & an extra controversiam hæc posuit? Hæc tamen necessariò consequuntur ex mea Interpretatione, mihi ab Ipso data. Qua fide porro Clar. *Cocceji* consensum cum Patre suo laudet *p.* 472. equidem ignoro. *Duo* enim dicit Coccejus esse in *Peccato*, *concretive* scilicet spectato, *Bonum cui labes adhæret*, & *ipsam labem*. *Id Bonum est*, ita pergit Vir Celebr. *vel Habitus* vel *Actus creaturæ intelligentis*, *cui laudabilis rectitudo sua natura convenit. Habitus igitur vel Actus distortus peccatum est.* Quando Habitum vel Actum *distortum peccatum* esse dicit, intelligit *peccatum improprie* dictum, quod vocat *Concretum*; Proprie dictum verò vocat *Labem* adhærentem *Actui*, vel *Habitui*, physicè *Bono*. Hinc in eadem *Disp.* V. §. 35. scribit. *Ex dictis perspicuum est*, *Peccatum*, *qua tale*, *non esse substantiam vel* Ens, & §. 63. *Actus creaturæ*, *qua Actus*, *non est peccatum*, sed *qua talis Actus*.

Actus. Entitas actus a Deo, ut omnis entitatis caussa, dependet. Ex quo Exemplo colligere facile est, qui nam illi *inter Nostros Magni Viri* sint, qui eandem cum Patre sententiam teneant, de quibus in fine Dissertationis suæ loquitur. Minime interim nego quosdam ex nostris idem sensisse cum Patre, nec unquam dixi hanc esse *peculiarem parentis ejus sententiam*, sed illum discessisse a *communiter* apud Nos *recepta sententiâ*. Quod non diffitetur *Filius*, quando ita *pag.* 380, & quidem satis odiose, scribit. *Ac res voluit ut non displiceret sectæ*, (sententia quam ego defendo) *quæ in hoc potissimum Belgio* successit, *recentiori. Quid speres itaque adversus tale placitum, quod communi studio & favore ambarum partium, quæ in Ecclesiis nostris dissident de re Philosophica & Theologica, propagatum fuit, atque ancipiti auctoritate etiamnum propugnatur? Nam etsi fuerint semper docti & prudentes Viri in Ecclesiis, ac quoque Academiis, quibus probata non fuit ista philosophandi ratio: æqua illorum habita non est ratio, quia tanquam privati, & suo periculo dissentiebant, nullius bene junctæ factionis, nomine adjuti: id quod ad commendandas vulgo literatorum opiniones plus virium equidem habet quam ipsa Veritas.* Alia plura malæ Fidei specimina prætereo. Non possum tamen dissimulare animi ægritudinem ortam ex eo quod, non uno in loco, sententiam Communem insimulare videatur hujus flagitii, quod Peccatum esse statuat merum *Nihil*, quale est omnino *Illegalitas*, *realiter abstracta* ab omni Actu &

Habitu, quam Nos, dicit, constituere Naturam peccati; sed falsò. Nam *Illegalitatem mente* tantum *abstractam* ab Habitu, vel Actu, cui tamen adhæret, & a quo realiter nunquam separari potest, dicimus esse illud malum morale quod proprie peccatum dicitur: quomodo hoc est *Nihil* quidem, sed *Privativum*, non *Negativum.* Hunc tamen Abstractivum peccati Conceptum vocat ille, ut invidiosè traducat sententiam nostram, IDEAM FICTAM. Ita appellari patior, quatenus Fictrice mentis operatione formamus eam: Verùm ideo Idea Privationis, non est Idea *Ficti* & *Falsi*, & merum *Figmentum Cerebri humani*, sed idea vera ejus quod deest cum adesse debebat. Qui Defectus Bonitatis non est *Nihil* mere *negativum*, sed *privativum*, & habet realissima effecta, quoniam semper aufert aliquid de subjecto quod ei ex Lege adesse debebat. Quo pacto tollitur *difficultas* illa, quam *hæsisse Parenti* suo dicit, & quam obscure satis hoc modo proponit; *pag.* 402. *An unquam*, vel *in hoc potissimum negotio*, IDEA *ejusmodi* FICTA *unquam converti possit* in VERAM & REALEM?

Si præterea omnes ejus *Temerarias* Assertiones, omnia *Sophismata*, & *Axiomata* incerta, dubia, & quandoque aperte falsa, quæ Ille pro Veris & indubitatis venditat, enarrare velim, Præfatio hæc in immensum excresceret. Incogitantiæ Ejus attribuo quod scripsit *p.* 401. Patrem *agnoscere*, *id*, *quod* proprie *peccatum est in Actu*, *vel Habitu*, *esse Disconvenientiam ejus cum Lege.* Si hoc agnoverit Parens, noster est. Sed non agnovit; nam §. LIV. diserte scripsit; *Modum* Actus, qui *Caussa* est Dis-

convenientiæ ejus cum Lege, *proprie* a se *peccatum* dici. Magnam profectò Temeritatem prodidit; quando ad Argumentum meum, §. XVII. propositum, ex nonnullis Abstractis Hebraicis & Græcis Vocibus, a Spiritu sancto adhibitis, petitum, tanquam quæ doceant Peccati proprie dicti conceptum non esse quid Concretivum sed Abstractivum; hæc reposuit in *Dissert.* I. *p.* 30, *Mitto jam id, quod in hac propositione* stultitiæ, non dico, sed impudentiæ est (hæc omisit Cl. Editor *p.* 401), *quod D. Wesselius picturâ literarum & vocum aliquot Hebraicarum & Græcarum quæstionem Scholasticam se definire contendat*; & in *Dissert.* III. *p.* 68. 69. in *Edit.* verò *p.* 423 424. *Non hærebo etiam in ostendenda hallucinatione ejus manifesta, dum ex vocibus* Græcis *vult probare*, Naturam peccati *in* abstracto *consistere. Non dixerit Wesselius, opinor, aut dixit quispiam, ullum Græcum hominem, aut philosophum, ante tempora Apostolorum* peccati naturam *constituisse in* Illegalitate, *distrahenda* (*mente abstrahenda* debuit dicere ex communi sententia) *ab Actu vel Subjecto: est hoc equidem recentioris philosophiæ: quomodo ergo* Græci *Vocibus ἁμαρτίας, ἀνομίας, ἀσεβείας, aliisque, alligassent ideam talem de* natura peccati, *quam nunquam somniarunt? Vel quomodo etiam Apostoli talem ideam illis vocibus alligare potuissent, Græcis semper ignotam, quorum tamen lingua, adeoque Vocabulis ex recepto usu utebantur? Sed de re disputamus: quo neque errores D. Wesselii, neque nominum significatus quicquam faciunt.* Quot fere sunt Verba tot quoque

que Temeritatis & Incogitantiæ insignia. Si nominum significationes nihil quicquam faciant ad rei cognitionem, non sunt amplius Nomina rerum notæ. Cur Deo, qui nullo nomine distinctivo proprio vel appellativo, ut Ens singularissimum, eget, tot Nomina dantur in Sacris, si nihil horum significatus faciunt ad Naturam ejus aliquatenus exprimendam? Et si *Augustinus*, cum scribit de *Civit. Dei* Lib. XI. *Cap.* XXII. *nulla natura est malum, nomenque hoc non est nisi privationis boni*, juxta Annotationem *Lud. Vives*, suffragatur in hoc *Platoni*, *Aristoteli*, *Ciceroni multisque aliis Philosophis*; quomodo tantà confidentia asserit Noster, *nullum Græcum hominem* aut *Philosophum ante tempora Apostolorum* Naturam mali culpæ in *privatione* constituisse? Quod tamen si ipsi concedamus, exinde minimè sequitur, quòd *Apostoli talem ideam illis vocibus alligare haud potuerint*, ad quam Naturà suà, per *Alpha privativum* ab initio formatæ hæ voces, nos ducunt, etsi *Græcis semper ignota* fuerit. Nam ex eo tunc etiam sequi deberet, Apostolos aliam ideam vocibus, Θεὸς, πίστις, ἐκκλησία, κτίζειν &c. non potuisse alligare, quàm illam quam Græci iis alligaverant antea. Quod tamen ipse Adversarius, si viveret, non concederet. Si verò hoc est *Stultitiæ* vel *Impudentiæ* argumentum ex istis *Vocabulis Græcis Abstractis*, a *Spiritu Sancto* ipso usurpatis, argumentari pro Natura Peccati proprie dicti in *privatione* constituenda, socios *stultitiæ* vel *impudentiæ* meæ habeo plurimos Viros *Sapientes* & *Modestos*. Habeo socium ipsum *Augustinum*, cujus Verba, si

Adversaria mea non fallant, hæc sunt: *Latini homines sceleratos Nequam, scelus Nequitiam solent appellare, ac si nihilum & nihili homines innuere vellent. Neque solum in Latina lingua hoc observamus, ubi homines malos vocabulis PRIVATIONIS & degenerationis solemus nebulones, tenebriones, fungos, vappam, lippos, truncos, nequam & nihili indigitare, verum etiam in Græca & Germana linguis magis adhuc observare licet, ut forsan etiam in reliquis omnibus, cum naturale quasi sit mala & degenerantia vocabulis PRIVATIONEM & corruptionem depravationemque significantibus notare.* Habeo etiam, ut hunc Unicum ex Nostris Theologis nunc addam modò, socium *stultitiæ*, vel *impudentiæ* meæ, Venerandum Nostri Collegam Seniorem, dum viveret, Clar. *Andala*, cujus verba hæc sunt in *Disput.* XXIII. de *summa Theol. supranat. Ergo distinguere necessariò oportet inter actum substratum & peccatum. Ex qua distinctione sequitur Peccatum consistere in disconvenientiâ & difformitate cum Lege, in privatione debitæ rectitudinis, & uti dici solet in nihilo privativo, cum abstrahatur ab Actu. Quod & MAXIME INNUUNT VOCABULA, quibus Peccatum appellatur* חטאה ἁμαρτία, ἀνομία &c. Et mirari licet Dom. Vitringa Fil. noluisse admittere nostrum ex Vocibus hisce scripturariis Argumentum; cum Ipse ex *Populari* Vocis *peccati Usu Controversiam* hanc *decidendam* contendat, non ex *Philosophorum Placitis*. In quo tamen magnopere errat; & quidem duplici modo. Primò quidem; quia Popu-

Popularis hic Usus vocis, quo Actum & Habitum peccaminosum *impropriè* & *metonymicè* significat, neutiquam Quæstionem nostram, quid *propriè* sit Peccatum, determinet; & deinde quia hic Usus vocabuli Peccati concretivus penes populum non est universalis aut perpetuus. Pueri enim nostri, ut notum est, ex elementari Institutione Doctrinæ Veritatis, ad Quæstionem, *Quid est peccatum?* Respondent, *Iniquitas*, *Injustitia*, responsione ipsis ex hoc Johanneo Dicto suppeditatâ. Atque adeo *Popularis* iste *Usus*, ut plurimùm *Concretivus*, sed & quandoque *Abstractivus*, ubi ad rem ipsam deventum est, ad Imitationem Styli & Usus Sacri est compositus, in quo frequenter *Concretivè*, sed etiam aliquando *Abstractive* sumitur Vox *Peccatum*, ut monui in *Differt.* meâ §. IV. & XIII. & pro *Abstractiva* significatione laudavi *Loca Joh.* XVI. 9. *Rom.* III. 20. VII. 7. XIV. 23. 1. *Joh.* V. 17. In quo cum dicit me *gravem errorem* commisisse, ex *mera ignorantia* ortum, aliud edit *Temeritatis* suæ specimen. *Jam verò* inquit, *p.* 393. 394. 395. *hoc sensu abstracto* (quo nempe abstrahitur mente Disconvenientia cum Lege ab Actu & Habitu, non separatur realiter) *Peccati notionem nobis unquam sub idea ficta in scripturis proponi, vehementer negamus.* Atqui ad hoc probandum quod dixi sufficit vel unus Locus *Joh.* XVI. 8. 9. *Et cum venerit ille, arguet mundum* de Peccato *& de justitia & de judicio*; de Peccato *quidem, eo quod* non credunt *in me.* Hîc sumitur Vox *Peccati*, non *abstractè* ab *certo subjecto specie* & *modo*, ut ait Noster,

 ster,

ſter, nam diſerte nominantur, & ſubjectum, *Mundus*, & ſpecies, *Incredulitas*, *eò quod non credunt in me*, dicit Dominus. Verùm ſumitur vox peccati hìc *abſtractè ab Actu & Habitu*, quod negat Ille. Non enim neceſſarium erat convincere Mundum de Motibus animi ac corporis phyſicis, qui ſunt in ſcortatione ac Idolorum cultu, quos non ignorabat Mundus gentilium, imo quos partim licitos, partim quoque laudabiles eſſe exiſtimabat. Sed hoc neceſſe erat, ut Spiritus ſanctus Mundum convinceret de *Peccato* ſeu *Illegalitate* horum, aliorumque *motuum*, quam ignorabat Mundus. Quod ideo generatim Spiritum præſtiturum eſſe, ait Dominus, & deinde ſpeciatim explicat *Peccatum* Mundi de *Defectu Fidei* in ſe. Atque adeò *Peccati* vocem evidenter ſumit *abſtractè* pro *Privatione Defectu Carentiâ*, cum *Bonitatis*, quæ actibus adeſſe debebat ex Lege, tum *Actus* ipſius, *Fidei* nempe in ſe. Aliud *Temeritatis* ſpecimen edidit *p*. 428. & *p*. 460, ubi ſe opponens ſententiæ communiter receptæ, quæ ſtatuit *Naturam peccati*, ſeu Mali moralis quod eſt in Peccato Commiſſionis quoque, conſiſtere in *Illegalitate*, quæ adhæret Actui vel Habitui, ita ſcribit: *Naturas rerum nobis repræſentari* ſemper *per ideas Univerſales ſeu Abſtractas Genericas*, nunquam *aliter*. Et rurſus: *Nunquam Natura alicujus rei exhibetur notione Abſtracta* diviſiva; ſive præciſionis, *qualis eſt hæc* Illegalitatis: *ſed* ſemper *Abſtracta* Generica, *ſeu* Univerſali, nunquam *aliter: & cedo exemplum unicum.* Miror profecto Hominis confidentiam, & eo magis quia ſe dicit hanc

hanc de Concretis & Abstractis attulisse Doctrinam, ut doceat me ea quæ nescio. Fateor me hæc nescivisse, etsi diu satis antequam ille fari potuit per integrum triennium Logicam didicerim sub auspicio Doct. *Rombergii*, Gymnasiarchæ, dum viveret, Leovardiensis, a quo ante paucos annos eandem didicerat Parens ejus. Hæc est verò Doctrina de Abstractis & Concretis Logica, quâ ob Ipso imbûtus fui. Conceptus & his respondentes Termini Concretivi & Abstractivi formari queunt ratione Substantiarum & Accidentium. Illarum Conceptus & Termini Concretivi sunt *Spiritus*, *Corpus*, *Homo* &c; Abstractivi *Spiritualitas*, *Corporalitas*, *Humanitas.* Horum, Accidentium scilicet, Quantitatis Qualitatis &c. nomina Concretiva sunt, *Longus*, *Latus*, *Pius*, *Pulcher*, &c; Abstractiva sunt *Longitudo*, *Latitudo*, *Pietas*, *Pulchritudo*. Hi porro Termini & Conceptus *Abstractivi* sunt, non *Generici*, qui opponuntur *specificis* & *individualibus*, sed sunt, ut vocat Adversarius, *divisivi*, qui opnuntur *Concretivis*, atque adeo sunt tales, de quibus scripsit, quòd *iis nunquam Natura rei exhibeatur & repræsentetur*. Et tamen verissimum est, quod hisce Terminis & Conceptibus *Natura Accidentis* ejus, propter quod aliquid *Longum*, *Latum*, *Pium*, *Pulchrum* dicitur, exprimatur & repræsentetur. Nempe id, quo posito, ponitur *Longus*, *Latus*, *Pius*, *Pulcher*, & quo sublato tollitur, in quo *Natura rei*, Ipso Adversario haud diffitente, consistit. Etenim sublata *Longitudine*, *Pietate* &c, perit *Longus*, *Pius*, & posita *Longitudine* & *Pie-*

tate,

tate, ponitur *Longus*, *Pius*. Ergo hæc *Abstracta* Vocabula omnino *Naturam Accidentis* ejus, propter quod in *Concreto* aliquid *Longum*, *Pium*, dicitur, exprimunt. Requiritur quidem necessariò *subjectum* hujus Accidentis, cujus esse est inesse; Verùm ideò illud *subjectum* non ingreditur *Naturam* ipsius *Accidentis*. Applicemus hæc ad *Peccati* Vocem & Conceptum. *Dislegalis*, *Illegalis*, *Peccaminosus*, *Vitiosus* &c. sunt Voces & Conceptus *concretivi*, requirentes *Subjectum*, *Actum* vel *Habitum*. *Abstractivi* autem Termini & Conceptus sunt *Peccatum*, *Dislegalitas*, *Illegalitas*, *Vitium*. His Notionibus Abstractis utique exprimitur *Natura* Ejus propter quod Actus, vel Habitus appellatur *Peccaminosus*, *Vitiosus*, *Illegalis*, qui talis est tantum propter *Peccatum*, *Illegalitatem*, *Disconvenientiam cum Lege*. Falsum est ergò quod *nunquam Natura Rei* alicujus exhibeatur *Notione Abstractiva divisiva*. *Exemplum* petiit Adversarius modò *Unum*, dedi ego plura. Ex quibus proinde liquet, quam peritè scripserit Ille; *Ad Naturam Abstracti semper aliquid plus pertinet quam Abstractum ipsum*. *Sed*, inquit, *Abstractum* tamen illud, illa *Illegalitas* scilicet, est *Inseparabile* ab Actu & Habitu *Illegali* & *Peccaminoso*. Concedo. Ergò, inquit, *Actus*, vel *Habitus* ille, est *ipsum Peccatum*. Hoc Nego, & Negationis meæ rationes dedi in *Dissertatione* meâ. §. XXVI. & XXVII. XXVIII. In hoc Argumento ab *Inseparabilitate* summum Caussæ suæ ac Parentis Præsidium ponit Adversarius. *Huc unice*, ait *p.* 403, *sua conferre debuisset D. Wesse-*

Wesselius. Sed Ego Alia quoque Argumenta Patris responsione digna judicavi, ad hoc verò prolixius respondi. Malè supponitur in hac Argumentatione Adversarii, omni Pagina fere repetitâ, quod *Inseparabilia identificentur*. Illegalitas nec separari potest ab Actu Peccaminoso, qua tali, nec a Substantiâ agente & producente Actum Peccaminosum illum. An ideo ipsa Substantia agens converteretur in Peccatum ipsum? Hoc nollet ipse Adversarius. Calor a manu calidâ qua tali inseparabilis est, sed ideo manus non est ipse calor. Ratio est, quia hæc *Inseparabilitas* non est *reciproca*. *Peccatum* quidem ab *Actu*, edito à creatura existente sub Lege, & ita *modificato* ut Legi *repugnet*, separari nequit. Sed propterea ipse *Actus*, ipseque *Modus* istius Actionis non convertitur in *Peccatum* ipsum. Ipse enim *Actus* ita *modificatus*, seu ille *ipse Modus* Actionis separari potest à Peccato, non *existente Lege*, vel si Creatura agens non sit sub Lege, ut semel iterumque dixi in Dissertatione meâ, & Bruti animalis atque mente capti Hominis Exemplis comprobavi §. XXVII. Unde necessariò consequitur quòd in *Disconvenientiâ cum Lege* solâ consistat *Natura Peccati*. Verba mea. §. XXVII. hæc sunt *Velim modò attendi ad brutum animal & mentis haud compotem Hominem. Hic si invocaret vel solem vel idolum*, & *Psittacus si imitaretur verba Blasphemiæ in in Deum*; *annon Actus Idololatriæ & Blasphemiæ* Physicè *existerent absque* peccato? *Sic dici posse existimo. Quoniam peccatum est* ἀνομία, & *Lex propriè data est* Liberè Agenti & Ratione Utenti. *Ergo*

go Actus physicus *non est moraliter peccaminosus ex* Natura Actionis *ipsius*, sed ex Conditione Agentis, *qui* Lege *vel* Positiva *vel* Æternâ *tenetur*. Adhæc Noster. *An censes, id, quod prorsus* irrationale, *aut* mente captum *facis*, Physicos *illos verè posse dare* Actus, *qui faciunt* Blasphemiam, Idololatriam, *aliaque hujus generis?* Respondeo: Omnino. In Psittaco est *externus* Actus Blasphemiæ, qui non est Peccatum. In Homine mente capto etiam est *internus* Actus, quo *vult* genua flectere coram Idolo. Neuter Actus in hisce subjectis est Peccatum, quia Lex de Amando Deo non est lata ratione carenti Bruto, nec ratione sanà uti haud valenti Homini. Et proinde *Natura mali moralis* non est in *Actu* ipso aut *Modo* ejus, quia hic poni potest, absque peccato, sed in solà ejus *Illegalitate*, quâ positâ ponitur peccatum, & quâ sublatâ tollitur peccatum, in quo *Natura rei*, Adversario fatente, consistit. Simile *Temeritatis* Ejus Exemplum habetur in hoc ejus Axiomate. *p. 462. Stat æterna veritatis regula:* Nihil, *etiam* privativum, *qua tale*, nullius esse posse causam Effecti. Et in altero analogo: *Privatio, Abstracta ab omni subjecto agente vel patiente*, non *edit Effectum. Ab Illegalitate, nullus unquam periit homo.* Ubi; Vel malà iterum fide pervertit mentem nostram, si loquatur de *Illegalitate* & *Privatione*, Abstractione *reali* separatà ab omni Subjecto, Actu, Habitu; Vel si juxta nostram sententiam loquatur de *Illegalitate*, arcte *conjuncta* cum Subjecto, Actu, Habitu, sed *mente* tantùm, Divinâ & Humana, *abstractâ*

ab

ab iis, *Temeritatis* rursus notam incurrit. *Ab illegalitate* hujus vel illius Actionis omnino perit homo. *Privatio* Rectitudinis Actui debitæ inesse *Reatum* inducit, quia aufert aliquid de subjecto, quod inesse *debebat* ex *Lege*. Addam in Exemplum *Peccatum Omissionis*, quod Parens ejus *Nihil Privativum* esse concedit, & quod habet effecta *realia*. Sed inquit, *Pater meus* Peccatum omissionis *vocat* Privationem, *sed cujus?* Convenientiæ cum Lege, *ut Wesselius*; *sive* Illegalitatem? *Minime:* sed Privationem ACTUS Lege requisiti in subjecto . . . . & *exponit* Peccatum Omissionis *per* Negationem *certi alicujus* Modi *in subjecto rationali Lege jussi.* Vide Incogitantiam Hominis! Fatetur quòd Pater exponat per *Privationem Actus* Lege requisiti, & per *Negationem* certi *Modi* Lege jussi. Ergo exponit Pater per *Nihil*, & quidem *privativum*, quod non est, cum ex Lege adesse debebat, & concedere debet proinde, dari *Nihil* quod habet Effecta realia. Quanta igitur fuit *Filii* Incogitantia, quando hisce præmissis mox subjecit hæc: *Stat æterna veritatis regula: Nihil, etiam privativum, nullius esse posse Caussam Effecti!* Præterea Lectorem suum fallere voluit, quando scripsit, quod Ego *Peccatum Omissionis* constituam in *Privatione*, non *Actus* Lege requisiti, sed solius *Convenientiæ* cum Lege: cum dudum didici & docui, quòd, sicuti malum morale in Peccato *Commissionis*, est *Carentia Rectitudinis* requisitæ à Lege, ita illud ipsum sit in Peccato *Omissionis Absentia substantiæ Actus* Lege jussi. Unum adhuc insigne ex multis aliis incre-

 dibilis

dibilis Confidentiæ ejus, & ſimul Maledicentiæ Documentum ſilentio prætermittere nequeo. Laudavi §. XVII. Diſſert. meæ *Conſenſum* Veterum, inprimis *Auguſtini*, pluſquam uno in Loco ſcribentis. *Malum* eſſe *Privationem Boni*, *non aliquid* eſſe *niſi a bonitate defectum*, *Mali Naturam nullam* eſſe, ſed *amiſſionem Boni Mali nomen accepiſſe*, &c. Hinc me accuſat *Capitalis ignorantiæ Doctrinæ Patrum*, inprimis *Auguſtini*; quia hic, contra *Manichæos* diſputans, negavit modò *Malum* eſſe quid *Reale Subſtantiale*, neutiquam verò *eſſe quid Reale Accidentale*, uti Ego exiſtimo, *p.* 436. - - - 452. Solamen eſt miſeris ſocios habuiſſe malorum. Hujus *Capitalis ignorantiæ* ſocios habeo, præter *Chemnitium*, *Calixtum*, à me laudatos l. c. alios Viros Doctos plures, qui omnem ætatem ſuam in lectione Patrum triverunt. Ut verò probet: *Auguſtinum*, quando dixit, Mali *Naturam* eſſe *Nullam*, eſſe *Nihil*, *lib.* 1. *adv. Julianum*, *Cap.* 3. per *Naturam nunquam intellexiſſe Actum* vel *Habitum* accidentalem, ſed ſemper *Subſtantiam*; & per vocabulum *Nihil* excluſiſſe a *Peccati* Natura non Actum vel Habitum, ſed tantùm *Subſtantiam*: urget, quòd *Auguſtinus* contra *Manichæos* diſputavit, qui aſſerebant, *Malum* morale eſſe *ſubſtantiam*; *Corpus* nempe noſtrum *per ſe ſubſtantiâ ſuâque naturâ* eſſe *malum*; & *Animam* (quam diſtinguebant a Spiritu, Mente, Ratione, quam bonam eſſe & a bono ajebant) *quâ corpus* noſtrum *animatum* eſt, *ſecundum ſubſtantiam malam eſſe*. Ita eſt, hoc ſtatuebant Manichæi. Sed an hoc ſolum? Minimè.

Sta-

Statuebant ſimul *Motus* Corporis & Animæ iſtius noſtræ moraliter *malos* eſſe *ſuâ natura*, utpote qui *neceſſitate naturali* ex illo malo fonte profluebant. Hinc *Auguſtinus* in *Libro* de *Hæreſibus* de *Manichæis* narrat: *Peccatorum Originem non libero arbitrio voluntatis ſed ſubſtantiæ tribuunt.* Et quænam ſunt illa *peccata?* Actus Hominum moraliter mali, Actuales Concupiſcentiæ adverſus ſpiritum. Hinc pergit *Auguſtinus. Easque duas animas, vel mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter ſe habere* conflictum, *quando caro concupiſcit* (actu ſc.) *adverſus Spiritum*, & *Spiritus adverſus carnem.* Duplex ergò erat error Manichæorum. Alter, quòd *Actus* mali *neceſſariò & naturaliter* ex ſubſtantia iſta Corporis & Animæ malæ provenire ſtatuebant; cui ſe opponentes Patres urgebant illos ex *libero voluntatis arbitrio* fieri. Alter verò, quod hi Actus & Motus, ex illâ malâ ſubſtantiâ provenientes, etiam, æque ac ſubſtantia ipſa, *Naturâ ſuâ* mali erant; Cui ſe opponentes quoque Patres urgebant, *malum* non eſſe *Naturam*, id eſt, neque *Subſtantiam* ipſam, neque *Actus* & *Motus* ipſos, qui producebantur ab ea, ſed *Malum* eſſe *privationem Boni*, & *Nihil*, nullamque ejus eſſe *Naturam*, & *Eſſentiam*, id eſt, non eſſe Ens realiter exiſtens, ſive per modum Subſtantiæ, ſive per modum realis Accidentis; & proinde non habere *Cauſſam Efficientem*, ſed *Deficientem*, uti *Auguſtinus* ait de *Civit. Dei Lib.* XII. *Cap.* VII. & IX. reſpiciens ad illud quod propriè Malum morale eſt in *Abſtracto:* Nam in *Concreto Opus Malum Cauſſam efficientem*,

 ha-

habere non negat *Cap.* VI; quia ſcilicet Opus & Actio eſt aliquid reale ac poſitivum. Certè, quòd *Auguſtinus*, quando dixit *Mali Naturam nullam eſſe*, &, Malum eſſe *Nihil*, non modò negaverit Peccatum eſſe quid *ſubſtantiale*, ſed etiam quid *Reale Accidentale*, manifeſtum eſt. *Malum* enim dicit *Privationem* & *Defectum*, *Amiſſionem Boni:* Sed aliquid Boni phyſici eſt in omni Actu & Habitu. Ex *Peccato Nihilo* infert *Auguſtinus*, *Lib.* I. *adv. Jul. c.* 3, (quem locum citavit Adverſarius) *non poſſe habere Auctorem quod Nihil eſt.* Atqui Actus noſtri Auctorem habent, & dependent a Deo ut Cauſſâ primâ, & producuntur a Nobìs, ut Cauſſis ſecundis, quorum neutrum *Auguſtinus* negavit. Deinde *Naturam* explicat *Auguſtinus:* non tantum per *Bonum:* ſed & per τὸ *Eſſe* ſimpliciter, ſive ſit *Subſtantiale*, ſive ſit *Accidentale.*

Locus hanc in rem inſignis extat *Lib.* II. de *Moribus Manichæorum Cap.* II. Nam *& ipſa* NATURA *nihil eſt aliud quam id quod intelligitur* IN SUO GENERE ALIQUID ESSE. *Itaque ut nos novo nomine ab eo, quod eſt* ESSE, *vocamus* ESSENTIAM, *quam* PLERUMQUE (non ſemper, *Eſſentiæ* vocabulum *Auguſtinus* latius ſumſit quam *Subſtantiæ*) SUBSTANTIAM ETIAM *nominamus: ita Veteres, qui hæc nomina non habebant, pro* ESSENTIA & SUBSTANTIA NATURAM *vocabant.* Hìc Eſſentiam & Naturam æque accipi debere docet pro Accidenti ac pro Subſtantiâ. Dicit enim quod ESSENTIA *etiam* PLERUMQUE vocetur *Subſtantia*, non ſemper, ſed quòd *ſubſtantiæ* vox ſtrictius ſumatur, & *Eſſentiæ* Vocabulum latius, etiam

pro

pro *Ente Accidentali*, & pro eo quod quocunque modo *Eſt* & *Exiſtit*. Sed, inquit, Dom. *Vitringa* Fil. ipſe *Auguſtinus*, Aliique Patres *Græci*, ſtatuerunt diſerte Peccatum *Eſſe* aliquid *Accidentale*. Dixerunt enim *Peccata* eſſe *Qualitates ſuperaccedentes*, ſive *Accidentales*, & Animæ *Inexiſtere*, non eſſe *Naturas*, ſed *Vitia Naturarum*, & non poſſe eſſe niſi *in* aliquibus *Naturis*, uti *Auguſtinus*. Pleraque huc ſpectantia quæ adduxit, inveniri poſſunt apud *Suicerum* in *Theſauro*. Sed ſic diſputans contra me, non bene attendit ad hoc, quòd aliud ſit *Accidens* Poſitivum, aliud *Privativum*. Peccatum verò proprie dictum dicimus & docemus eſſe *Accidens privativum*, cum Theologis noſtris, & Eruditiſſimo *Gerh. Joh. Voſſio Lib.* II. *Part.* III. Hiſt. Pelag. cujus verba digna ſunt ut heic adſcribantur. *Formaliter verò*, inquit, *Peccatum eſt ipſa, ut Johannes vocat*, ἀνομία, *quâ voce ſignificatur, non quicquid cum Lege pugnat, (nam & diabolus & homo cum Lege pugnat) ſed ipſa cum Lege repugnantia, ſive ipſa a Lege deviatio. Quæ* ACCIDENS *eſt Actui ſuo modo inhærens: nempe Accidens* NON POSITIVUM, *ſed* PRIVATIVUM. *Eſt enim* carentia *rectitudinis*, *ſive* privatio *conformitatis a regulâ*. Et hoc ſenſu dixerunt Patres peccatum eſſe *Accidens*, *inexiſtere*, *ineſſe*, quia ſtatuerunt quidem eſſe *Nihil*, ſed non *Negativum*, verùm *Privativum*, quod ad inſtar Entis & Accidentis concipitur, & ſermone noſtro exprimitur, & *ineſſe* dicitur. Et hoc ſenſu quoque *Auguſtinus* dixit *Lib. adv. Jul. C.* III. MALA *non eſſe* NATURAS, ſed

VI-

VITIA NATURARUM, *nec esse posse nisi ex aliquibus*, & IN *aliquibus* NATURIS, nec ALIQUID ESSE *malum*, *nisi à* BONITATE DEFECTUM. Malum *proprie dictum* morale expressit, quando dixit, non esse *aliquid*, nisi *a bonitate defectum*, & *mala non esse Naturas*, *sed* VITIA *Naturarum*, id est, Facultatum, Qualitatum, Potentiarum, Habituum, Actionum nostrarum; quibusque *inesse* dixit per modum. sc. *Accidentium Privativorum*; quæ SUO MODO inhærent, ut dixit *Vossius*.

Hæc igitur Doctrina nostra de *Natura* peccati non est *Nova*, quod Dom. *Vitringa* Fil. se *Demonstrasse* temere jactat, sed *Antiqua* Veterum Patrum, & *communiter*, ut dixi, *recepta* a nostris Theologis; atque pro Ecclesiæ sententia haberi potest, quia, quamvis hæc per *Actum*, ut vocant, *Signatum*, seu Synodali sententia judiciaria eam non definiverit, *Actu Exercito* tamen, per jugem Doctorum suorum Traditionem, eorumque fere unanime suffragium comprobavit. Commendat sese insuper hæc Doctrina ex Nexu quam habet cum Dei *Independentiâ* & *Sanctitate*, quæ utraque Perfectio Dei per nostram hanc Doctrinam intemerata servatur. Propter *Independentiam* est *Prima* & proinde *Præmovens* omnium *Actionum* nostrarum *Caussa*; & propter *Sanctitatem* summam suam *Peccare* nequit. Utrumque hoc Attributum Deo illibatum asseritur per Nostram hanc Doctrinam, quæ statuit; *Actum* a Deo produci *peccaminosum*, ita ut Deus non peccet, quia Actus ipse non est peccatum, sed ei peccatum adhæret unicè ex *Relatione*

ejus

ejus ad *Legem*, cui *non Deus* sed *Homo* subjacet. *Sanctitatem* Divinam omnino *lædi* clamat Noster, *non videns* cum Cl. Parente, *qua ratione possit statui illæso sanctissimo Numine*, Deum *creare efficere producere vi irresistibili Actus* peccaminosos *in creaturis suis, potenter ad id præmotis*, absque Peccato. *Qui enim*, ait, *efficit id, vi irresistibili in alio quod alius non potest efficere absque quo peccet, an ille, inquam, longissime removetur à communione peccati, à quâ Deum immortalem per Naturam suam remotum esse concedis? Ad id explicandum nihil Wesselius: cum nihil potius habere debuisset, quam id expedire.* Sic iterum dissimulat veritatem. Paucis verbis quidem, pro instituto meo, sed tamen sufficienter satis ad rem, ostendi, quod Theologi nostri prolixius docere solent, Deum non peccare peccante creatura, quia Actus physicus *non* evadit *Peccaminosus* ex *Natura Actionis* ipsius, sed ex *Conditione Agentis, qui lege vel positiva* vel *æternâ tenetur.* Et addidi §. XXVII. in in fine. *Unde quoque & hoc manifestum evadit, quòd Deus, qui est Caussa Actus physici, neutiquam sit Caussa peccati, sed solus Homo, cui* Lex *Amoris Dei & proximi a Deo data est. Qui nullam sibi* Legem *fixit operandi in Homine semper, præter bonitatem Actus physicam, etiam bonitatem moralem; ex cujus defectu quoque & absentia, liberè & sapienter permissa, occasio Deo nascitur multis modis demonstrandi gloriam suam Divinam.* Quibus in Verbis utique summatim omnia continentur, quæ aliàs ad expediendam hanc difficultatem

 adduci

adduci solent. Scilicet *non Peccat* Deus eundem Actum Efficiendo ut Caussa prima quem efficit Creatura ut Caussa secunda; quia *non deficit* in *agendo* ut Creatura; & quare non *deficit*, quia *Legem* non transgreditur, sed Creatura sola *deficit*, cui *Lex* est posita. Peccatum autem est *Defectus Bonitatis* requisitæ ex *Lege* & *Disconvenientia cum Lege*, seu ἀνομία. *Peccaret* Deus præmovens creaturam peccantem, si iisdem *Legibus* esset subjectus, quibus creatura tenetur. *Adamus peccavit* comedendo de fructu Arboris, *non Deus* præmovendo Eum, quia Adamo soli *Lex* illa posita, non Deo ipsi. Rursus *Peccat Lapsus* & nunc moraliter corruptus homo actu interno & externo violando Legem æternam Amoris Dei & Proximi; non *peccat* Deus, *præmovens* hominem juxta naturam suam corruptam, quia Homini lata est hæc Lex Regia, & Homo illà, prout lata est ipsi, tenetur, non Deus: alioquin & ipse Deus semetipsum invocare adorare & colere deberet. Est quidem Deus sibi ipsi *Lex* per perfectiones suas, ita ut *non possit* semetipsum *non amare*, & *non præcipere* amorem sui supra omnia Creaturæ rationali suæ. Sed nulla Lege tenetur ad *Operandum* amorem sui in Peccatore, ad auferendam labem quam sua culpâ sibi contraxit homo, ad convertendum peccatorem, qui voluntariò sese ab Ipso avertit, & ad impediendos Actus Odii sui & proximi internos & externos in Homine sua culpa lapso, & spontaneo motu continuè ex corrupto Principio agente. Spontaneo motu, inquam, Peccaret enim Deus si *cogeret* creaturam præmovendo,

vendo, ſed non cogit. Admirando Providentiæ ſuæ ductu nos ducit non cogit, præmovendo vult potenter, non quando volumus ipſi, ſed ut velimus, & ſponte juxta naturam noſtram rationalem agamus. Verbo, *poteſt* quidem *impedire* peccatum, ſed non tenetur ut liberrimus Dominus, nec *vult* ut Sapientiſſimus ac ſuæ gloriæ Amantiſſimus, quia ex malo Bonum elicit; atque adeo ſemetipſum & gloriam ſuam *amat* permittendo peccatum, quia abſque eo gloria Divinæ Juſtitiæ & Miſericordiæ manifeſtari non potuiſſet. Hunc *Modum* conciliandi *Actuum* noſtrorum peccaminoſorum *productionem* a Deo cum Ejus *Sanctitate*, in ejuſmodi Dei *Exlegitate*, ut ita dicam, vel *Supralegitate* fundatum, vehementer exagitat Noſter. *Terribilis eſt vox*, ait, *etiam aurium noſtrarum ſenſu refutata, Deus quia eſt ſupra Legem operatur peccatum* (Actum peccaminoſum debuiſſet dicere) *abſque peccato.* Ex hac ſententia talia ſequi dicit, *quæ ſine horrore mentis cogitare aut proponere nobis non poſſumus.* Cum tamen conſtet ex variis exemplis, eundem actum a Deo & creatura edi, ita ut creatura peccet, non Deus, vi *Exlegitatis ſuæ.* Princeps peccat ſi filium pro Patre occidat: Deus non peccat puniendo peccata patrum in Filiis. Ratio diſcriminis eſt, quia Princeps Lege illa *Deut.* xxiv. 16. tenetur, de non occidendo Filio pro Patre; Deus autem hac in parte eſt *Exlex*, cui hoc *jus Liberum* ut ſupremo Domino competit *Exod.* xx. 5. Iterum Homo peccat non impediens peccatum alterius, ſi ſit in ejus Poteſtate; ut Pater, quando ex cru-

 deli

deli indulgentia non impedit Filii ebrietatem, ſcortationem &c. Deus non item. Ratio eſt, quia Homo Lege tenetur impedire, Deus nulla iſtiusmodi Lege conſtringitur, ut Abſolutiſſimus Dominus. Ex quo jure libero ſuo actu permiſit peccatum ad demonſtrationem Juſtitiæ & Miſericordiæ ſuæ. Si diceret Homo; Cur Deus non impediit lapſum meum, quem impedire potuit? Cur me immutabiliter ſanctum non creavit? vel lapſum non ſtatim regeneravit, viresque novas ad bonum impotenti conceſſit? Reſpondendum eſt utique quia *nulla lege* tenetur ad hæc omnia Creaturæ ſuæ integræ vel lapſæ præſtanda. Si itaque ſolutio harum querularum Objectionum rectè petatur ex Dei *Exlegitate*; cur tantopere invehitur in communem noſtrorum Theologorum Reſponſionem, & quidem tam acerbè, ut vix juratus Eccleſiæ noſtræ hoſtis acerbius eam traducere poſſet? Sicuti ergo ſententia hæc Communis Dei *Independentiam* & ſimul *Sanctitatem* ejus tuetur; ſic ab altera parte ſententia Adverſarii ſternit viam ad læſionem graviſſimam *Independentiæ* Dei. Si enim Actus ipſe *peccaminoſus* repugnans legi ſit *peccatum ipſum*, ejuſque *naturam ingrediatur*, & *in ipſum peccatum convertatur*, quia illi *inſeparabiliter* adhæret: & ſi Deus propter ſanctitatem ſuam non poſſit *peccare*, uti revera non poteſt; ſequitur ergo, quod non poſſit eſſe *Cauſa prima ejus Actus*, eumque producere in creatura ſuâ: & conſequenter, quod *omnes Actus peccaminoſi* Divinæ providentiæ *præmoventi* creaturam irreſiſtibiliter ſint ſubtrahendi. *Dom. Vitringa Fil.* hanc conſequen-

quentiam ſatis conceſſit. *An creatura* (ita ſonat ejus Interrogatio vehementer negans) *turpiter & flagitiosè agere poteſt, quando id ipſum agit quod Deus agit?* . . . *An Deus* id idem agere poteſt, *quod idem ſi agat creatura, peſſime agit, impetens gloriam & Majeſtatem Dei? An Deus* vi omnipotente creare & efficere poteſt *tales Actus, qui non poſſunt à creaturis ſuis edi ſine contumelia & læſione honoris ſui? An Deus* poteſt, vi phyſica illos in Hominibus ponere Actus, *quos conſcientia, quos ſcriptura nos docet abominari Deum, & diris ac æternis ſuppliciis velle vindicare?* Hinc *Concurſum* Dei ad Actiones noſtras *prævium*, quem docemus, ita invidioſe depingit, tanquam *ex quo Creatura non tam agat quam a Deo agatur, Deus autem unicè operetur in nobis*; quam *ſententiam Atheorum propriam videri* dicit. Vides itaque Lector, quòd non vanè & abſque ratione conjecerim §. XXIX. in fine. *Quid imprudentior & audacior diſcipulus ex præmiſſis Doctoris ſui aliud concludet, quam Actiones noſtras a Deo Cauſſa prima non aliter dependere, quam ut Virium agendi conceſſarum Conſervatore, & operante modò per generalem quendam & vix intelligibilem influxum, à* CREATURA DETERMINANDUM? Ex qua ſententia quid porro ſequatur, Verbis *Cl. Andala*, (qui Collega Noſtri fuit per breve tempus, ut & Clar. Parentis ejus in Academia Franekeranâ, digniſſimus,) dicere malo quem meis, & ſic finem hiſce *Vindiciis* meæ Diſſertationis de *Natura peccati*, imponere. Ita Ille in *Theol. Supranaturali* de *Pec-*

 cati

cati Natura. Disp. XXIII. § XXI. *Necessaria est itaque distinctio inter* Actum peccato substratum, *& inter ipsum* peccatum, *sive* peccaminositatem, *quæ actui necessario adest respectu creaturæ sublegis; minimè verò respectu Dei, cui ista Lex posita non est. Imo tam necessaria est hæc distinctio, ut hac neglectâ, vel Caussæ secundæ peccantes in agendo statuantur esse Independentes* (QUOD TOLLIT DECRETUM DEI DE QUIBUSCUNQUE ACTIONIBUS MALIS, EARUMQUE PRÆSCIENTAM, PRÆDICTIONEM, ET EFFICACEM CIRCA EAS PROVIDENTIAM, SPECIATIM CONCURSUM, ET INFERT SCIENTIAM MEDIAM, POSITA EARUM PRÆSCIENTIA,) *Vel Deus revera statuatur Auctor Peccati.* Quæ Consectaria, quàm injuriosa sint in Deum, & Scripturæ, ac Doctrinæ Ecclesiarum nostrarum in Unionis Formulis expressæ, Contraria, & Fundamentalis Sanctæ Religionis nostræ Articulos impetentia; Nemo, vel mediocriter rerum divinarum scientia imbutus, non videt.

SE-

SERIES DISSERTATIONUM ACADEMICARUM.

NOMI-

NOMINA

DOCTISSIMORUM JUVENUM

Qui has Dissertationes Academicas publicè cum laude defenderunt.

Dissert.

I CORNELIUS BLOM, Woubrugga Bat. 24 Sept. 1732

II PETRUS SCHUURMAN, Embdanus. 24 & 28 Jan. 1722

III JACOBUS de JONGE, Slusa Flander. 22 Octob. 1732

IV LUCAS LEMAAN, Enchusanus. 2 & 5 Febr. 1723

V PETRUS van OORDT, Medioburgo Zeland. 6 & 10 Jun. 1722

VI GABRIEL RECZYNSKI, Lithuanus. 29 Nov. 1730

VII JOH. REYNHARDUS MENCKE, Clivo-Cliv. 13 Decemb. 1732

VIII JACOBUS FONTAINE, Hasso-Cassellanus. 28 Jan. 1733

IX PAULUS du CAILAR, Delpho-Batavus. 4 Martii 1733

X PHILIPP. NICOLAUS KLING, Francof. ad Moen. 15 April. 1733

XI PETRUS van GILST, Haga Batavus. 9 Maji 1733

XII CONR. BLOM, Leonard. fil. Vlaard. Bat. 24 Junii 1733

XIII JOHANNES ROBERT, Lugd. Bat. 29 Maji 1728

Dissert.

XIV PETRUS MACARE, Medioб. Zelandus.
3 & 7 Febr. 1725

XV PETRUS MOSES FERNANDEZ, Lugd. Bat. 20 Maji 1724

XVI JACOBUS du MARCHIE, Zelandus.
5 Octob. 1729

XVII BERNHARDINUS de MOOR, Goudanus.
12 Octob. 1729

XVIII SAMUEL BAROVIUS, Ameida Batavus.
26 Octob. 1729

XIX NICOL. WOLF van der MAAS, Amst. Bat. }
LUCAS CONYNENBERG, Amst. Bat. } 5 & 16 Nov. 1729

XX ALBERTUS BIERUMA, Lamb. Fil. Groning.
6 & 9 Maji 1722

INDEX

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ

Brevius vel prolixius Explicatorum.

DEUTERON.

JOSUA.

JUDIC.

I. SAM.

I. REG.

II. REG.

I. CHRON.

II. CHRON.

ESDR.

JOB.

PSALM.

PROVERBIA.

ECCLESIAST.

CANTIC.

JESAIAS.

JEREMIAS.

EZECHIEL.

DANIEL.

HO-

HOSEAS.

AMOS.

MICH.

ZEPHAN.

HAGG.

ZACHAR.

MALACH.

EUANGEL. MATTH.

MARC.

LUC.

EUAN-



DISSERTATIO PRIMA.

DE

MIRACULO ET MYSTERIO RUBI ARDENTIS ET NON CONSUMPTI,

AD LOCUM

EXOD. III. 2.

I.



γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται) 2 *Cor.* XII. 9. ſunt verba Chriſti, Dei ac Domini noſtri *παντοκράτορος*, quibus Paulum Apoſtolum, modò in cœlum ſublatum, nunc verò quaſi in tartarum detruſum, conſolatus fuit adverſus graviſſimam tentationem & afflictionem, immiſſam ipſi, ut *Potentia* Domini divina in ejus ſuſtentatione, conſervatione ac corroboratione in fide & amore Dei, omnique opere bono, tantò illuſtrior eluceret. *Potentia* enim Domini cum ſit omnipotentia infinita *Joh.* X. 29, 30. *Apoc.* I: 8. augeri in ſe nequit, nec *perfici* poteſt. *Perfici* autem dicitur, cum *perfecta* declaratur ac demonſtratur nobis per effecta; ſimili ſenſu quo fides dicitur *perfici* ex operibus, ideſt vera ac ſincera declarari *Jac.* II. 22. Sic ſanè *perficitur potentia* Domini *in infirmitate*: quando non ſolùm *per infirmos* magna & mirabilia operatur, ſicuti per *Paullum* imperio ſuo mundum gentilium ſubjecit *Rom.* XV. 15, 16, 17, 18, 19; atque per paucos piſcatores, vileſque & abjectos Galilæos Satanæ in mundo Regnum poten-

 ter

ter destruxit *Psalm.* VIII. 3. 1 *Cor.* I: 25, 27: Verùm etiam quando *in infirmis* potenter operatur; mortuos peccatores vivificat *Job.* V. 21, 25. *Ephes* I: 19, 20; infirma & stulta hujus mundi fide & sapientiâ cœlesti donat 1 *Cor.* I: 26, 27, 28; singulos suos subditos, infirmos, omnique humano auxilio destitutos, adversus hostes infernales & mundanos validissimos, omnisque generis tentationes atque persecutiones munit defendit atque custodit *Job.* X. 28, 29, 30. 1 *Pet.* I: 5. *Jes.* XLI. 10; imo totam in hisce terris Ecclesiam militantem, ut verè inermem ovium gregem, tuetur adversus vim omnem mundi & portarum inferni *Matth.* XVI. 18.

II. Illustre hujus *potentiæ* suæ in *infirmitate consummatæ* specimen atque documentum dedit Dominus Mosi apparens in *Rubo*, in deserto Sinai. Ubi non modò ostendit magnitudinem *potentiæ* suæ in *Emblemate*, in *Rubo* nempe vili, infirmo, facilè flammam concipiente, atque per eam comburendo, qui tamen miraculosâ ejus, *Angeli Jehovæ* dicti, præsentiâ ac *potentiâ* non consumebatur: verùm etiam & magis in Re isthoc emblemate *repræsentata*, nimirum in *Ecclesiæ Israëliticæ*, imo & totius *Ecclesiæ militantis*, futuræ postea in terris, mirabili *Conservatione* usque ad finem seculi, non obstante *igne* afflictionis perpetuo, nunc magis nunc minus arsuro, & incensuro *Rubetum* Ecclesiæ; ut sic *Virtus* Domini *in infirmitate ejus perficeretur*.

III. Quamquam Veteres & Recentiores Interpretes magno numero & prolixis Commentariis hanc verè *magnam Visionem*, (cujus alibi in Sacra Scripturâ haud semel est mentio facta, à Mose *Deut.* XXXIII. 16. à Christo *Luc.* XX. 37. atque a Stephano *Act.* VII. 30, 31.) illustraverint, haud tamen omnia ita occupavit eorum diligentia, quin aliquod spicilegium nobis reliquerint, & nonnihil observandum, quod ad clariorem & pleniorem hujus *Miraculi*, & sub eo latentis *Mysterii*, intelligentiam aliquid insuper conferre potest. Quod ut ostendamus, *Literalem* primò magnæ visionis hujus dabimus *Sensum*: & deinde *Mysterium* latens,

seu

ſeu rem *ſpiritualem* ex divino conſilio *figuratam*, perſcrutabimur. In *Literâ* verò occurrunt expendenda, *tum* generalior *Apparitionis* Domini Commemoratio, tum ſpecialior *Modi* ejus Enarratio. Generalius iterum conſiderabimus Perſonam *Cui* viſio hæc obtigit, & deinceps *Quæ* apparuit, & denique ejus *Apparitionem* memoratam.

IV. Cui apparuit Dominus indicatur per אליו *illi*, nempe Mosi, de quo ℣. 1; qui nepos erat Patriarchæ Levi ex matre Jochebed *Num.* XXVI. 5, ſed ex Patre Amram & Avo Kehath ejuſdem pronepos *Exod.* II: 1. VI. 19; jam octoginta annos natus *Exod.* VII. 7, quorum 40 priores in aulâ Pharaonis quoad maximam partem *Exod.* II. 10, 11, & poſteriores in peregrinatione Midianiticâ tranſegerat *Act.* VII. 30. *Exod.* II. 15, reliquos 40 annos vitæ ſuæ tranſacturus in ducatu populi, ad quem nunc vocabatur â Domino, ex Paſtore pecudum conſtituendus in Paſtorem Iſraëlis, ut hunc Paſtorali clementiâ, patientiâ, aſſiduitate & æquitate, virtutibus hiſce jam ſatis per exercitium artis Paſtoriciæ eruditus, gubernaret. *Paſcebat* enim *gregem Jithronis ſoceri ſui ſacerdotis* ſeu *præſidis Midianitarum*: quem cum duxiſſet *poſt deſertum* אחר המדבר, id eſt; *vel in* locum irriguum, floridum, herbiſque abundantem; vel potius *poſt partem* deſerti, (*ad interiora deſerti* habet *Vulg.*) umbras in ſilvoſo quodam ejus clivo quærens & in horridi dumeto Sylvani, ut gregem ab æſtu meridiano ſubduceret, (uti vult *Moncæius* de *Apparitionibus*, *Faſc.* IX. *Opuſc. Philol.*) *Venit* ad *montem Dei*, ad *Horeb*, legislatione poſtea illuſtrem, atque alio nomine *Sina Act.* VII. 30. dictum, niſi malimus partem montis *Sinai*, ejuſque cacumen alterum appellatum fuiſſe *Horeb*.

V. Qui apparuit *in* hoc monte, coll. ℣. 12, Angelus Domini dicitur, qui non erat creatus aliquis Angelus, qui in Perſona legantis Dei loqueretur, ſed *Deus* ipſe, & *Perſona Divina*, una ex ſacroſancta Trinitate. Appellatur enim יהוה ℣. 4, 18, quod nomen ſoli Deo proprium

est *Hos.* XII. 6, & idcirco creaturæ dari nequit. Sicuti & nunquam inter homines legato alicui nomen Regis aut Principis legantis proprium tribuitur. Talia præterea hic *Angelus Domini* loquitur, quæ solus Deus potest eloqui, & quidem absque ulla præfatione, à Prophetis Dei aliàs, atque à legatis Regum terræ adhiberi solitâ, *sic dicit Deus*, vel *sic dicit Rex*. Qualia verba pronunciat hic Angelus in sequentibus: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci*, & *Deus Jacobi*, ℣. 6, *coll.* ℣. 15. *Matth.* XXII. 31. 32. *Marc.* XII. 26: *videndo vidi afflictionem populi* MEI, (coll. *Exod.* XIX. 5, 6) *& clamorem eorum audivi*, ℣. 7: *Ecce clamor filiorum Israelis pervenit ad* ME: ℣. 9. (*coll. Deut.* VI. 13. *Matth.* IV. 10) MITTAM *te ad Pharaonem, deinde educito populum* MEUM *filios Israëlis ex Ægypto* ℣. 10: *ero Tecum*, *& hoc esto signum tibi quod* EGO *miserim te*, ℣. 12: אהיה אשר אהיה ERO QUI ERO —— *sic dicito filiis Israëlis*, אהיה ERO *misit me ad vos* ℣. 14: *Jehova Deus Patrum vestrorum*, *Deus Abrahami* —— *misit me ad vos*: *hoc est nomen meum in seculum*, *& hoc memoriale meum in omnem ætatem* ℣. 15. An ita loqui potest nuda creatura? An ita loqui auderet Angelus creatus absque ullâ præfatione, *sic dicit Deus*. Quare temerè admodum & fastuosé, contra affectatam quandoque ipsorum modestiam Remonstrantes in Apologiâ *Cap.* III. *Sect.* III. hunc quoque locum nostrum annumerarunt iis, in quibus nomen *Jehova Creaturis* passim in Scripturâ tribuitur, & quidem *tam aperte*, *ut frontem perfricuisse censeri debeat*, *qui id negare audet*. Certum est porro quod hic *Angelus* Domini *apparens* in *Rubo* appelletur à Mose *Deut.* XXXIII. 16 שכני סנה, id est, vel *Habitator Rubi*, (quando *Jod* in שכני est paragogicum) vel *meus Rubi Habitator*, (quando esset affixum primæ personæ) qui erat objectum fidei amoris ac obsequii Mosis summum; a quo ille Josephi posteris precatur omnem benedictionem, ut *ejus gratia veniat in illius caput*. Neque dici debet cum *Eniedino*, *Alium* fuisse *Angelum* qui Mosi *apparuit*, & *Alium* qui cum ipso *locutus* est.

Nam

Nam nullibi in hac historia *Apparens* à *Loquente* distinguitur *essentialiter*. Stephanus quidem dicit *Act.* VII. 35. *Deum misisse Mosen manu Angeli qui visus fuerat ei in rubo*: verùm sic distinguit *Angelum* hunc a *Deo personaliter*, ut unam personam divinam ab aliâ, quæ distinctio latet quoque in phrasi מלאך יהוה, quæ est in Textu, & quæ non per appositionem *Angelus Jehova*, sed in regimine posita est, *Angelus Jehovæ*, ut indicetur mysterium pluralitatis personarum divinarum. Nec aliter intellexerunt hoc Patrum Antiquissimi. Disertè *Justinus* in *Dial.* cum *Tryphone* p. m. 283. scripsit, quod λόγος *solus*, *qui & Angelus vocatur & Deus est*, ὤφθη καὶ προσωμίλησε τῷ Μωσεῖ, *apparuerit* & *verba cum Mose commutaverit*. Similiter *Irenæus Cont. Hær. Lib.* IV. *C.* VII. §. 4. omnem Angelum creatum hic exclusit. Verba *Hilarii Lib.* IV. *de Trinit.* emphatica sunt. *Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur, & visionis locus unus & vocis est, neque alius quam qui est visus auditur. Quia qui Angelus Dei est cum videtur, idem rursum cum auditur, est Dominus.*

VI. Dominus autem hic qui apparuit & locutus est, non est Deus *Pater*, à quo distinguitur hic *Angelus*, & à Stephano, l. c., & à Mose, cum Angelum *Jehovæ* eum vocat. Nec *Angeli* nomen unquam datum est *Patri*, nec commodè ob naturalem ejus subsistendi ac operandi ordinem dari potest. Aliud argumentum addit Cl. *Coccejus* ex *Joh.* v. 37. ubi dicit Christus, *vocem patris non audivisse Judæos.* Neque etiam hic *Angelus Jehovæ* est *Spiritus Sanctus*. *Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolo*, ait *Augustinus Lib.* II. *de Trin. C.* 12. Posse ita appellari non nego. Ita verò aliquoties vocari, quod nonnullis Viris doctis hodie placet, nondum compertum satis habeo. Sed hoc mihi certum est, quod hoc in loco intelligi nequeat: Quia hic *Angelus* Domini se declarat Liberatorem populi, atque adeò *Angelum Faciei* illum, à quo *Spiritus Sanctus* manifeste distinguitur *Jes.* LXIII. 9. 10. 11. Remanet ergo ut sit

sit *Filius Dei* Redemtor ac Mediator: qui nomine *Angeli* frequenter venit in V. T. *Gen.* XVI. 7. 9. 10. 13. XLVIII. 16. *Exod.* XXIII. 20-23. *Judic.* VI. 21. 22. XIII. 3: 18. *Job.* XXXIII. 23. 24. *Jes.* LXIII. 9. *Zach.* III. 1. *Malach.* III: 1. & qui à Stephano *Angelus Act.* VII. 35. ἐν χειρὶ ἀγγέλου, sed à Paulo *Mediator* appellatur *Gal.* III. 19. ἐν χειρὶ μεσίτου. Neque obstat Locus *Act.* III: 13. *Deus ille Abrahami & Isaaci & Jacobi*, *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum*; nam Filius cum Patre, & Pater in Filio est Deus Abrahami.

VII. Certè Filius Dei meritò appellatur *Angelus Jehovæ*: non ob Emissionem ac Processionem naturalem à Patre: neque ob Ordinem operandi naturalem, juxta quem Pater *per* Filium operatur; nam *Angelus* officii nomen est, non naturæ: neque etiam quia in *Angelo* creato apparuit, seu in signo visibili, quo solebant Angeli hominibus apparere, quemadmodum cum in humanâ formâ videbatur, *Vir* dictus est: neque tandem quia futura prænunciavit, & sic *Nuncii* nomen meruit, uti *Philo Judæus* in lib. de *Vita Mosis*. p. m. 612. Sed quia *Missio* ejus in mundum ad Munus Mediatoris obeundum in Concilio Trinitatis ab æterno erat decreta 1 *Pet.* 1: 20. & quia vi hujus decreti immutabilis, quo & ipse voluit in tempore fieri Mediator, & *mitti* à Patre, & consequenter vi sanguinis sui in assumenda humanitate fundendi, nec non per Virtutem divinam suam, Electorum salutem tunc quoque sub V. T. procuravit *Act.* XV: 10. 11. ut Angelus Fœderis, Mediator ac Sacerdos *Job.* XXXIII: 23. 24. *Psalm.* LXXX: 16. 18. CXIX: 122. *Dan.* IX: 17. *Zach.* I: 12. IX: 11. *Malach.* III: 1. absque ullo tamen ministerio dependentiæ & subjectionis actualis *Gal.* III: 19. 20. quam *Ariani* ex hoc nomine *Angeli* olim frustra colligebant. Vide quæ de hisce scripsimus in *Prima parte Dissert. Sacrar. Leidens. Dissert.* I. §. XXVI. & *Dissert.* XIV. ad *Gal.* III: 19. 20. Optime *Calvinus* in locum nostrum: *Quoniam ergo tunc proprie loquendo nondum nuntius Patris erat*, *Prædesti-*

destinatio tamen ad officium jam ita vigebat, ut patribus sub hoc habitu (sc. nuntii) *cognoscendum se præbuerit. Nec sane unquam alia sanctis fuit communicatio cum Deo, quam per Mediatorem promissum. Itaque nil mirum si æternus Dei sermo —— nomen* Angeli *mutuatus sit futuræ legationis respectu.* Nec tantùm ob missionem ejus decretam, certòque futuram, ejusque tunc quoque extantia effecta salutaria dictus fuit *Angelus Domini*, verùm etiam ob *missionem Symbolicam*, quia scilicet *in Creatura* visibiliter apparuit quandoque, atque *missionis suæ* in orbem terrarum *Præludia* dedit *Prov.* VIII: 30. *ludendo* in orbe terræ in *Apparitionibus* & *Colloquiis* cum hominibus habitis, variis in formis, figuris, habitibus, modisque Apparitionis. Quod festivâ quadam similitudine illustrarunt Patres apud *Lorinum* in *Act.* VII. *pag.* 337.

VIII. Ejusmodi Apparitio & heic memoratur verbo וירא. *Et*, vel *Tunc visus est*, *apparuit*, Angelus Domini. *Apparere* dicitur Deus, & speciatim Filius Dei; cum dormientis aut in ecstasin rapti phantasiæ & facultati imaginatrici præsentem se sistit *signo* aliquo *visibili*, vel etiam *audibili* *Gen.* XXVI: 24. 1 *Reg.* III: 15. IX: 9. XI. 9. 2 *Chron.* 1--7. & cum vigilantis sensibus externis simili modo se exhibet: Vel *Voce* sola 1 *Sam.* III: 21. Vel in *Humana forma* & *loquelâ* simul *Gen.* XII: 7. XVII: 1. XVIII: 1. 2. 22. 34. XXVI. 2. XXXII. 24. 30. XXXV: 1. 6. 7. 9. XLVIII. 3. *Jud.* VI: 12. 21. 2. XIII: 3. 6. 8. 16. 20. Vel denique *in alia* quadam *creatura* per divinam potentiam productâ; qualis fuit *Ignis* devorans sacrificia *Levit.* IX: 4. 23. 24. & *Columna* nubis & ignis *Deut.* XXXI. 15. *Exod.* XVI. 10. *Num.* XIV: 10. &c. & *lucidissima* illa *species* Dei Israëlis *Exod.* XXIV. 10. nec non *Ignis* ille *visus* in monte Sinai cum *voce* Domini auditâ, absque ullâ Dei imagine aut simulacro *Exod.* XIX: 18. XXIV: 17. *Deut.* IV: 12. 15. 36. XVIII: 16. Ejusmodi *creatura* quædam & heic adfuit in monte Horeb, in quâ Dominus apparuit Mosi; nempe *Ignis flamma*, *Rubetum incen-*

cen-

cendens, sed non consumens. An præterea adfuerit *Forma* quædam *humana*, uti videtur existimasse *Irenæus* l. c. aut alia quædam visa quoque *Forma pulcherrima nulli visibili similis*, τοῦ ὄντος *imago, è medio ignis promicans*. de qua loquitur *Philo Judæus*, in Libro de *Vita Mosis* p. m. 612. affirmari pro certo nequit. Moses enim Angelum Jehovæ esse in Rubo non nisi ex auditu percepisse videtur ex *vs.* 3. 4. 5. 6. quando *Deum ex igne*, ut *symbolo* præsentiæ, loquentem *aspicere verebatur*.

IX. Sequitur ergo specialior *Modi Apparitionis* Enarratio. Ubi *primò* dicit Moses, quòd apparuerit Angelus Jehovæ sibi בלבת אש *Belabbath eesch*, id est; vel in *corde* seu *medio ignis*, quando *belabbath* esset scriptum pro *belibbath*, à voce לבה *libbah cor Ezech.* XVI: 30. quemadmodum alibi patach pro chirek sub Gimel est positum in voce ובגנה *Jes.* LXI: 11; vel potius *in flamma ignis*, ut בְּלַבַּת sit positum pro בְּלַהֲבַת, a voce להבה *flamma*. Et ita acceperunt vocem LXX. ἐν πυρὶ φλογὸς, & *Lucas* in *Actis*, *Cap.* VII. 30. ἐν φλογὶ πυρὸς, & *Vulgatus*, *in flamma ignis*. Non erat verò mera ignis species ac similitudo, sed verus ignis, aliàs enim Moses pro miraculo non habuisset, quod ignis ille rubum non combureret, uti bene observatum est a *Bonfrerio*. Præterea *Flamma ignis* est: vel *ignis cum flamma*, flammans, unde LXX. habent ἐν πυρὶ φλογὸς *in igne flammæ*, flammam producente, (coll. *Jes.* IV. 5.) nam datur quoque ignis absque flamma, ut in ligno, carbone, ferro, cespite ignito, aut alii materiæ immixtus: vel *flamma* quæ erat revera *ignis*, vi adurendi & comburendi præditus, non lucens modò sed & urens, unde dicitur in sequentibus, quod *rubus ille arderet igne*. Flamma verò cum sit fumo proxima, hæc purior fuisse videtur absque denso fumo admixto, quia aliàs Moses haud ita distincte ramos non consumtos conspicere potuisset. Quando porro *in hac flamma ignis* dicitur *apparuisse* Angelus Domini, non significatur,

catur, uti dictum est, alia quædam forma corporea in medio flammæ conspicua, sed *ipsa illa flamma*, ipseque *ignis*, symbolum visibile præsentiæ Domini statuitur. Eodem modo quo dicitur *Exod.* XIX. 18. *descendebat super eum Jehova in ipso igne* באש, coll. *Deut.* IV: 12. 15.

X. *Secundò*, addit Moses מתוך הסנה LXX. ἐκ τοῦ βάτου *Vulg. de medio rubi.* Non occurrit סנה, quantum mihi constat, punctata cum Scheva & Segol, nisi hîc *vs.* 2. 3. 4. & *Deut.* XXXIII: 16. Non significat *Palmam*, nobilissimam & pulcherrimam illam Arborem, quæ Hebr. תמר & Græcè φοίνιξ dicitur, quod multis nuper & animosè satis, haud tamen absque ingenii & variæ eruditionis demonstratione contendit *Georgius Vereſtoi*, *Transilv. Hungarus*, in Dissertatione Philol. Theol. de *Palma Ardente*, quam ante septennium in Academiâ Franequerana publicè defendendam suscepit: quemque Actum suo præsidio Celeberrimus *A. Schultens*, tunc temporis in illa Academia, nunc apud Nos Linguarum Orientalium Doctor, atque Ill. ac Præpot. Ord. Holl. & Westfrisiæ Collegii Regens dignissimus, condecorare voluit. In qua Dissertatione Auctor abundè testatum dedit verbis & opere ipso, quantum in scientia Orientalium linguarum ac rerum illo consummato Magistro profecerit. Conscripseram dudum hanc Disputationem meam antequam Compendium istius Dissertationis in Musæo Bremensi, & postea ipsa Dissertatio in manus meas pervenerunt. Audivi quoque Clar. *Hasæum*, juxta promissa in Musæo illo Bremensi data in peculiari Dissertatione hanc novam sententiam sub examen revocasse, atque Dissensum suum testatum fuisse. Sed illam hactenus mihi videre haud licuit. Neque ego video rationes a Doctissimo Auctore allatas tanti esse ponderis, ut ab recepta sententia discedere hac in parte cogant. Meritò omnes Interpretes statuerunt hactenus vocem סנה denotare fruticem spinosum, & speciatim *Rubum*. Quam communem hypothesin firmare possunt aliquatenus meo qui-

 dem

dem judicio, hæc, a me Disputationi jam conscriptæ inserta, sequentia.

XI. Voci סנה (de quâ Auctor ille dicit, quod *nunquam apud Arabes Rubum significet* p. 95. & in derivatis apud Æthiopes & Arabes *pulchritudinem*, *sublimitatem* ac *eminentiam*, Palmæ, non Rubo adscribendam, notet p. 88. 113. 114. 117. &c.) inesse videtur *acuminis*, *punctionis*, ac *penetrationis* communis quædam notio, si ad derivata quædam, ac affinia vocabula in Hebræâ lingua attendamus. Haud caret probabilitate quod nonnulli monent Lexicographi, à voce hac סנה *Seneh* derivata esse Latina Vocabula *Sentis* ac *Sentus*. Propter *acuminis* notionem שן הסלע *dens* seu *scopulus acutus petræ* alter dictus videtur סנה *Seneh* cum duplici segol 1 *Sam*. XIV. 4. *Affine* est שנן *Schanan acuit*, *ut sunt aculei in rubo*, inquit *Gussetius* ad vocem סנה, *non quod intra linguæ Ebraicæ pomoeria* ס *unquam ponatur pro* ש, *sed quia id fit in Arabismo*, *ut* ס *ponatur pro* ש *Hebræarum radicum. Bochartus* in Geographiâ Sac. Lib. II. C. XVII. סן San (in Sanchoniaton) *decurtatum ex* סנה *sanna. Id Phœnicibus idem fuit quod Arabibus* Sunna *Lex Doctrina. . . . Hinc Phœnicia urbs eadem*, *modò appellatur* קרית־ספר Kirjath-sepher *Urbs literarum Jud*. I: 11. 12. *Jos*. XV. 15. 16. modò קרית־סנה Kirjath-sanna *Urbs doctrinæ seu Legis . . . .* πόλις γϱαμμάτων. *Radix* סנן *Arabibus primò est* acuere, *deinde* exquisitè docere, *ita ut* acutior *fiat & perspicacior is qui docetur. Atque id ipsum est Hebræis* שנן, *unde est quod de legis mandatis dicitur Deut*. VI. 7. שננתם לבניך *explanate docebis ea filios tuos*. Ita vertit *Bochartus*. Sed *Trem*. & *Jun*. *Eaque* acutè *ingeres filiis tuis*. *Gussetius* ad verbum שנן scripsit. שנן *de doctrinâ Deut*. VI. 7. *dicitur tradendâ iis modis quibus maximè* penetrare *animum queat*, *tanquam arma acuta. Sic convenit cum metaphora verbi* הורה jaculari, *in animum scilicet*, *ut ei infigatur altissime*. Ex quibus apparet vocem *Sannah* affinem nostræ *Seneh* notionem habere doctrinæ *acutæ*,

tæ, quæ penetrat in mentes discipulorum. Haud absque ratione quoque cogitari posset ad *acuminis* significationem respectum esse in voce סנסנים, quam geminatis literis ex nostra סנה esse factam volunt. Occurrit illa, semel lecta, *Cant.* VII. 8. *dico conscendam palmam*, *prehendam* בסנסניו *acumina ejus*, seu *ramos*, quos *cacumine* tantum in orbem spargit Palma, eorumque ramorum *extrema*, *acuminata* magis; LXX. τὰ ὕψη αὐτȣ̃ *summitates* ejus, *apicesque* foliorum ejus instar *ensis* ac *gladii acutos*, uti refert *Bodæus* in *Theophrast.* Lib. II. C. VIII. p. 98. Pro cognatis Vocabulis haberi quoque possunt; צנה *Tzinna*, *aculeus Amos* IV. 2. & *frigus*, quia pungit & penetrat *Prov.* XXV. 13. nec non צנינים *sudes*, *spinæ*, *aculei* Num. XXXIII. 55. *Jos.* XXIII. 15. & contractè צנים *Prov.* XXII. 5. *Job.* V. 5. Unde desertum צן *Num.* XIII. 21. a *spinis*, uti desertum סין a *rubis* seu spinosis fruticibus quam plurimis *Exod.* XVI. 1. quodque idem cum צן esse volunt quidam, alii verò distinguunt, ut latius & angustius. Litera enim צ uti facile permutatur cum ש in יצחק & ישחק *Amos* VII. 9. 16. ita & cum ס, uti ex עלץ & עלס, non sensu sed cognatione literarum distinctis vocibus, apparet. Quoniam ergo vox סנה *spinosum* quid & *aculeatum* notat, non ducit nos ad Arborem nobilissimam illam *Palmam* dictam, sed ad fruticem aliquem aculeatum, & *Rubum*: vel si ita velis, ad quoddam *palmarum minorum* genus, quod a Chaldæis ac Talmudicis exprimitur vocibus צנא & צנין, & in deserto *Tzin* frequentissimum est; de quo *Hillerus* in *Onomastico p.* 575. & in *Hierophytico p.* 126. *Fuit & Palmarum genus humile*, *fruticem non excedens*, armatum spinis, *quod apud Theophrastum* χαμαίῤῥιπες *& a Dioscoride* χαμαίζηλον, *ab Hebræo* צן *vel* צנים *adpellatur*, *quod frequentia sua & Deserto*, & *Urbi* Tzin, *quæ & Cades*, *nomen fecit* &c. Sed hoc spinosarum palmarum genus, formam gerens indecoram tortam ac humilem, non intendit Auctor prænominatus, qui divina Majestate indignum judicat in spinoso fruteto ac *senticeto* ap-

apparere, cum hoc sit iræ suæ signum in terra, ac *maledictionis suæ perpetuum instrumentum.* In quo tamen magnopere errat. Nam; præterquam quod Rubus ipse non sit Dei symbolum, sed ignis in rubo; rubus unus aut alter non est signum iræ & *maledictionis instrumentum*, ut dicit; quia proculdubio hic frutex, non plane inutilis nec absque omni fructu, ante lapsum quoque in terrâ hac locum habuit: sed numerus & copia ingens *spinarum* ac *carduorum*, nec suo loco crescentium, Pœnæ istius rationem habet, quam post Lapsum denunciavit Deus *Gen.* III: 18. Neque cogitavit Auctor ille; quod Deus in *sublimi* & *sancto* habitet non solùm, verùm etiam quod gloriam sibi ducat ignobilia vilia contemta ac stulta hujus mundi eligere atque erigere in Templa gloriosæ gratiæ suæ 1 Cor. I. 26. 27. 28. & deinde quòd illud, quod Moses voce סנה indicare voluit, *symbolum* fuerit populi vilis, contemti, depressi, in luto & lateribus operantis, animoque dejecti, ut ex subjecta Domini Explicatione colligitur; quodque *symbolum* proinde in *vili Rubo* longe aptius reperitur, quàm in erecta, celsa, validâ ac splendidâ *Palma*, quamvis & hæc aliàs populi Dei, sub aliâ σχέσει considerati, egregiam exhibeat imaginem *Psalm.* XCII. 13. *Cantic.* VII. 7. 8. Neque hoc prætereundum est, quod Moses in sequentibus legatur miratus, non quod *Seneh* ardeat, sed quod *non combureretur*, cum tamen, si *Seneh* nobilis Arbor illa fuerit, *Palma* dicta, vel una, vel integrum *palmetum*, magnæ admirationis caussa ipsi fuisset data in arbore isthac incensâ; quoniam palmæ lignum validum *difficulter ardet*, uti *Bodæus* ex *Theophrasto* ad *Hist. Plant. Lib* V. c. IX. adnotavit. Tandem quod maximè adversus hoc novum εὕρημα observari velim, est quod Græci Interpretes V. T. eosque secuti Scriptores N. T. infallibiles סנה transtulerint per βάτος. Quod vocabulum nusquam pro nobili *palma* sumitur. Acceperunt illud proculdubio οἱ LXX. eodem sensu communiter recepto, quo *Theophrastus*, Platonis & Aristotelis Auditor olim, βάτον re-

retulit inter illos frutices, qui *in ramis aculeum gerunt*, *Hist. Plant. Lib.* VI. *C.* I. cujusque plura genera descripsit *Lib.* III. *C.* XVIII. Neque alio sensu, scilicet pro *planta* vel *arbore sponte nascente*, uti vult Auctor ille, sed pro *frutice aculeato*, & *Rubo* speciatim posuerunt vocabulum βάτος Scriptores N. T. commemorantes hanc Apparitionem divinam, ut *Marcus* in Euangelio *Cap.* XII. 26. & *Lucas* in Euang. *Cap.* XX. 37. & in Actis. *Cap.* VII. 35. Hic enim βάτον pro *spinoso* frutice posuit in Euang. *Cap.* VI. 44. οὐ γὰρ ἐξ ΑΚΑΝΘΩΝ συλλέγουσι σῦκα, οὐδὲ ἐκ ΒΑΤΟΥ τρυγῶσι σταφυλήν *Neque enim è* SPINIS *colligunt ficus*, *neque è* RUBO *vindemiant uvam.* Illa οὐδὲ ἐκ ΒΑΤΟΥ τρυγῶσι σταφυλήν posita sunt à Luca loco eorum quæ apud Matthæum sunt *Cap.* VII. 16. μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ΑΚΑΝΘΩΝ σταφυλήν *Num colligunt ex* SPINIS *uvam?* Ex quibus manifestum est quod Lucæ βάτος nihil aliud sit quam frutex ἀκανθώδης. Cui etiam nomen βάτος apprimè convenit, descendens â βάω & βαίνω; sive notet id *quod spontè*, nulla culturâ humanâ interveniente, provenit ex terra, quod sanè Rubis spinosisque fruticibus maximè convenit; sive βάτος sit quasi ἄβατος, ut Nicandri Scholiastes apud *Bodæum* in Theophrast. Lib. III. C. XVIII. dudum adnotavit, eò quod indomita sit planta, *accessumque* propter spinas, quibus valde pungit, non admittat. Si post hæc omnia Doctiss. Auctor de *Palma ardente* pergat, *Adversarios* suos *obsecrare ut demonstrent montem Sinai famoso illo Rubeto inborruisse*, ac dubitare an *in monte Sinai*, *seu ad radices* ejus *Rubetum* inveniatur: meritò quis ab Ipso vicissim postularet, ut demonstret inter arbusta deserti *Sinai*, *Sin* & *Tzin*, (quæ voces ipsâ soni & literarum vicinitate nos ducunt ad *Sentes* & *Senticeta*) nullum unquam *Rubum*, nullum *Rubetum* fuisse, nec crescere potuisse. Quod nemo sanus & sobrius demonstrandum sibi sumet. Certè Veteres & hodierni Christiani, incolæ & accolæ Montis Sinai, non credidissent olim, nec hodie crederent Deum in *Rubo* Mosi apparuisse ibi, quod refert tamen de iis *Petrus Della Valle part.* I.

C. 28. *p*. 128. si desertum istud ab horrido dumeto omni plane abhorreret: Neque *Philo*, Judæus Alexandrinus, de *Vita Mosis* Lib. I. βάτον, in quo Dominus apparuit Mosi, vocasset, ἀκανθῶδές τι φυτὸν ἀσθενέϛατον; neque *Josephus* Ant. *Lib*. II. *C*. xii. appellasset θάμνον βάτων vel βάτȣ; si dubitasset hic, vel ille, solum sinaiticum, aculeatos frutices, rubosque invalidos tulisse unquam, aut ferre potuisse. Tandem *Buxtorfius* in *Lexico* minimè negat *veros* Rubos monti *Sinai* (a סנה Rubus) dedisse Nomen, quando etiam *figuratos* in *lapidibus* ibi inventis *Rubos* adducit ex Commentatoribus in Lib. Mor. Nebhuchim *part*. I. *C*. 66. Vide etiam *Drusium* in *Deut*. 1. *Mosis Gerundensis* & *Kimchii* verba adducentem.

XII. Sed ut è diverticulo in viam redeamus, סנה est βάτος Rubus; cujus cum tria genera, maxime inter se distantia, recenseat *Theophrastus Hist. Plant. Lib*. III. *C*. xviii. & *Plinius Nat. Hist. Lib*. XVI. *C*. xxvii. plura verò Recentiores enumerent apud *Bodæum* in *Theophrastum* l. c, quærunt nonnulli Interpretes, quodnam genus heic intelligi debeat; an *Vulgaris* βάτος, an *humi repens* χαμαίβατος, an *Canirubus* κυνόσβατος, quem inter arborem & fruticem medium dicit *Theophrastus*, &c. *Cujus generis fuerit iste Rubus, nemo quem viderim explicavit*, inquit *Ursinus* in *Arboreto Cap*. xxvi. *p*. 347. Humirepens *Chamæbatus quia densior* & *avidius ignem concipit* non displicet *Hillero in Hierophytico p*. 476: *Vulgaris* βάτος ita describitur a *Bodæo* l. c. *Vulgaris Rubus tenues, oblongos, lentos ac obsequiosos caules edit, gracilitate & proceritate nimia in terram retractos, duris, minacibus, aduncis, pungentibus, asperis ac nocentibus spinis communitos.* Post *folia* & *flosculа* descripta ita pergit de fructu & radice; *Fructus ex compluribus acinis moro similis, sed multò minor est; initio rubens, per maturitatem niger, gustu cum dulcedine quadam subacidus: radix nodosa & fibrosa etiam serpit, subinde nova germina proferens.* Hujus generis fortè fuit Rubus Sinaiticus ille, in quo Mosi apparuit Dominus. Sed nihil determinamus.

XIII. Hoc interim certum nobis videtur, non fuiſſe unicam plantam, uni radici inſiſtentem, ſed ruborum multitudinem, ſeu plurium plantarum Complexum. *Revera*, inquit *Gusſetius*, *in tali deſerto, & in monte vix reperies rubum unam ſeorſim ſitam, ſed pullulant multæ, quæ* Rubetum *conſtituunt.* Et bene notavit *Moncæius*, quod *dici non poſſet*, Dominum in *unius* Rubi, *fruticis gracilis*, *medio*, apparuiſſe. Sicuti igitur *Quercus* pro *Querceto Gen.* XII. 6, *Palma* pro *Palmeto Jud.* IV. 5. ita etiam hic *Rubus* pro *Rubeto* ponitur; quare Belgæ recte verterunt *Braembosch*, & *Marc.* XII. 26. *Luc.* XX. 37. *Act.* VII, 30. *Doornenbosch*; ex cujus *medio* emicuiſſe dicitur flamma ignis, quia magna pars ſylvæ flamma illâ correpta erat.

XIV. *Tertiò* hoc ſe vidiſſe teſtatur Moſes וירא *Et videbat*, oculis nempe corporis & vigilans, & abſque magnâ in initio admiratione, quod indicavit præmiſſo hoc verbo, *& videbat.* Neque erat res admiranda magnopere, quod *Rubus*; quem φρύγανον appellat *Theophraſtus* (qua voce, à φρύγειν & φρύττειν, *omnia minuta arida & ſicca ligna, ignisque fomenta ad cremandum facilia continentur*, uti *Bodæus* ſcripſit ad *Lib.* I. *C.* 5. Theophraſti) & qui ſemper *ramos ſiccos viridibus mixtos*, juxta *Rivetum*, plures habet; in aridis & calidiſſimis illis locis, per cœli & ſoli ardores, incenſus eſſet; Vel validâ ventorum vi agitatus ignem concepiſſet, quod factum fuiſſe nonnunquam colligunt ex fabulâ Jothami *Judic.* IX. 14. 15. apud *Urſinum* in Arboreto *p.* 322; Vel etiam quod Rubeto ac Dumeto iſti ab uno paſtore vel altero ignis ſubjectus fuiſſet, quia ſub combuſtis illis Dumetis herbæ delicatiſſimæ creſcebant, uti adnotatum eſt à *Riveto.* Verùm poſtquam rem hanc attentius & diutulè *aſpexiſſet* atque conſideraſſet, animadvertit aliquod verè ſtupendum, omnique admiratione dignum, quod nempe Rubus iſte, *igne arderet* quidem, *ſed non conſumeretur.*

XV. Hoc *Quartò* ſignificat, quando addit. והנה הסנה בער באש והסנה איננו אכל *Et ecce, Rubus ille ardens in igne,*

igne, *& Rubus ille non consumebatur.* Præmittit *Ecce*, rem præsentem, insolitam, attentione & admiratione dignam indicans. Hæc erat Rubus בער באש *ardens in igne*: id est; non modò *lucens* igne, *lambente* eum, *innoxia*, ut loquuntur, flamma; neque tantùm ignem in se *habens contiguum*, & adhærentem, quomodo fortè dicitur *mons arsisse igne Deut.* IV. 11. V. 25. IX. 15. sed & *ignem inhærentem*, quibusdam saltem ramis, habens, eumque *servans*, & *alens*, eique *materiam* suam tanquam *cibum* ac *alimentum* præbens *consumendam* ab eo. Quo sensu verbum בער de Materia ustibili frequenter usurpatur, notatque igni pabulum præbere, illoque revera uri & aduri *Jes.* I: 31. de hominibus & idolis, *Jes.* XXXIV: 9. de pice, *Ezech.* I: 13. de carbone, & fortè *Deut.* IV. 11. de monte, *in herbis & fruticibus adusto.* Quo ipso cum materia tandem absumatur, hinc notat consequenter *consumi*, *absumi.* Quo posteriori sensu sumitur *vers.* seq. 3. *Videbo Visionem hanc magnam quare non* יבער *ardeat*, id est absumatur, *rubus iste*: sed priori isthoc sensu heic sumitur, ut sensus sit, Rubum *arsisse*, id est, igni materiam absumendam præbuisse quidem, ejusque *cibum* fuisse, *coll Jes.* IX. 4. *Ezech.* XXI. 32. nec tamen absumtum fuisse, per continuam materiæ reparationem; ad quod alluditur nunc porro in verbo אכל, quando additur à Mose איננו אכל, propriè *non comedebatur. In Lingua Hebraicâ* inquit *Munsterus*, *comedit animal*, *comedit gladius*, *comedit ignis.* Sed de *igne* præsertim adhibitum verbum Hebraicum אכל significat *comedendo absumere Levit.* IX. 24. 1 *Reg.* XVIII. 38. Itaque sensus est; *non absumebatur.* Verè Rubus ardebat, & verè ignis comedebat, sed *edendo non absumebat* Rubum, nimirum quia materia exusta continuò restituebatur. Quod ad naturam Emblematis visi ritè intelligendam omnino tenendum est, & in Re significata verè locum habet. Quare minimè sequendum arbitror *Josephum*, qui *ignem nec frondes nec ramos quicquam læsisse* narrat; neque *a Lapide*, qui Rubum non *verè* arsisse sed apparuisse quasi arderet existi-

ſtimat. *Proprie non ardebat rubus*, inquit, *ſed quisquis eum vidiſſet, ardere dixiſſet: ardere enim eſt flammam ex ſe ſpargere. Rubus verò flammam non ſpargebat cum hoc ignis ſit ſolius qui rubum non pervaſerat, ut eſſet ignitus; ſed rubo tantum contiguus, ita proxime ramos & folia ejus ambiebat, ut ignitus flammas vomere videretur. S. Scriptura enim ſæpe, præſertim in phænomenis, rebuſque apparentibus, loquitur de iis non ut in ſe a parte rei ſunt, ſed prout apparent, ſive prout homines vulgo de iis cenſent & loquuntur. Ita ergo hic Rubus ardere dicitur, quia hominibus, rem, cauſſamque rei ſecretam ignorantibus ardere videbatur, omneſque videntes, eum ardere dixiſſent.* Mox tamen, veritati aliquatenus cedens, ſubjecit: *Adde, poſſe eſſe Synecdochen, rubus enim arſiſſe dicitur, quia pars rubi, puta folia ſicca rubi, aërque rubo mixtus ardebant. Rubus enim, æque ac Silva, vocatur totum complexum, putà totum aggregatum veprium, fruticum, & arborum cum aëre, omniumqne alia materia, quæ illi inſerta & immiſta eſt. Jam autem in hoc aggregato, eſto pars una, ſcilicet rami, & folia viridia, non arderent, altera tamen, putà aëris hinc inde immiſti, ſtipularum, ſtirpium, & foliorum ſiccorum ardebat.* Sed cur ad *folia ſicca* rubi reſtringeremus, & non ſimul ad alias ejus quoque partes extenderemus, *ignem* hunc *comedentem*, non video. Deinde & hoc ſupponere omnino videtur admiratio Moſis, nec non ejus narratio, quod Rubus *eâ parte*, quà ardebat, non fuerit conſumtus.

XVI. Hæc Apparitio Domini omnium earum Prima fuit, quæ Moſi obtigerunt. Erat profectò hoc *Spectaculum*, ita literaliter à nobis explicatum, *Magnum*, uti Moſes illud vocat *vſ.* 3; *magna* ſignificans non modò, de quibus poſtea illum edocuit Dominus; ſed & revera *magnum miraculum*, contra ignis conſumentis naturam, & Rubi ſimiliter, qui facilè flammam concipiebat, & naturaliter eâ abſumi debebat. Neque enim erat hic Rubus *Virgultum* illud, *quod quanto plus arſerit, non tantum non conſumitur,*

ſed ardendo purgatius redditur, de quo loquitur Auctor *Lib.* I. *C.* XVI. de *Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, qui non fuit *Auguſtinus*, & qui provocat ad *Hieronymum*, in *Ezechiel.* XLI. 22. *de quo ligno*, ait, *ſanctus Hieronymus in explanatione altaris lignei, quod in Civitate per Viſionem Domini in Ezechiele oſtenditur, refert quod quaſi lini colorem habeat; attamen de hujus nomine reticuit, cum illius naturam indicavit. Si ergo in illius arboris rubo ignis ille Moyſi oſtenſus arſerat, quid mirum ſi nequaquam illud comburebatur? Servata ergo in utroque natura, igne ſcilicet & arbore conſideratur, dum & ignis* naturaliter *ardet, & arbor ardens igni* naturaliter *non conſumitur.* Certè, ſi ſit tale Virgultum in rerum natura, vel unquam fuerit, Moſes illud ignoraſſe videtur, vel ſi ſciverit, illud à *Rubeto hoc* longè eſſe diverſum credidit, aliàs hanc viſionem tantopere miratus non fuiſſet. Neque etiam hoc, quod Rubus ardens non conſumebatur, *arte hominum* effectum erat, per materiam aliquam Rubo ab ipſis applicatam, quæ ignem aleret, & ſimul Rubum ipſum adverſus ejus vim defenderet: quemadmodum Circumforanei membra ſua liquore aliquo munire norunt adverſus flammas ardentes aut plumbum liquefactum, quod cum aliis à *Lapide* adnotavit: & ſicuti quotidianâ experientiâ conſtare ſcripſit *Rivetus*; *lintea illita vino aduſto aut diſtillato, quod aquam vitæ appellant, ab igne non lædi, quamdiu ardet aqua*; citans *Plinium*, qui *Lib.* XXIX. *C.* III. dicit, *lignum perfuſum ovo non ardere, ac ne veſtem quidem contactam aduri.* Nam quare id feciſſent Homines, quos nunc concedimus in interioribus deſerti ante Moſis acceſſum fuiſſe vel habitaſſe? an quia apparitionem Dei in hoc loco præviderant? an verò ut Moſen, ibi nunc minantem gregem ſoceri ſui, hoc ſpectaculo oblectarent, aut fallerent? Neutrum horum vel probabilitatis aliquam ſpeciem habet. Neque etiam *operâ creati alicujus Angeli* hoc fuit factum, qui *ignem aliunde attulit eumque appoſito ſulphure, aliáve materia & fomite aluit, & fovit, ſimulque impedivit ne* ignis *ageret in rubum, inducendo rubo liquorem, aut ſuccum ali-*

aliquem viscosum & frigidissimum, qui igni vel potius flammæ tenui resisteret; uti scripsit *a Lapide*, non attendens satis ad Textum, in quo dicitur *Rubus ipse* arsisse, non alia materia quædam ei adplicata, & quidem vel *totus*, vel *aliqua ex parte*, quod posterius *à Lapide* diffiteri haud potuit, uti supra visum est. Quare etiam mox addidit: *Facilius tamen dici potest* DEUM *hîc actionem ignis suspendisse .... Illustre hoc fuisse videtur* DEI *miraculum* &c. Quod in sequentibus cum *Pererio* aliisque in eo constituit, quod Deus *noluerit concurrere cum igne ut urat;* seu, ut loquitur *Pererius*, *in disjunctione virtutum naturalium ignis*, quæ sunt *Lucere* & *Urere:* ita ut Deus voluerit tantum ut Ignis Rubi *luceret* modò non *ureret*, quemadmodum factum est in fornace Babilonica *Dan.* III: 24. 25. 27. & juxta *Basilium* in Carbone, quo labia Jesaiæ tangebantur *Jes.* VI 6. 7. Quos tamen Auctores, si solam hanc caussam nominent, minimè sequendos arbitror, quoniam, si genuinæ Verborum Mosis significationi inhærere velimus, ignis Rubi non fuit lambens & adhærens modò, quod tamen de quibusdam Rubeti partibus concesserim, sed omnino *urens* quoque & *inhærens.* Et proinde in eo Miraculum erat etiam quam maximè positum, quod omnipotens Dominus, Materiam Rubi igne absumtam continuo repararet; eo modo, quo Viduæ Sareptanæ *farina non consumebatur*, nec *oleum ampullæ* ejus *deficiebat*, etsi per annum ei & Eliæ alimentum præberent 1 *Reg.* XVII. 15. 16; & quo forte *calcei* ac *vestimenta* Israëlitarum, per tot annos in deserto commorantium non fuisse *detrita* ac consumta leguntur *Deut.* VIII: 3. 4. XXIX. 5. *Neh.* IX. 21.

XVII. Sic verò in RUBO hoc MIRACULOSO apparens Angelus Domini in *monte Horebi*, SIGNUM dedit: 1. Non *ordinariæ Habitationis* Numinis; vel in *Monte Horebi* speciatim, quod tunc temporis vulgò opinatos fuisse homines, finxit Josephus, *Ant.* II. *C.* XII; vel in quibuscunque *Montibus* & *Sylvis*, Lucisque densa arbore prænubilis, quod

gentilitas stultè sibi persuasit, ut patet ex Testimoniis à *Moncæio* adductis, sive quia loca illa horrida metum & religionem incutiebant, sive quia Patriarchis sæpe, tentoria sua in calidioribus istis regionibus sub arborum umbraculis figentibus, in Lucis & Excelsis Deus apparuit *Gen.* XVIII. I. II Sed *instantis Revelationis Majestatis* suæ in Legislatione, quæ paulò post facta est in *hoc monte*, coram populo ex Ægypto liberato: coll. *vs.* 12. *quum eduxeris populum illum ex Ægypto, servietis Deo juxta hunc montem.* III Imo & *Potentiæ infinitæ* in hoc Miraculo conspicuæ; quo animum Mosis disponeret ad sequentia jussa sua capessenda sine tergiversatione ullâ, atque ad fidem promptam dandam promissis suis, ut qui potens erat efficere quæ promisit, & simul tremendus valde omnibus immorigeris; *Ignis enim inextinguibilis rubum aridum non consumens Dei Potentiam prædicabat*, juxta *Theodoretum Q.* VI. *in Exod. p.* 79: IV Et denique *Rei* alicujus *admirandæ*, sive *præsentis*, sive *futuræ* potius, cujus hic Rubus ardens igne & non consumtus insigne *Emblema* ac prophetica *Figuratio* existebat. Atque hoc facto Deum sese accommodasse ad Mosis ingenium & educationem, qui juxta *Philonem* de *Vita Mosis* Lib. I. literaturâ hieroglyphicâ in Ægypto imbutus erat, & inter plures alias scientiæ species, τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν ibi didicerat, contendit *Spencerus* de *Leg. Heb. Lib.* I. *C.* XI. *Sect.* I. *Præterea, cum primum Deus ad munus Propheticum Mosen evocavit, tanquam Virum Hieroglyphicis Ægypti literis innutritum, ei providentiæ Divinæ mysterium, in rubi ardentis sed non consumpti symbolo, contemplandum præbuit.*

XVIII. Quænam verò *Res* illa *admiranda sit*, hac Figura *Rubi ardentis & non consumti* adumbrata & præfigurata, inter Verbi Divini Interpretes haud æque constat, sed magna deprehenditur Cogitationum varietas. *Ex Rubo Mosaico ardente emblemata omitto*, inquit *Ursinus* in *Arboreto p.* 349. *adeò multa fingi possunt:* ab iis nempe, uti ego hoc interpretor, qui *formam* Symboli veram à Mose descri-

ptam

ipsam non rectè sibi representant, nec ad Domini, qui solus dicere potest quid hoc Symbolo significare voluit, *scopum* & *explicationem* sequentem ritè animos attendunt. Quod certè non fecerunt. I. *Illi Interpretes* qui totum hoc Symbolum ad *Mosen* referunt. Juxta quos *Ignis* in Rubo *significabat*, *qualis deberet esse Moses*, *Rector populi*, *scilicet* ignis *per* Sapientiam, *qua sciret populum docere & regere*, & *per* Charitatem *ac* Compassionem, *quâ populi necessitatibus subveniret*, *vitia toleraret*, *infirmitatibus condoleret*: *& rursum* Rubus *significabat*, quod ut *Rector sapientiæ* ac *charitati conjunctas habere deberet* spinas Justitiæ & Severitatis *ad puniendum & castigandum errantes*, *maxime inobedientes & rebelles*: quemadmodum legitur apud *a Lapide*. Nam ignis flammans quidem Symbolum esse potest sapientiæ ac charitatis per innoxiam flammam; sed hic Ignis fuit nocens, ac Rubi partes quasdam absumens. Deinde Rubus dignissimi Rectoris non videtur esse aptum emblema, quia Frutex spinosus אטד, sive sit Rhamnus, sive Cynosbatus, in parabolâ Jothami *Jud.* IX. 14. 15. erat Symbolum hominis indigni imperio: quare etiam credunt nonnulli Judæos vel Milites Romanos coronam spineam imposuisse Capiti Domini, ut Eum imperio indignum atque ineptum sic declararent. II. Neque *Illi Interpretes* qui statuunt, quòd *Ignis flammans in Medio Rubi non consumpti* Symbolicè sit: Vel *Lex ignea Deut.* XXXIII. 2. posita in *medio* populi Israëlitici, & quæ *peccatorum spinas* quidem *demonstravit*, verùm minimè *abstulit*: Vel *Spiritus S.* igni comparatus *Matth.* III. 11. *Act.* II: 3. stans in *Medio* Israëlis *Jes.* LXIII. 11. *Hagg.* II: 6. hunc quidem *illuminans Neh.* IX. 20. sed non *convertens Jes.* LXIII. 10. *Act.* VII. 51: Vel denique *Christus*, ex *medio* populi Israëlis nasciturus *Num.* XXIV. 17. *Deut.* XVIII. 15. *Jer.* XXX. 21. *Joh.* IV. 22. cujus ille *pungentem malitiam* quidem *increparet*, sed non *consumeret* atque auferret, coll. *Jer.* VI. 29. Quales glossæ leguntur apud *Augustinum*, *Gregorium*, *Ugonem Cardinalem*, *H Rabanum Maurum*, aliosque Veterum, sed quæ prorsus alie-

næ sunt a *Scopo* Dei in hoc *Symbolo*, quod ad Consolationem Populi directum erat, æque ac *Vox* Domini ex Rubo audita à Mose: deinde etiam aberrant à natura Symboli, in quo ignis non modo *Lucens fuit*, & lambens, *sed* & *urens* & *consumens*. III. Neque *Illi* quoque *Interpretes* satisfaciunt Symboli hujus Structuræ ac Explicationi Divinæ subjectæ, qui *Ignem in medio Rubi non consumti ardentem* præfigurasse *Deum in Virgine conceptum* & *illæsâ carne* ac *Virginitate* ejus, nec *dolores* in partu sentientis, *natum*, dicunt cum Patribus quibusdam & Pontificiis, qui canere publicè in Festo Mariæ soliti sunt; *Rubum quem viderat Moses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix;* quæque sententia ab Ecclesia Romana recepta caussa est quare *Pererius* & à *Lapide* ita pugnant pro Igne in Rubo vim *lucendi* tantùm exerente, non *urendi*, quam tamen utramque heic agnoscere debemus, uti supra monitum fuit. IV. Neque *Illi* porro *Interpretes* satisfaciunt, qui heic Symbolum *Filii Dei incarnati*, in *medio Humanitatis* assumtæ, sed non *absorptæ*, *habitantis* reperiunt cum *Cyrillo*, *Chrysostomo*, *Oecumenio*, *Gregorio*, *Luthero*, Aliisque. *Rubus* ipsis est emblema *Naturæ* Christi *Humanæ*, quæ instar spinosi Rubi, fructus terræ *Jes.* IV. 3. XI. 1. LIII. 2. *Zach.* III. 8. VI. 12. vilis, humilis, invalida & contemta valde fuit *Psalm* XXII. 7. *Jes.* XLIX. 7. LII. 14. LIII. 3. *Ezech.* XVII. 22. 24. *Rom.* VIII. 3. 2 *Cor.* VIII. 9. *Phil.* II: 7. & simul aspera indignè tractantibus hostibus *Jes.* VIII. 14. *Matth.* XXI. 44. *Ignis* in Rubo ipsis est emblema *Deitatis* Christi, seu ipsius *Angeli Jehovæ*, quà Filius Dei est naturalis ac æternus, *Lumen de Lumine Heb.* I: 3. *Lumen Israëlis Jes.* X. 17; quod colligunt ex eo quod dicitur *apparuisse* Angelus Domini *in flamma ignis*, ut sui ipsius Emblemate in hac Visione. *Conjunctio* hujus *Ignis* cum Rubo *intima*, in cujus *integri* & *illæsi* manentis *medio* dicitur fuisse Ignis, *luce sua* illustrans, non *adurens* neque *consumens*, imo *splendorem* ei & *gloriam*
pro

pro detrimento *adducens*, atque ex *medio* rubi maximâ ac flagrantissima *flammâ emicans*; præfiguravit, juxta hos Interpretes, *Conjunctionem* arctissimam *Humanitatis* cum *Deitate* in Persona Filii Dei, absque naturarum *Conversione* aut *Confusione* ullâ; & sic ut Divinitas Humanitati *excellentiam* maximam, etiam supra *Angelos*, conciliaverit *Heb.* I: 4. 5; atque effecerit ut *Caro* ejus a *morte* detineri non potuerit, sed *gloriosior* ad vitam immortalem resurrexerit; quemadmodum *Philo* videtur sensisse quòd Rubus viridior evaserit per ignem, dum hic instar Rivi fontis, loco caloris frigus operatus sit, uti verba Philonis explicat *Fernandius* de *Visionibus*. V. T. imo sic tandem ut Divinitatis radii subinde ex infirma carne, per verba quæ solus Deus eloqui potest, & per stupenda inprimis miracula emicuerint *Joh.* I: 14. I *Tim.* III: 16. Placuit hæc Interpretatio Symboli hujus etiam Celeberrimo *Coccejo* nostro. *Ignis*, inquit, *significat Eum qui est Lux, hoc est Veritas & Sanctitas & calor h. e. Charitas, & consumens omne, quod ipsi dissimile est, unde ignis devorans dicitur. Rubus est Germen terræ. Nihil promptius intelligi potest quam* ὁ λόγος σάρξ γενόμενος, *& habitans in nobis, qualis figura est etiam Gen.* XV. 17. Quæ Interpretatio, tum ob alias mox dicendas rationes, tum ob hanc quoque minus placet, quia scilicet supponit *Ignem* hunc vim *lucendi* modò exeruisse in Rubo, non *adurendi* simul, cum tamen Rubus *arsisse igne* dicatur, id est, igni pabulum præbuisse, ut supra dictum est. Quare Alii v. magis convenienter Naturæ Symboli *Ignem* hunc volunt fuisse *Symbolum iræ Divinæ* severissimæ, *igni* aliàs frequenter comparatæ *Deut.* IV. 24. IX. 3. XXXII. 22. *Job.* XIX. 11. *Psalm.* LXXVIII. 21. LXXXIX. 47. *Jes.* XXXIII. 14. *Jerem.* IV. 4. quam sustinuit Christus in *Humanitate* assumta, similitudinem *Carnis peccati* habente *Rom.* VIII. 3, ut sponsor noster sic satisfaciens pro Electis peccatoribus Justitiæ Divinæ vindicatrici. Quæque *ira* Dei Judicis ipsum apprehendit *Psalm.* LXXXVIII 16. 17, & penetravit usque ad intimam medullam, ad animam Ejus,

ita

ita ut hæc *contristata* fuerit *undique usque ad mortem Matth.* xxvi. 38. & *Cor* ejus *simile ceræ, liquefactum in visceribus Ejus, & vis* ejus ut *testa arida* facta *Psalm.* xxii. 15. 16. atque *exsiccatum guttur Ejus, fractusque animus* Ejus, Ipseque fere *exesus* fuerit *Psalm.* lxix. 4. 10. 21. Neque tamen penitus *consumpta* fuit Humanitas, quia Ei arctissimè unitus erat *Angelus Domini*, Ipse *Filius Dei*; qui illam in intensissimis ignis infernalis doloribus sustentavit ac corroboravit, effecitque ne deficeret Fides Ejus, ac Amor erga Deum, atque Zelus domus Ejus; imo qui infinitum Passionibus Ejus valorem addidit, ita ut Summus & Justissimus Judex eas pro æternis habuerit, atque incorruptibili gloria Humanitatem donaverit.

XIX. *Utrique* huic Interpretationi, *quarto* & *quinto* loco commemoratæ, *duo* potissimum obstare puto. *Primum* est, quod vox *Rubus*, in singulari quidem posita, *collectivè* tamen sumenda sit pro *Rubeto* seu Ruborum *multitudine notabili*, quemadmodum supra observavimus; quæ nos potius ad *plurium Hominum* Societatem quàm ad *Unum singularem* aliquem ducit. Ex quo etiam apparet dissimilitudo hujus Visionis ab illâ, quæ legitur *Gen.* xv. 17. quam contulit Clar. *Coccejus*. Nam: si concedamus quod ibi *fax ignis*, seu *ignis flammans instar facis*, *in Clibano fumi* se occultans, atque ex eo *erumpens* ac *resplendescens*, & sic *inter animalium segmenta transiens*, fuerit Symbolum Filii Dei, assumturi Humanam naturam, Clibani fumantis instar, vilem, despectam, abominabilem quoad externam speciem futuram; atque in ea ambulaturi per medium terræ Israëlis populi sui in tenebris habitaturi, ex quâ tamen gloria Deitatis occultatæ subinde esset eruptura & conspicienda à semine Abrahami: exinde tamen non sequeretur, *ignem* hunc ex *Rubo* emicantem, idem præfigurare. Quia ibi Clibanus *unus*, hîc verò *plures Rubi* distincti, qui Unum Hominis Filium ita commodè repræsentare haud potuerunt. *Secundum* est, quòd hujus *Prophetiæ typicæ* de *Incarnatione*, *Pas-*

Passione ac *Resurrectione* Domini, quæ ex mente & consilio Dei lateret in hoc symbolo, nulla fiat indicatio, neque in sequente sermone explanatorio Angeli Jehovæ, neque in reliqua Scriptura divinâ, quod tamen in ejusmodi Prophetiâ requiritur, quæ semetipsam non interpretatur, nec *propriæ interpretationis* est 2 *Pet.* I. 20. Neque enim mera similitudo, quæ etiam in nonnullis satis quandoque conquisita est, sufficit ad ejusmodi Prophetiam typicam statuendam. Bene *Hillerus* in *Hierophytici Part.* I. *C.* LXI. *p.* 477. *Nos, ut nostris quoque placuit Doctoribus, Visionem hanc concinne ad incarnationem* accommodari *existimamus, cujus* accommodationis *insigne specimen datum est apud Baumannum Analector. Sacror. p.* 719. 720. & *seq.* & typum *esse Incarnationis admittimus: sed Scripturæ Sacræ* illatum & adventitium, *haut* innatum vel insitum, *uti serpens æneus a Mose erectus*, Joh. III. 14. *uti Jonas è ventre ceti post triduum egressus* Matth XII 40, *Melchisedecus* ἀπάτωρ ϗ ἀμήτωρ, *ejusdemque Regnum & Sacerdotium Heb.* 7. 2.

XX. Quare tandem cum illis facimus Interpretibus, qui hanc Magnam Visionem de *Populo Dei* & *Ecclesiâ Christi* exponunt, afflictâ magnopere in Ægypto sed non consumtâ *hactenus*, imo nec consumendâ sed liberandâ ex servitute illâ; & affligendâ quidem postea sæpe per secutura secula, sed nunquam perdendâ penitus, verùm perseveraturâ usque ad finem seculi, & vi præsentiæ potentissimæ Angeli Jehovæ perpetuò duraturæ.

XXI. Qui Mysticus Sensus ut distinctius intelligatur, *Primò* dicimus, quòd RUBETUM hoc SINAITICUM figuraverit speciatim & maximè POPULUM ISRAELITICUM. Ita explicatur ab Angelo Domini, loquente è medio ejus, ac idem voce suâ auribus insinuante, quod oculis Mosis subjecit, in hac Apparitione ab ipso contemplandum, quæ *facta* erat *secundum convenientiam negotii*, de quo acturus erat, uti bene observatum est a *Lyrano.* Huc spectant Verba Domini vs. 7. 8. *Probè vidi afflictionem* populi mei *qui* est

in Ægypto, & clamorem eorum ab exactoribus ejus audivi, quia cognovi dolores ei allatos. *Ideo* descendi *ut liberem eum* &c. conf. vs. 9, 16, 17 & *Cap.* IV. 31. Et meritò hic Populus sub *humilis* & *aculeati Rubeti Sinaitici* proponitur Imagine. Etenim *Numerosus*, integri *Rubeti* instar, erat tunc in Ægypto, *prout affligebant eum, itaque augescebat, & ita erumpebat* in multitudinem *Exod.* I. 12, adeo ut *Filii Israëlis ad sexcenta millia peditum, Virorum, præter parvulos, egressi* sint ex domo illâ servitutis *Exod.* XII. 37; uti & numerosus fuit postea, juxta promissa *Gen.* XV. 5. XXVIII. 14. *Deut.* I. 10. &c. Deinde, instar *humilis* Rubi, in terram retracti, *vilis* non modò & contemtus erat, sed & *humo* affixus, corpore operans in *luto* & *lateribus* & *in omni servitute rusticâ* Exod. I. 14. & animo dejectus valde, & *decurtati* ac servilis *spiritûs Exod.* VI. 8, terrenis quoque dediti *Exod.* XVI. 3, 4. *Ingratus* erat porro Populus, ut *aculeatus* Rubus, qui contrectatorem suum ac curatorem quoque amarè convulnerat; cujus Ingratitudinis, non uno tempore ac modo visæ in hoc Populo, specimina manifesta notantur *Exod.* V. 21. VI. 11. XVI. 3, 4. *Deut.* XXXII. 6, 7. *Psalm.* CVI. 20, 21, 22. *Jes.* I. 2, 3. *Hos.* II. 7. VIII. 12. *Matth.* XXIII. 37. &c. *Noxius* denique fuit hic Populus temerè invadentibus ac perrumpere volentibus hostibus, quod sanè experti sunt Ægyptii, tot plagis, ejus caussâ, puniti; quemadmodum Dumetum asperitate spinarum pungit acriter ac lædit temerarios quoscunque in se irruentes.

XXII. *Secundò* addimus, quòd *Angelus Domini* in MEDIO Rubeti hujus apparens præfiguraverit futuram ejus *Habitationem* in MEDIO hujus Populi; in *Monte Sinai* non modò *Exod.* XXIV. 16, sed & in Deserto reliquo, & in Cananæa, atque in *Tabernaculo Exod.* XXV. 8, 22. *Levit.* XXVI 11, 12. *Et ponam Tabernaculum meum in* Medio *vestri &c.* denique postea in *Templo* ac monte *Tzijon Psalm.* LXXIV. 2. LXXVI. 2, 3. LXXX. 2, 3. CXXXII. 13, 14. *Jes.* VIII. 18. XXXI. 9; ad quod etiam, post symbolicam diuturnam in eo habitationem, in cor-

corpore ac humanitate personaliter assumtâ, venturus erat ipse Dominus *Malach.* III. 1. atque in *medio* populi *Zephanj.* III. 5. ambulaturus.

XXIII. *Tertiò* existimamus porro, quòd Angelus Domini apparens in *Igne lucente* & *flammante*, significare voluerit, quòd populum hunc, vilem nunc & servilem in Ægypto, *splendidum* redditurus esset: *liberando* ipsum ex durâ præsenti servitute, coll. *vs.* 8, 10. per stupenda miracula coll. *vs.* 20: & *formando*, apud hunc ipsum montem coll. *vs.* 12. in populum suum peculiarem ac fœderatum, in quo solo Electos salvandos habiturus erat per multa secula *Exod.* XIX. 5, 6. *Deut.* VI. 6—8. Sic se demonstraturus *Deum Abrahami Isaaci* & *Jacobi*, *vs.* 6, juxta Promissionem suam *Gen.* XVII. 7, 8: & *ducendo* eum per vastas hujus deserti solitudines, per gloriosam *Nubis* & *Ignis Columnam Exod.* XIII. 21, 22. XIV. 19, 20, 24. XL. 38. *Num.* IX. 15. *Psalm.* CV. 39. &c.: ibique *sustentando defessam* hæreditatem suam inauditis clementiæ & potentiæ suæ effectibus Psalm. LXVIII. LXVIII. 10. LXXVIII. 15—28: & *introducendo* eum in terram promissam cum magna majestatis suæ tremendæ demonstratione *Jos.* II. 9—11. *Psalm.* XLIV. 2, 3, 4 LXVIII. 11, 12, 13. CV. 44: & magis adhuc *illustrando* eum *Lege ignea* sua *Deut.* XXXIII. 2. *Psalm.* CXLVII. 19, 20. *Hos.* VIII. 12. & *Luce Verbi* sui Prophetici *Psalm.* CXIX. 105. *Jer.* XXIII. 29. 2 *Pet.* I. 19. imo & *Igne Spiritus* sui sancti, ad illuminationem & convictionem plurium, & ad conversionem & salutem Electorum suorum *Neh.* IX. 20. *Jes.* LXIII 11. *Hagg.* II. 6. 2 *Cor.* IV. 13. Quibus omnibus hunc Populum, instar *Rubi flammantis Act.* VII. 31, 32, verè *admirabilem*, & simul *terribilem* hostibus suis reddidit. *Deut.* IV 6—8. XXXIII. 29. *Jes.* XLII. 21.

XXIV. *Quartò* non dubitamus quoque, quin Angelus Domini apparens in *Igne lucente* non solùm sed etiam ADURENTE Rubum, partesque ejus consumente, sic simul indicaverit: non solùm præsentem Populi in Ægypti

fornace ferrea *Deut.* IV. 20. gravissimam *afflictionem*, quam se vidisse testatur in sermone subjecto haud semel: verùm etiam *Tribulationum* plurimarum *Ignes*; ut vocantur sæpius, quia damnum & dolores adferunt, *Psalm.* LXVI. 12 LXXVIII. 21. *Thren.* I. 13. &c.; quibus corripiendus erat hic Populus Dei, ab ipso sic castigandus probandus & purgandus; & verè ab ipsâ pueritiâ & adolescentia ejus correptus fuit, *Psalm.* CXXIX. 1, 2, 3. *Multùm affecerunt me angustiis inde a pueritia mea dicat nunc Israël: &c.* Inprimis si respiciamus ad afflictiones ab Assyriis, Babiloniis *Jes.* IX. 17. 18. XXIV. 6. *Thren.* IV. 11. & Græcis *Dan.* XII. 1. ei illatis.

XXV. *Quintò* denique *Rubetum* hoc *Igne ardens* sed NON CONSUMPTUM promittebat Mosi *Populum Dei* in Ægypti fornace ferreâ non fore *consumendum*, neque etiam per insecuturas afflictiones perdendum unquam sed permansurum per plurima secula *Populum Dei* peculiarem usque ad tempora Correctionis, idque *propter Dominum* *Dan.* IX. 17. ex *medio* ejus nasciturum *Jerem.* XXX. 21. *Jes.* VII. 7—14. & opus Redemtionis in terra Israëlis peracturum *Zach.* IX. 11. Quo peracto finem Dominus imponeret Umbris Mosaicis, sacrificium & munus cessare faceret, discrimen gentium tolleret, atque reliquias prisci populi sui secundum electionem, seu *Custoditos in Israële* *Jes.* XLIX. 5. cum innumerabili electorum ex gentibus multitudine in unum corpus veri Israëlis, Populique Dei Abrahami, conjungeret *Psalm.* XLVII. 9, 10. *Jes.* LIV. 1. 5. *Zach.* XIV. 9. juxta Euangelium Abrahamo annunciatum *Gen.* XXII. 18. *Gal.* III. 8. ad quod respiciens Angelus Domini dicit in seq. *vs.* 6. & 15. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi. . . . hoc* est *nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem.*

XXVI. *Sextò* tandem arbitramur hoc Symbolum *Rubi ardentis & non consumpti* in Explanatione Angeli Jehovæ ita referri ad Ecclesiam *Israëliticam*, ut tamen minime ECCLESIA N. T. excludatur. Ita enim comparatum est hoc Em-

Emblema, ut commodè totam *Ecclesiam Catholicam* repræsentet. Retulit autem Angelus Domini illud ad *Ecclesiam Israelis* tunc temporis existentem, & per aliquot secula solam futuram Ecclesiam Christi; quatenus *Hæc*, uti species sub genere comprehenditur, & uti pars in toto continetur, pars erat totius corporis mystici, nempe Ecclesiæ Catholicæ, hoc symbolo repræsentatæ: ne addam nunc quod & *typicè* præfiguraverit Ecclesiam novi Testamenti in fatis suis; quod colligunt Nonnulli etiam ex I *Cor.* x. 6. an rectè nunc non inquiro. Observo potius, quòd Moses, quando appellat Filium Dei *Habitatorem Rubi Deut.* xxxiii. 16; non tantùm descripserit sic illum ab antiquâ & dudum *præterita Rubi* hujus *Sinaitici* inhabitatione; sed etiam à *continua inhabitatione*, quæ eousque durabat, & duratura erat perpetuò; non sanè in Rubo illo propriè dicto Horebico, verùm in mystico ac spirituali per illum Sinaiticum figurato, qui est *Ecclesia* Christi *Catholica*, in cujus *medio* dicitur habitare Dominus *Psalm.* xlvi. 5, 6.

XXVII. Et certè quemadmodum *Emblema* hoc visum a Mose optimè referebat *Ecclesiam Israëliticam*; ita & egregiè exprimit reliquam *Universam* omnem, etiam quæ nunc est *sub N. T.* Hæc enim meritò proponitur sub Imagine Rubeti: Ob *Multitudinem*, quæ innumerabilis in se est, *Apoc.* vii. 9. *Matth.* viii. 11. *Jes.* liv. 1, 2, 3. quamvis comparatè Ecclesia Christi sit *parvus Grex. Luc.* xii. 32. *Matth.* xx 16. Ob externam Membrorum *Vilitatem Psalm.* viii. 3. I *Cor.* I. 26, 27. *Jac.* ii 5. non tamen omnium *Psalm.* xlvii 10. Ob *Contemtum* quo laborat inter mundanos ratione doctrinæ, fidei ac pietatis *Job.* xii. 5. *Jerem* xxx. 17. *Act.* xvii. 18: Ob *Naturalem Statum* omnium membrorum ejus ante gratiam supranaturalem inhabitantis & illuminantis Christi, in quo statu existentes Electi sunt ignobile *dumetum*, bonæ frugis expers, *Joh.* iii. 6. humile ac terrenis affixum *Phil.* iii. 19. mille modis contortum & nocivum *Gen.* vi. 5. *Tit.* iii. 3. verum ignis æterni pabulum

Ephes. II. 3: Ob *Infirmitatem* denique; a Philone Βάτος vocatur ἀκανθῶδές τι φυτὸν καὶ ἀσθενέστατον. Certè vires resistendi, potissimum igni, nullas habet, sed facilè cremari solet Rubus; Ejusmodi naturalis infirmitas in Ecclesia Militante est, & ad verè bonum faciendum, & ad resistendum hostibus, Satanæ Carni Mundo, *Joh.* XV. 5. 2 *Cor.* III. 5: Ob *Asperitatem* tandem per aculeos, invadentibus *noxiam*; Nemo eam impunè lacesset, *Zach.* XII. 3, 6. 1 *Cor.* III. 17. 2 *Thess.* I. 6 — 10. *Ecclesia, & quivis Justus, Rubus est, ita ut illos nemo cujuscunque potentiæ aut conditionis lædat, qui vicissim non simul pungatur, atque veluti vulneretur, & cruentetur aliquâ pœna;* sunt Verba *Hieronymi*, quæ me apud ipsum alicubi legisse memini.

XXVIII. In hujus quoque MEDIO Christus est, intimè ei præsens *Psalm.* XLVI. 6. *Matth.* XVIII. 20. XXVIII. 20. 2 *Cor.* VI. 16. *Ephes.* III. 17. *Apoc.* I. 13. LUCE Verbi & Spiritus sui eam collustrat *Jes.* II. 3, 4, 5. XXX. 26. LIX. 21. *Joël.* II. 28, 29; atque ex ea *Splendorem* Majestatis & Gloriæ suæ emittit ad terrorem hostium ejus *Psalm.* L. 2, 3. 4. CX. I. 2, 3, ejusque *gloriam*, etiam per cognitionis *Jes.* XI. 9. sanctitatis *Zach.* XIV. 20. & gaudii *Jes.* XXXV. 1, 2, 19. incrementa insignia, atque per Liberationes admirandas, manifestat. Et ubi *lucet* Christus, ibi etiam URIT. Magis lucet in Ecclesia N. T., & simul magis urit eam, atque *igne* afflictionum castigat, probat, purgat, juxta prædictiones, quas Eventus dudum divinas ac infallibiles esse comprobavit *Jes.* LIV. 11, 12. *Joël.* II. 29, 30. *Matth.* V. 10, 11. *Joh.* XVI. 33. *Act.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12. *Apoc.* XII. 14. 15, 17. &c. Qui afflictionum calamitatum ac persecutionum *Ignes*, carni quidem dolores ac molestias creant, sed cooperantur simul ad bonum animarum *Rom.* VIII 28., dum frænant carnis lasciviam, materiam peccandi subducunt, facultatem peccandi adimunt, spinas nocentes comburunt, peccati intrinsecum meritum docent, precum ardorem augent, mundanarum rerum vanitatem ostendunt,

cœli

cœli desiderium promovent, uti liquet ex Locis *Job*. v. 17. *Psalm*. xciv. 12. *Hebr*. xii. 11 *Jac*. i. 2, 3, 4. atque ex Exemplis Piorum *Psalm*. cxix. 67. 71. *Rom*. v. 3. 2 *Cor*. iv. 8—11, 16. xii. 7, 8. Atque adeo *illustriorem* reddunt mala tristia illa sanctitatis in Fidelibus *splendorem*, eosque per virtutum augmenta & constantiam in adversis *admirabiles* efficiunt & simul *terribiles* mundo, ut *signa* & *ostenta* *Jes*. viii. 18. *Cant*. iii. 6.; quemadmodum Rubetum hoc Sinaiticum Mosem, & in admiratione rapiebat, & simul terrore percellebat *Act*. vii. 31, 32.

XXIX. Nunquam verò CONSUMET hic tribulationum *Ignis Rubetum Ecclesiæ*. Nunquam hoc periturum est planè, sed *perseveraturum*, in *medio* igne etiam, & *permansurum* in *deserto* hujus mundi, extensum inter gentes, usque ad finem seculorum. Propter Electos enim congregandos stabilis permanet orbis terrarum, usque dum numerus eorum completus fuerit *Psalm*. xciii. 1, 2. 2 *Pet*. iii. 9. Perpetuum erit Regnum gratiæ Messiæ in terris hisce quoque *Jes*. ix. 5, 6. *Dan*. ii. 44. *Luc*. i. 32. nec *Portæ inferorum prævalebunt Ecclesiæ* militanti *Matth*. xvi. 18. Nunquam deficient subditi Regis Messiæ; *Reverebuntur te quamdiu erit sol; & durante luna in generationem æternam. Erit Nomen ejus in seculum, durante sole sobolescet nomen ejus Psalm*. lxxii. 5. 17. Huc spectat emblematica Ecclesiæ descriptio, seu portentosa Mulier illa Apocalyptica, quæ *amicta erat sole, sub cujus pedibus erat luna, & in capite corona stellarum duodecim Apoc*. xii. 1. Sol Luna & Stellæ fuerunt olim apud Ægyptios Veteres *æternitatis* emblemata. Consumat ignis tribulationum aliquam Ecclesiæ visibilis partem; Angelus Jehovæ restituet continuò id quod perditum erat. Sanguis Martyrum est semen Ecclesiæ. *Plures efficimur quoties metimur*, inquit Tertullianus in fine *Apologetici*. Perpetua enim est præsentia Angeli Domini apud Ecclesiam, & maxime tunc cum igne Afflictionum incensa est illa. *Quum transis per aquas* TIBI ADSUM, . . . *quum ambulas per*

IGNEM

IGNEM, *non ureris, & flamma non incendit te Jes.* XLIII. 2. nempe ut consumaris.

XXX. O Amœnissimum *Rubetum! Quod* Docet nos: Tum Naturalem Electorum per peccatum Statum miserrimum, ut qui Dumeto similes sunt, omnis bonæ frugis naturaliter expertes, igni æterno meritò tradendi: Tum Signum Veræ Ecclesiæ, quæ splendet luce Verbi Dei & puræ Doctrinæ ex eo haustæ: Tum Sortem hujus Veræ Ecclesiæ in hoc mundo, quæ est castigationis Domini Paternæ, afflictionis ac persecutionis igne uri; ubi enim lucet Dominus, ibi & urit frequenter; tantùm abest ut Veræ Ecclesiæ nota sit externa prosperitas ac mundanus splendor: Tum denique Indefectibilitatem Ecclesiæ Veræ, instar Rubi hujus Sinaitici non consumendæ penitus: Tum tandem Perseverantiam singulorum fidelium, quorum fides, si igne tentationum Mundi Carnis ac Satanæ posset absorberi & perire, Ecclesia esset defectibilis, & sua veritas huic Divino Symbolo haudquaquam constaret integra. *Quod* porro validè nos Consolatur adversus; Tum Vilitatem externam, quæ non impedit, quominus Filius Dei Habitator hujus Rubeti velit esse perpetuus; Tum Infirmitatem propriam, cui succurrit Dominus omnipotens inhabitans, per quem omnia valent fideles, quoniam plures sunt pro illis quam contra illos, & hostes omnes vincent merito & efficaciâ Angeli Domini *Rom.* VIII. 31. 37. *Phil.* IV. 8; Tum Afflictiones & Mortem ipsam, quæ non separabunt nos â Christo, nec prævalebunt Ecclesiæ militanti, ita ut hæc in terris esse desinat, quamdiu erunt Sol & Luna. *Quod* præterea Admonet omnes; ut gaudeant de Ecclesiæ Veræ Perseverantiâ apud Nos, & de Luce purioris Doctrinæ & æterni Euangelii, quâ illustrat nos hactenus Angelus Domini; ut Gratiam Justificationis per fidem & Sanctificationis quærant calidissimis precibus apud Habitatorem Rubi cum Mose; & ne offendantur unquam Ecclesiæ veræ vilitate externa, aut paucitate aut afflictione, quo mi-

minus secum jungant; inprimis ne Eam oppugnent unquam, & violenter invadant, quam Dominus elegit in Thronum suum, habet enim Populus Dei aculeos quibus pungit eos qui violare eum volunt; & denique ne nimis propè accedant, curiosè omnes Dei vias circa Ecclesiam in his terris rimaturi, sed admirentur potius eas, quæ, utut sint impervestigabiles, tamen omnes sunt justæ, sapientes, decentes. *Rom.* xi. 33. 34. *Apoc.* xv. 3. *Psalm.* xxxvi. 7. *Quod* tandem Excitare debet omnes Fideles; ut humili animo Naturalem Miseriam ex hoc Rubeto Agnoscant; Gratiam Inhabitoris Rubi, qui eos elegit, redemit, sanctificavit, & perseverare fecit in fide in hunc usque diem, & faciet porro, lætis animis & vocibus Extollant; Lucem veritatis, & sanctitatis, & charitatis erga Deum, Christum, Proximum ex se Splendere faciant in omni Conversatione *Matth.* v. 16. *Phil.* ii. 13. 1 *Pet.* ii. 9; Patienter ferant ignem tribulationis a Deo immissum, purgantem ipsos & probantem, non consumentem; Confidant Ecclesiam veram nunquam defecturam esse; & Orent denique pro Fratribus afflictis, ut Luce Verbi & Spiritus illos consoletur, mala immissa mitiget, & auferat suo tempore, imo etiam pro Judæis obduratis hodie, ut iterum assumantur in Populum Dei, purgati per *ignem*, juxta promissum *Zach.* xiii. 9. ut tandem Desiderent & Expectent Ecclesiæ triumphantis communionem, atque totius Ecclesiæ æternos ac cælestes Triumphos, qui non venient, antequam ex hoc deserto ad cælestia Palatia translata fuerit, quando omnes & toti gloriosi erimus, & corpora quoque nostra, ut totidem lumina cælestia splendescent in æternum. Amen.

DISSERTATIO SECUNDA

DE

INIQUITATE PATRUM IMPUTATA FILIIS ET FILIORUM FILIIS, TERTIIS ET QUARTIS.

AD EXOD. XXXIV: 7.

I.



Attentos dudum tenuit Præſtantiſſimos Interpretes Quæſtio Diſcipulorum illa de Cæco à nativitate, *Joh.* IX. 2. Ῥαββὶ, τίς ἥμαρτεν; οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; *Rabbi, quis peccavit; hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Obſcuritatis nonnihil habere videtur, præcipuè quantum attinet ad prius membrum, ſi diverſa Virorum Doctorum de Fonte, unde emanaverit illa, reſpiciamus. *Ruditatem* putat *Caſtalio*, quando *rudium adhuc hominum interrogationem* vocat, ut qui exiſtimaverint, peccaſſe hominem antequam naſceretur & exiſteret. *Erroneam Opinionem*, unam vel alteram, v: g: de Transmigratione animarum Pythagoricâ, aut de Præexiſtentia earum Platonicâ, nominant alii, atque multos Judæorum tunc temporis alterutrâ vel etiam utraque imbutos fuiſſe monent, & probant ex *Sap.* VIII. 19. *Philone*, *Joſepho*, *Thalmudiſtis*. Aſt neutram heic in cenſum venire poſſe opinatur *Ligtfootus*; non priorem, quia *Joſephus* tradit de Phariſæis, quod bonorum animæ duntaxat migrare crediderint in alia corpora, malorum verò æternâ cruciari pœnâ; neque poſteriorem, quòd ſic abſurdiſſimè ſtatuiſſent

Diſ-

Discipuli Domini, quòd *animæ quædam tradantur è manu Domini peccaminosæ & impuræ.* Alium itaque errorem Judaicum produxit ipse de infantibus actu in utero materno peccantibus, quo imbuti hæc protulerint Discipuli verba, *Quis peccavit; hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur*, id est, juxta *Ligtfootum*; *Num ille, dum eum in utero gestaret Mater, fœdum aliquid aut enorme perpetravit, ut cæcitatem ejus rei pœnam secum tulerit in mundum?* Sed fortè ruditatis atque erroneæ hujus opinionis triplicis immeritò accusantur Discipuli. Haud videntur dubitasse illi de peccato Filii cæci, aut Parentum ejus. Originalis enim peccati reum fuisse illum, atque peccatorem ab utero *coll. Jes.* XLVIII. 8. *Rom.* v. 12. ex Doctrina Mosis & Prophetarum, atque ex illâ Rabbinorum de יצר הרע *figmento malo*, facile scire; aque parentes ejus hoc & simul actualibus multis coinquinatos fuisse peccatis minimè in dubium trahere poterant. Verùm dubitant de *Caussâ* cæcitatis hujus nativæ. *Quis peccavit; hic aut parentes ejus*, ἵνα ADEO UT *cæcus nasceretur.* Id quod etiam intelligitur facilè ex responsione Christi, in quâ non negat simpliciter, peccasse filium aut parentes ejus, sed horum vel illius peccatum fuisse caussam cæcitatis hujus proximam; quam idcirco aliam adsignat, nempe sapientissimam Dei voluntatem, quâ voluit sic Filio suo dare occasionem Divinum Opus patrandi, gloriamque æternam suam manifestandi. *Respondit Jesus, neque iste peccavit, neque parentes ejus*, ut cæcus nasceretur: *sed* cæcus natus est *ut opera Dei manifesta fiant in eo*, uti bene transtulit ℣. 3. verba *Beza.* Ita porro interrogantes Discipuli rectè quidem supponunt, haud absque Divinâ providentiâ malum hoc illi accidisse, atque simul miserias ejusmodi corporales ex peccato originem trahere, nuper etiam hac de re eruditi ex Domini sermone *Joh.* v. 14. *Ecce sanus factus es: ne pecca amplius, ut nequid deterius tibi fiat.* Ex quo dicto Salvatoris ansam esse datam Discipulis movendi hanc quæstionem haud absque omni ratione conjecit *Euthymius.*

 In-

Interim ab omni errore, saltem temeritate, immunes haud fuerunt, si nempe cogitaverint nativum hocce malum physicum, non ex providentia Dei Dominica, sed tantùm Judiciali ducere potuisse originem, seu Deum non decuisse ita graviter affligere hunc hominem, nisi ut Judicem, pœnasque peccatori infligentem promeritas. Nam, præterquam quòd absque temeritate determinari haud queat, quousque Jus Dei in creaturam sese extendat, etiam innocentem, hoc saltem certum est, etiam ex exemplis Jobi Asaphi aliorumque piorum, quòd afflictiones corporales, etiam graviores, non mox inferant in afflictis graviora crimina, vel etiam peccata, ut caussas istorum malorum proximas à Deo affligente spectata. Dantur enim afflictiones, ad obedientiæ probationem, atque ad patientiæ fidei spei aliarumque virtutum exercitium & studium acuendum, imo ad gloriæ Divinæ illustrationem, piis hominibus divinitùs immissæ plurimæ. Non est denique interrogatio hæc ita concipienda, quasi negationem includat, Dictumque Domini illud, de quo supra *Cap.* v: 14. absurdo aliquo sic premere in animo habuerint Discipuli: & quasi hi sermonem suum hunc in modum composuissent. Magister, dixisti nuper, morbos corporis ejusmodi esse ex peccato, & quidem graviori, uti videtur. Atqui hæc caussa in hoc homine locum habere non potuit. Esset enim peccatum, vel ipsius cæci, vel parentum ejus. Neutrum verò dici potest. Nam cæcus hic à nativitate antequam nasceretur actu peccare haud potuit; neque etiam ob peccata parentum puniri, quia filii, haud imitantes & probantes patrum iniquitatem, etiam ob eam pœnas luere nequeunt, juxta illud. *Anima quæ peccavit morietur: filius non portabit iniquitatem patris*, *Ezech.* XVIII. 20. Istiusmodi enim argutationem, quâ absurditatis Domini dictum accusarent, à simplicitate & pietate Discipulorum alienissimam existimo. Verùm est Interrogatio inquisitionis; an verò nimiùm curiosæ, anxiè nunc non inquiro,
ne-

neque ita videtur mihi. Inquirunt enim in cauſſas cæcitatis, partim ex rei Naturâ, partim ex Revelatione haud improbabiles. Potuit enim Deus judex juſtiſſimus hominem hunc, peccatorem in Adamo, & ab utero labe originali infectum, juſtè hac cæcitatis pœnâ afficere, quem ob eandem cauſſam ad æternos cruciatus damnare potuiſſet. Hoc tamen originale peccatum mali hujus fuiſſe cauſſam proximam probabile minus ipſis fortè viſum fuit; quia hoc commune eſt omnibus Adami poſteris naturaliter ex eo ortis, atque etiam in parentibus hujus cæci locum habebat. Ideoque, ut quid longè probabilius, addidiſſe videntur mentionem peccati alicujus parentum gravioris, quod vel contra legem illam *Levit*. xx: 18. *Ezech*. xviii: 6. cujus meminit *Grotius*, vel contra aliam Dei Legem; potiſſimùm Moralem, fuerat commiſſum, atque filio *imputatum*. Hujuſmodi autem iniquitatis parentum *Imputatio propriè dicta*, quia *Juris* quidem erat Divini, ſed liberrimi, quâ Deus uti potuit vel non pro arbitrio ſuo, & quia multis Judæorum olim & tunc iniqua fuit viſa, *Jer*. xxxi: 29. ideo videntur rogaſſe Dominum, an non hujus *Imputationis peccati alieni* in hoc cæco nato reperiretur notabile Exemplum, quo ſimul tot Comminationum vel Denunciationum Divinarum in Lege & Prophetis extantium confirmaretur Veritas.

II. Primò in promulgatione Decalogi hanc ſui deſcriptionem terrificam ſecundo præcepto adjecit Legiſlator. *Exod*. xx. 5. *Deut*. v: 9. פקד עון אבת על בנים על שלשים ועל רבעים לשנאי. *Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, ſuper tertios & ſuper quartos odientium me.* LXX. Interpretes verterunt in *Exodo*; ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς τοῖς μισοῦσί με; in *Deut*. ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεάν. *Vulg*. in *Exodo*, *Viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me*: in *Deut*. *reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me.* Cum parvâ variatione, omiſſione nempe τοῦ לשנאי, & additis

Nepotibus, hæc etiam in proclamatione Nominis Jehovæ coram Mose occurrunt *Exod.* XXXIV: 7. פקד עון אבות על בנים ועל בני בנים על שלשים ועל רבעים. *Visitans iniquitatem patrum super filios & super filiorum filios, super tertios & super quartos.* LXX. ἐπάγων ἀνομίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἐπὶ τέκνα τέκνων, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεάν. *Vulg. qui reddis iniquitatem Patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem.* Vide etiam Loca *Num.* XIV: 18. *Jer.* XXXII: 18. *&c.*

III. In his Locis cum manifestè doceatur nostro judicio, JUS DEI puniendi peccata Patrum in Filiis, atque adeo his IMPUTANDI ea ipsa à patribus actu patrata scelera; hoc *Jus Dei* ex simplicitate & veritate Revelationis, in gratiam potissimùm sacræ Juventutis Academicæ, & ut honestæ petitioni ornatissimi Respondentis satisfacerem, in hac Dissertatione illustrare atque pro viribus meis demonstrare, fortunante Deo, constitui. Plurimùm certe momenti habet hoc Argumentum in Theologia Nostra. Demonstrato enim hoc JURE DEI ex infallibili Revelatione Ejus, luculenter etiam confirmabitur atque illustrabitur Doctrina Nostra Orthodoxa de *Imputatione peccati Adami immediata*, quam non pessimi hæretici modó, sed & nonnulli ex Nostris etiam, fallaci ratiocinationi propriæ ac affectibus humanis magis indulgentes quam divinæ Revelationi obtemperantes ac se submittentes, temerè & periculosè admodum negare sustinuerunt. Enimvero nititur hæc Adamici peccati imputatio obligatione posterorum in ipso fœderali ad obedientiam, & hac negatâ ad pœnam omnem peccato debitam, & hæc iterum Obligatio fundata est in *Jure hoc Divino*, puniendi scilicet, si velit, peccata Patrum in Filiis, & proinde etiam his imputandi illa, ac habendi, per Jurisfictionem æquissimam, pro peccatis Filiorum. Quaptopter meritò mirabitur aliquis, tot Viros doctissimos, de imputatione peccati *Adamici* orthodoxè satis sentientes, omnia tamen hæc Loca, supra descripta & indicata, explicare de Filiis Patrissanti-

tibus ac imitantibus peccata Patrum, provocantes etiam ad Dei justitiam, ut quæ prohiberet filios plectere, in quibus Iniquitas Patrum vel propagatione vel imitatione non fuerit exemplata. Quo pacto satis imprudenter profectò omnem peccati imputationem injustam statuunt, nisi fiat *mediante* iniquitate patrum Filiis jam inhærente, vel per propagationem vel per imitationem. Operæ igitur erit pretium hoc *JUS* Deo asserere, quod ipse sibi luculenter tribuit tum in *Legislatione*, tum in *Nominis sui Proclamatione* paulò plenius, *Exod.* XXXIV. 7.

IV. Inspiciamus itaque Revelationis Literam cum curâ & attentione debitâ, & simul cum animo ad ratiocinia unà cum affectibus humanis submittenda Revelationi Divinæ paratissimo. Atque sic in hac Dei Descriptione, coram Mose repetitâ, occurrit *Primò* עון אבות INIQUITAS PATRUM. Intelligimus per eam ipsissimum *singularem* ac *numericum Patrum actum peccaminosum*. Eodem enim sensu heic capi debet, quo sumitur *Ezech.* XVIII. 20. *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii*; quoniam hoc in loco renunciaturum se fore Juri suo declarat Deus, quo aliàs uti posset contra Israëlitas, juxta pristinam Denunciationem suam, & nunc se illos puniturum modò dicit propter peccata propria, quæ perperam & hypocriticè dissimulabant illi. Atqui in hoc loco capitur non de *iniquitate patris*, quæ filio etiam inhæret, vel per propagationem vel per imitationem, sed soli patri, ab ipso duntaxat patrata. Id quod manifestum est ex eo quod additur, *& pater non portabit iniquitatem filii*; præterea ex eo, quòd in his verbis contineatur responsio ad querelam illam, ℣ 2. *Patres comedent*, vel *comederunt*, *uvam acerbam*, *& dentes filiorum obstupescent*, vel *opstupescunt*, uti habet *Vulgatus*. Cujus querelæ vis in eo est, quod actio vel omissio peccaminosa Patrum aliena filiis fuerit imputata in caussam pœnæ, in quibus tamen illa locum nullo modo habuerit. Errant igitur qui per *Iniquitatem Patrum* intelli-

li-

ligunt Iniquitatem filiorum, illi Patrum *ſimilem*, atque cum illâ *ſpecifice* eandem, utpote ad imitationem Patrum patratam; *Ugo Cardinalis* in *Num.* XVI. *Hoc multis modis exponitur; vel ſic, qui viſitas, puniendo peccata patrum in filiis, id eſt, peccata Filiorum, quibus imitantur Patres*; qua de re mox plura. Errant ſimiliter, qui de *Iniquitate* à *Patribus communicata* filiis, & in eos *propagatâ* explicant. Sive ſit hæc peccatum originale, quod trahimus ab Adamo, ſive propenſio particularis quædam proximorum parentum. *Johannes Gerhardi* in *Deut.* V. *Auguſtini* ſententiam in *Enchiridio Cap.* XLVI. defenſurus, (cujus tamen mentem adſecutum fuiſſe hactenus dubito) *Neque poſſet dari evidens ratio*, inquit, *cur Deus in tertiam & quartam tantum generationem puniret eorum peccata, qui oderunt ipſum, ſi non propenſionem illam ſingularem ad peccata a proximis parentibus in liberos propagatam puniret.* Agnoſcimus interim, *tum* Originalis labis ab Adamo propagationem veram per generationem naturalem, *tum* etiam particularium ad hæc vel illa peccata propenſionum à proximis parentibus. *Bene* idem *Joh. Gerhardi*; *Quemadmodum enim ex calculoſis generantur calculoſi, ita ex libidinoſis & avaris parentibus, naſcuntur liberi ad libidinem & avaritiam proni. Agar ancilla Saram dominam tempore geſtationis deſpiciens gignit Iſmaëlem ſcopticum Gen.* 16: 5. 21: 9. *Lea concubitum cum marito ardenter expetens gignit Rubenum inceſtuoſum & Judam libidinoſum. Gen.* 38. 16. &c. *Quamvis*, inquit *Forbeſius Theol. Moral. Lib* II. *C.* V. *pro Paterno temperamento, & certo quodam peccandi habitu in hoc vel illo genere, radicalis illa perverſitas filiis interdum communicetur cum majore ad hunc vel illum amarum fructum propenſione, quam ad alios.*

V. Obſervandum eſt porro, quod nulla adſit, neque in voce עָוֹן, neque in numero ſingulari, in quo poſita vox illa, utpote ſæpius pro plurali adhibito *coll: Gen.* XLIX: 6. *Deut:* XX: 19. neque in Textu, *Limitatio*, quæ de uno ac certo quodam peccato tantum nos cogitare jubeat. Ex exem-

exemplis etiam punitæ iniquitatis patrum in filiis constat eam non unam sed variam fuisse 1 *Sam*: 11. 29 33. 3: 6. 2 *Sam*. XII: 14. XXI: 1: 26. *&c*. Præcipuè tamen gravius aliquod delictum videtur intendisse Legislator; quale est omne illud quod non ex ignorantiâ aut infirmitate, sed ex malitia & destinato animi consilio committitur, â *Cajetano* ideo heic nominatum; & quale etiam est *Perjurium*, quod Gentiles crediderunt *omnem vastare stirpemque domumque*; uti ex *Herodoto*, aliisque adnotavit *Grotius* de *Jure B*: &. *P. Lib*. II: *Cap*. XIII; & denique quale quam maximè est *Idololatria*, quam itaque si etiam & quidem primo loco heic intelligendam velint Judæi & Christiani Veteres & Recentiores multi, minimè me habebunt repugnantem. Etenim hæc Verba Dei primò leguntur addita Præcepto secundo, in quo de *Idololatria* agitur, *Exod*. XX. 5. *Deut*. V. 9. & Deus *Zelotypus* vocatur. Zelotypiæ autem divinæ caussa est maximè *Idololatria*, ut pote quæ est spiritualis fornicatio & adulterium *Hos*. II. 1. Deinde *Exod* XX. 5: iniquitas hæc in *odio* Dei ponitur; atqui in Idololatria præsertim, utpote quæ est fornicatio & adulterium, est *odium*, non amor, saltem est *minor dilectio*. *coll*. *Jer*. II. 25. Porro notandum est, quod post *Vituli cultum* repetierit Jehova hoc dictum in textu, ut indicaret, quamvis integrum populum, uti meruerat, non esset deleturus neque abjecturus, die tamen Visitationis suæ hanc & omnem aliam idololatriam esse puniturum; *coll*. *Exod*. XXXII. 34. Denique Patrum hæc iniquitas in posteris punita vel *punienda* expresse alibi in Idololatria ponitur *Jes*. LXV. 7. *Jer*. XVI. II. 12. 13. *Deut*. XIII. 13. 15. *Jer*. II. 9.

VI. Hujus Iniquitatis VISITATIO attribuitur porro in Textu Jehovæ â Jehova, quando dicit, פקד *Visitans*. Verbum פָּקַד/ de Deo frequenter adhibitum, significat cum cura rem inspicere, examinare, atque pro caussæ ratione ac rei conditione agere, vel in favore benefaciendo, vel in ira puniendo ac pœnas rependendo. Posteri-

riori hoc ſenſu pro *Punire* ac *Pœnam immittere* ſæpe ſumitur *Jeſ.* x: 12. *Jer.* v: 9. 29. vi. 6. *&c.* & ita quidem, ut quandoque Verbum hoc ſolum ponatur *Job.* xxxvi: 15. *Jeſ.* xxvi: 14. לכן פקדת / quandoque ſubjectum puniendum etiam memoretur, *Jer.* xv: 3. ופקדתי עליהם / quandoque verò cauſſa meritoria tantum nominetur *Jer.* xiv: 10. ויפקוד חטאתם / vide etiam *Pſ.* LXXXIX. 33. *Thren.* iv: 22. *Hoſ.* VIII. 13. IX. 9; quandoque tandem & *ſubjectum* puniendum vel punitum, & ſimul *cauſſa* punitionis exprimantur; *Exod.* XXXII: 34. ופקדתי עליהם חטאתם *aſt Viſitabo ſuper iis peccatum eorum. Jeſ.* XXVI: 21. לפקד עון ישב הארץ עליו *ad Viſitandum iniquitatem habitatoris terræ ſuper eum*: *Jer.* XXIII: 2. פקד עליכם את רע עלליכם *Viſitans ſuper vos malitiam actionum veſtrarum*: ſic etiam *Levit.* XXIII. 25. *Jer.* XXV. 12. *Hoſ.* I: 4. II. 12. IV: 9. *Amoſ.* III: 2. 14 Qui loquendi modus cum etiam inveniatur in textu, ubi eſt פקד עון על בנים / neceſſe eſt ut *peccatum* conſideretur heic ut *cauſſa* Viſitatonis *tantùm*, non item *ut ſubjectum* ejus, quod multiplex expreſſe additur, & quod in adductis locis fruſtra eſſet additum, ſi in voce *peccati* eſſet metonymia *adjuncti* pro *ſubjecto*, quam igitur malè in hoc loco ſtatuit *Rivetus* ſcribens ad *Exod.*xx. *Phraſis*, viſitare iniquitates & peccata, *eodem ſenſu quo punire peccata & iniquitates dicitur, cum tamen pœna non infligatur iniquitatibus, ſed hominibus iniquis. Eſt itaque metonymia, quâ* ſubjectum *intelligitur per* adjunctum, *ſimulque connotatur cauſa punitionis, quaſi diceret, viſitabo homines propter iniquitates.* Poſitâ hac metonymia ſenſus eſſet, *Viſitans peccantes Patres in Filiis*, cujus etiam meminit *Ugo Cardinalis* in *Num.* XIV. Scopus eſt, emollire ſic Domini dictum, in ſpecie durum, ne videretur dixiſſe ſcilicet, ſe velle alienam Patrum culpam innoxiis filiis imputare, cum in eos pœnam, ſeu id quod propriè pœnam conſtituit, minimè tranſferre velit, mala quidem poſteris innoxiis immiſſurus, ſed quæ

Pa-

Patrum iniquorum respectu pœnæ rationem habitura essent, & irati Numinis signa forent; respectu filiorum innocentium autem beneficii & medicinæ loco habenda essent. Sed, ut dixi, quemadmodum in hac phrasi, *Visitare peccatum super aliquo*, non potest statui istiusmodi *Metonymia*, ita etiam admitti non debet in nostro dicto, in quo proinde *de pœna Filiis immittenda propter iniquitatem Patrum* manifestè agitur. Et quia hæc *Visitatio judicialis* & *pœnalis* absque ulla restrictione ponitur, non ausim ego restringere illam hactenus ad certam aliquam pœnæ speciem, v. g. ad *temporalem* tantùm, aut *correctoriam*, ne ipse demam aliquid de Dei verbis, quod iis fortè continetur, atque ex meo judicio & affectu vias Dei componam, Verbumque ejus explicem. Intelligo itaque hoc latius de *omni pœnæ specie*, ita ut Deus declaret se posse aut etiam velle Iniquitatem Patrum punire in Filiis, in his corporali temporali correctoria medicinali tantùm, in illis verò etiam spirituali, imo & æternâ. Omnis enim hæc pœna est effectus vel minimi peccati *Gal.* III: 10. multò magis itaque gravioris iniquitatis, v. g. Idololatriæ, de quâ heic præcipuè agitur.

VII. Quemadmodum pœnæ hujus omnis *Caussa* statuitur *Iniquitas Patrum*, ita *Subjecta* ejus nominantur in Textu nostro, FILII ET FILIORUM FILII, TERTII ET QUARTI. In Decalogo autem, ut & *Num.* XIV: 18. *Filii Tertii* & *Quarti* modò memorantur, omissis *Filiis Filiorum*. *Tertii* in loco nostro à *Filiorum Filiis*, id est, *Nepotibus* distinguuntur; & sunt *Pronepotes*, & *Quarti Abnepotes*. *Trem:* & *Junius* transtulerunt, *Visitans Iniquitatem Patrum in Filios, & in Filios Filiorum, in Nepotes & in Abnepotes.* Tertii ipsis sunt Nepotes & in hoc loco & in Decalogo. Atqui nepotes sunt Filiorum Filii, à quibus Tertii heic distinguuntur, non exegeticè iis subjiciuntur, uti cogitasse videntur Interpetes illi. Hi Filii Primæ Secundæ Tertiæ & Quartæ generationis constituuntur

 tur

tur *subjecta* Visitationis hujus, ita tamen ut ipsi *Patres* neutiquam excludantur planè, utpote qui etiam pœná digni sunt, & quandoque puniti ipsimet, aut puniendi in propriis personis perhibentur. *Deut.* VII. 10. *Jer.* XXXII: 18. *Et retribuens iniquitatem Patrum in sinum filiorum eorum* POST EOS. *Acacius* apud *Lippomanum* ad *Exod.* XX. *Illud autem quod ab Hieremia dictum est, contradicere videri potest*, Reddens peccata Patrum in *sinum* Filiorum ipsorum post eos. *Nam si* post eos, *sine dubio non ut ipsi punirentur, nisi fortasse quis, illud* post eos, *non ita accipiat, quasi dictum sit, post mortem illorum, sed post illorum priorem pœnam, quæ Filiorum pœnam præcessit.* Quia rursus Legislator non determinat pœnam ad hos vel illos Filios, neque nobis temere determinare, neque absque caussâ gravi restringere licebit. Intelligimus itaque non modò parvulos, sed & adultos, quos aliqui apud *Abulensem* §. 70. in *Josuam* excludunt, uti monuit *Bonfrerius* ad *Exod.* XX. Fœmineum sexum quoque includi vix opus est ut moneam. Cæterum haud malè profectò scripsit *Hugo de Sancto Victore* apud *Lippomanum. De illis Filiis propriè constat hoc esse dictum quos genuère Patres post peracta maleficia, & merito parentum puniuntur, sicut aliquod membrum ipsorum, quia in ipsis malefactoribus quodammodo erant seminaliter, & peccabant. Unde claudi & cæci pro scelere parentum nascuntur.* De omnibus tamen & singulis harum generationum Filiis non videtur hoc necessario capiendum. Satisfit enim Domini verbis, si ex pluribus unus aut alter excogitetur, iniquitatis paternæ laturus pœnas. Sicuti enim Misericordia Dei non ad omnes & singulos piorum posteros extenditur, docente id satis experientia, *ne quis* scilicet *prærogativâ carnis glorietur*, sic etiam pœnam hanc non omnibus & singulis impiorum Filiis interminatus est Deus, comprobante & hoc quoque eadem experientiâ, *ne quis propter impios parentes desperet*, uti bene *Rivetus*. Si *Vau* in ועל בני בנים & in ועל רבעים *disjunctivè* capimus, uti alias

sum

ſumitur *Exod.* XII: 5. XXI: 15. *coll. Matth.* XV: 4. 2. *Sam.* II. 19. *coll.* ℣. 21. *Prov* XXX: 8. *Viſitans iniquitatem Patrum in Filiis* aut *in Filiorum Filiis*, *in Tertiis* aut *in Quartis;* habemus hic clementiæ Divinæ cum juſtitiâ mixturam, tarditatemque Dei ad iram, atque pœnæ dilationem, quandoque ad quartam uſque generationem; cujus etiam exemplum extat in poſteritate *Jehu*, 2 *Reg.* X: 30. XV: 12. *Hieronymus* in *Ezech.* XVIII. *Non enim truculentiæ eſt & ſeveritatis iram tenere uſque ad Tertiam & Quartam generationem : ſed ſignum miſericordiæ, pœnam differre peccati. Quando enim dicit : Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſerationis: & infert : Reddens iniquitatem Patrum ſuper Filios & Filios Filiorum: hoc indicat, quod tantæ miſericordiæ ſit, ut non ſtatim puniat, ſed ſententiam differat puniendi. Sin autem Vindicta peccantium differtur in Tertiam & in Quartam generationem, &c.* Ita quoque *Clar. Altingius Hept.* V. *Diſſert.* V. §. XXI. exiſtimat *Viſitationem avitæ iniquitatis in Pronepotibus vel Abnepotibus, tametſi generationes mediæ nihil tale patiantur*, adeoque non *continuam*, heic debere intelligi. Certe videtur ex *Num* XIV: 18. quod in his verbis quoque ſit aliqua Divinæ clementiæ declaratio. Si verò *Vau* ſit *copulativum; Viſitans iniquitatem Patrum in Filiis* & *in Filiorum Filiis*, *in Tertiis* & *in Quartis*, ἕως τρίτης ϗ τετάρτης γενεᾶς, ſic nempe ut nulla ferè harum generationum quatuor eſſet futura, in qua non extarent atque invenirentur Viſitationis hujus triſtia exempla; habebimus hîc denunciationem iræ *Severitatisque* Dei *Zelotypi*, cujus exemplum aliquod extare videtur in familia *Eli*, cujus lenitas punita eſt in *Filiis*, 1 *Sam.* II: 34. in pronepote *Achimelecho* 1 *Sam.* XXII: 16. & in Abnepote *Abjathare* 1. *Sam.* XXII: 20. 1. *Reg.* II: 27. Hæc tamen ſeveritas mitigaretur rurſus, ſi ſtatuamus pœnæ *Reſtrictionem* heic fieri ad quartam duntaxat progeniem, non ultrà extendendæ. *Auguſtinus*, vel quisquis Auctor fuerit *Quæſt. V. & N. T. Quæſt.* XIV. *Et in hoc cle-*

clementia Dei laudabilis est, ut odio habentibus se usque in Tertiam & Quartam reddat progeniem, & non in millia millium: ut si in quintam progeniem tractum fuerit malum, inde iterum caput habere incipiat, ut ex eo numeretur usque ad Tertiam & Quartam progeniem. Similiter *Cajetanus* in *Exod.* xx. *Sed cerne differentiam, quoniam vindicta non extenditur ultra quatuor Filios, beneficia autem extenduntur in millia; &c.* Ita & *Zanchius Oper. Tom.* IV. p. 377. *Hoc enim est quod innuit, cum ait iniquitatem Patrum visitaturum non in omnes posteros, sed tantum usque ad tertiam, aut ad summum usque ad quartam generationem. Ita hæc comminatio mixtam habet benedictionem.* Alii verò *Restrictionem* hanc non admittunt. *Grotius* in *Explicatione Decalogi. Est autem Proverbialis locutio. Etiam Plato*, εἰς τετάρτην γενεὰν διαβιβάζει τὴν τιμωρίαν. *Sic dicunt Poëtæ*,

Καὶ παῖδες παίδων, καί τοι μετόπισθε γένωνται.
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

In Proverbiis verò verba rigidè & strictè sumi non solent, sed sensus magis attenditur, qui hujus Proverbii foret, pœnam nempe immittendam esse posteris quantumcunque longius à stirpe succedentibus. Numerum determinatum pro indeterminato heic esse positum contendit cum aliis *Hackspanius* in *Notis Philologico-Theologicis* in *Exod.* xx. *Pœnæ, quibus Filii hoc loco ob parentum iniquitatem affligi dicuntur, non ita sunt accipiendæ, ut solummodò restringantur ad Tertiam & Quartam generationem, ceu facit* Molinæus, *quem sequitur* Rivetus, *&* Wendelinus, *non verò ultrà extendi debeant. Probè enim perpendenda est collatio, quæ h. l. instituitur inter Dei misericordiam vel beneficentiam erga pios, & justitiam vel pœnas erga impios. Quemadmodum igitur Dei beneficentia erga pios non strictè accipienda, ut ultra millesimum annum (numerus enim millenarius sæpe indefinitè sumitur) ita in pænis non ita subsistendum, ut ad Tertiam & Quartam generationem restringantur, sed dicendum, quòd hic quoque numerus derminatus pro indeterminato positus fuerit.*

rit. In hujus rei ulteriorem probationem producit; tum exemplum *Amalekitarum Exod.* XVII: 14. 1. *Sam.* XV. post 400. annos demum à Saule excisorum, quod se Israëlitis in itinere ex Ægypto opposuerunt; tum locum. Matth. XXIII: 35. Universitatem Generationum significatam fuisse haud improbabile judicavit *Augustinus Quæst.* XLII. in *Deut: Quamvis & illud meritò quæri possit, si redduntur peccata Patrum in Filios his, qui oderunt Deum, cur in Tertiam & Quartam generationem, vel prætermissa primâ & secundâ, vel non etiam in ceteras, permanente impietate & imitatione malorum. An per hunc numerum quoniam* septenarius *intelligitur*, universitatem *significare voluit: & ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in* septimam generationem, *ac sic* omnis *intelligeretur*; *quia caussam* perfectionis *hujus numeri hoc modo potius intimavit? Ideo namque perhibetur* perfectus, *quia ex his duobus constat*, ternario *scilicet primo impari toto*, & quaternario *primo pari toto. Unde esse & illud Propheticum* (*Amos* 1: 3.) *existimo, quod assidue repetitur*, in tribus & quatuor impietatibus non aversabor: *per quod voluit impietates universas potius, quam tres vel quatuor intelligi.* Ita Doctissimus ille Hipponensium Episcopus scripsit, tuendæ hypothesi suæ, de *Filiis*, qui *imitantur* patrum suorum scelera, intelligendis, magis intentus, quàm Literæ Textus sacri. Confudit enim nomina numeralia Ordinalia, qualia inveniuntur in Textu שלשים & רבעים *Tertii* & *Quarti*, cum nominibus numeralibus Cardinalibus, qualia sunt שלוש *tres* vel & ארבע *quatuor*. Cardinalis quidem pro ordinali ponitur quandoque in Sacris, sed an ullibi ordinalis pro cardinali usurpetur nescio. Deinde etiam videtur errare in expositione dicti prophetici *Amos.* 1: 3. quatenus *tria* & *quatuor* ibi voluit esse posita pro *septem*. Haud malè *Lippomanus* ad *Exod.* XX. *Tria & quatuor juxta Hebræam phrasim computanda sunt simpliciter pro quatuor, sicut sex & septem pro septem. Sic Amos.* 1. propter tria scelera Damasci, & propter quatuor

non

non reddam ei, *&c. Sic Prov.* 30: 15. Tria illa non faturantur, & quatuor non dicunt, sufficit. *Et mox* ℣. 18. Tria sunt difficilia mihi, & quatuor ignoro. (adde ℣. 21.) *Sic & Job.* v. 12. In sex tribulationibus liberabit te, & in septem non tanget te malum. *In sex & septem, hoc est septem. Enumerat enim postea septem tantum tribulationes, ex quibus illum liberaturus sit Deus.* Interim *tria* & *quatuor* in loco *Amosi* indefinitè pro multis poni minime nego. Rectè quoque *Forbesius Theol. Moral.* Lib. 11. Cap. v. *Neque enim assentiri possumus Doctissimo* Augustino, *ut per tertiam & quartam generationem intelligamus Universitatem, sive omnes generationes*, nam istam conjecturam *refellit oppositio millenorum amantium Deum.* Scilicet uterque numerus, & millenarius & ternarius vel quaternarius, multitudinem indefinitè quidem significat; sed hic minorem, iste verò longè majorem. Longius misericordiam, quam justitiæ rigorem extendit.

VIII. Post hæc omnia meretur paulò diligentius expendi *Participium* פקד VISITANS. Cum enim Participium Benoni non tantùm notet *Actum præsentem Exod.* 11: 14. *Jos.* 1. 2. *Eccles.* 1: 7. sed & *præteritum Amos.* iv: 13. *Zach.* xii: 1. imo & *futurum Exod.* xi. 5. *Jon.* 1: 3. *Matth.* xi: 3. *Apoc.* 1: 8. meritò quæritur quo sensu heic sumatur, & an vertendum sit in *Præterito*, QUI VISITAVIT, an in *Præsenti*, QUI VISITAT, an verò in *futuro*, QUI VISITABIT. *Præteritum* Visitationis Actum significari contendit *Rupertus*, per *Iniquitatem Patrum* intelligens *Venditionem Josephi. Opportuno quoque tempore*, inquit, *fortem se & reddentem iniquitatem Patrum in Filios in quartam & tertiam generationem hic asseruit, videlicet ubi totus Mons Sinai fumigabat, & totus erat terribilis, eò quod descendisset Dominus, quod erat indicium fortitudinis, & iniquitatem Patrum qui Joseph fratrem suum vendiderant, nunc* reddiderat *in tertiam & quartam generationem, non absque misericordia, solutâ nempe captivitate, revertebantur de Ægypto generatione quarta.* IX.

IX. Alii transferre malunt Participium פקד in præsenti, QUI VISITAT. Cæterum cum Verba *Activa*; nunc *debitum*, *Heb.* v: 4. nunc *consuetudinem* 1 *Sam.* 11. 6. 7. *Marc.* xv: 6. coll. *Matth.* xxvii: 15. nunc *potentiam* & *potestatem* *Job.* ix: 6. *Matth.* xii: 31. nunc denique *voluntatem* agendi *Exod.* xii: 48. *Matth.* v: 23. significent, idcirco in diversa heic abeunt iterum Interpretes. Non notatur hîc *debitum* agendi: ut, *qui Visitat*, idem esset, ac qui VISITARE DEBET. Nam quamvis Deus peccatum non possit non punire, juxta illud quod præcedit in Textu ונקה לא ינקה *& insontem habendo non habebit insontem* sc. sontem & peccatorem, JURIS tamen Divini non necessarii, *sed* LIBERI est *punire peccata Patrum in Filiis.* Nam quòd propter primum Adami peccatum omnes nascantur filii iræ, & in eo uno omnes peccaverint ipsius Posteri, est ex Fœdere Operum, quo Deus voluit omnes nostras voluntates in uno Adamo obstringere ad obedientiam, & posita Fœderis istius transgressione ad pœnam. Voluit autem liberrimè, quia potuisset aliter velle, si ita ipsi placuisset; sicuti peccatum ipsum liberrimé permisit, quod tamen nunc necessarió punit. Et ex hoc solo fonte solutio petenda est difficultatis illius, quæ oritur ex apparente contradictione inter hæc Mosaica Dicta & Propheticum illud, quod extat *Ezech.* xviii. 20. *Anima quæ peccat, ipsa morietur: Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii, justitia iusti super ipso erit, & improbitas improbi super ipso erit.* Agi hoc in loco de Patre probo ob Filii improbitatem, & de Filio pio ob Patris impietatem, non morituris, & proinde de Filio adulto, non parvulo, ex Textu & Contextu præcedente manifestum est. Unde consequitur quòd in hoc Prophetico Dicto Mosaicorum illorum non fiat *Explicatio*; uti supponunt vulgò illi, qui Mosaica Dicta de Filiis, quibus vel imitatione vel consensu vel approbatione vel non impeditione aliquid pa-

terni sceleris inhæret, interpretantur. Certum est enim in Mosaicis Dictis, ex Contextu haud limitatis, agi etiam de Parvulis; quemadmodum quoque ex loco *Jer.* XLIV: 7. & ex Exemplis, v. g. Parvuli Davidis Filii ob parentis peccatum morte abrepti 2 *Sam* XII: 14. constat. Verùm *Renunciat Deus* apud *Ezechielem JURI suo*, quod in Lege & coram Mose solenniter declaraverat, quo posset cæteroquin uti etiam in probos impiorum Patrum Filios, hos quoque malis quibusdam corporalibus & temporalibus implicando & afficiendo propter Patrum iniquitates. Neque tamen *absolutè* sic renunciat Deus huic suo *Jùri*, nam & malis Babylonicis *justi cum injustis Ezech.* XX: 47. XXI: 3. pressi sunt, uti ex exemplis Ezechielis, Danielis, & sociorum ejus *Ezech*: I: 1. *Dan.* I: 6. III: 12, 17. satis apparet. Verùm ex *hypothesi*, si scilicet hi litigantes cum Domino, ac parabola illa utentes ℣. 2. ac Viam ejus injustam esse clamantes, probare possent se esse immunes à Patrum improbitate, Legemque Dei sincerè observasse. Hoc nempe in casu huic *JURI suo* se *Renunciaturum* fore declarat Deus, ut scilicet sic confunderet hypocriticum populum, proprias ac fœdissimas dissimulantem iniquitates, & se ob Patrum peccata iniquè puniri conquerentem, & hoc JUS Dei in Lege propositum, ut ab omni æquitate alienum, calumniantem; atque ut sic simul significaret, quòd ignis iræ suæ justissimæ sat ustibilis materiæ seu improbitatis damnabilis in ipso hoc populo invenire posset, adeò ut necesse non habeat præsentis iræ Divinæ caussas in Delictis Patrum quærere. Ex quibus ita disputatis judicium ferri potest de vulgari Dictorum horum apud Mosem & Ezechielem occurrentium conciliatione, quâ statuitur; apud Mosen agi de Filiis imitantibus patres impios, & de pœnâ temporali; apud Ezechielem verò de Filiis resipiscentibus & de pœnâ æternâ.

X. Vulgo itaque existimant quod participium פקד heic significet *consuetudinem Visitandi*, ita ut *qui Visitat* idem

sit,

sit, ac qui VISITARE SOLET. Verissimum hoc est, atque in hujus rei confirmationem, sive dictum hoc *determinatè*, sive *indeterminatè* capiamus, sive gentem *Israëliticam*, sive etiam *alias* respiciamus, meritò adducuntur; *tum Comminationes* variæ & *Prædictiones*; *tum Querelæ* piorum & *Confessiones* atque *Deprecationes*; *tum* denique *Exempla* plurima *Visitationis* hujus *Judicialis Iniquitatis Patrum in Filiis institutæ*. Comminationes extant *Levit*. XXVI. 39. *reliqui in Vobis contabescent propter iniquitatem suam in regionibus inimicorum vestrorum : etiamque propter* iniquitates Patrum suorum *cum ipsis tabescent*. Vulg. *& propter peccata* Patrum suorum *& sua affligentur*. *Num*. XIV: 33. *Et Filii vestri erunt pascentes in deserto, quadraginta annis, &* portabunt fornicationes vestras, *donec deficiant cadavera vestra in deserto*. *Jes*. XIV. 21. 22. *Parate* Filiis ejus *mactationem*, propter iniquitatem Patrum eorum: *ne surgant, & hæreditario jure possideant terram, & impleant superficiem orbis terrarum civitatibus. Nam surgam contra eos, dictum Jehovæ exercituum : & exscindam Babeli nomen* & residuum, & Filium & Nepotem, *dictum Jehovæ*. *Jes*. LXV: 6, 7. *Quinimò reddam, & reddam in sinu eorum: Iniquitates vestras*, & iniquitates Patrum vestrorum simul, *dicit Dominus*. *Jerem*. XIII: 14. *Et dispergam eos, unum cum altero*, & Patres & Filios pariter. *Jerem*. XVI: 11, 12. 13. Propterea *quòd dereliquerunt* Patres vestri *me, dictum Jehovæ, & sectati sunt Deos alios, &c. Vos verò pejus fecistis quàm Patres vestri*, &c. Propterea *ejiciam vos é terra hac in terram quam ignoratis, & vos & Patres vestri: & coletis ibi Deos alios, interdiu & noctu: quamdiu non dedero vobis gratiam*, vel *quia non dabo vobis gratiam*. *Jerem*. XLIV: 7. *Et nunc sic dicit Jehova Deus Exercituum, Deus Israëlis, quare facitis malum grande contra Vos ipsos, ad excidere faciendum vobis virum & mulierem*, parvulum & sugentem, *de medio Jehudæ, ad non remanere faciendum vobis residuum*. Querelæ Confessiones atque Deprecationes leguntur, *Esræ*. IX: 7.

Inde à diebus Patrum Nostrorum nos Sumus *in* Reatu Magno *usque in diem hunc. Thren.* v: 7. Patres nostri *peccaverunt, & non supersunt:* nos verò iniquitates eorum portamus. *Dan.* ix: 16. *Propter peccata nostra &* propter iniquitates Patrum nostrorum *Hierosolyma & populus tuus opprobrio exposita sunt omnibus* qui *circa nos* sunt. *Tobiæ* iii: 3. *Ne de me vindictam sumas propter peccata mea, & errores meos,* & Patrum meorum, *qui peccaverunt in conspectu tuo.* Exempla denique prostant plurima. Propter scelus *Chami* maledictus est *Canaan Gen.* ix: 25. Delictum *Achanis* etiam in *filiis* & *filiabus*, & in *omnibus quæ ei erant*, in valle Achor, judice supremo Jehova, punitum legitur *Jos.* vii: 24, 25, 26. De Lenitate *Eli* in Filiis, Pronepote & Abnepote vindicatâ suprà egimus. Quia *Hamalekitarum*, se opponentium Israëli in itinere cum adscenderet ex Ægypto, manus fuerat elata contra Thronum Domini *Exod.* xvii: 14, 16. ideo horum *Posteri* post aliquot secula à Saule percussi sunt, juxta mandatum Dei dicentis; VISITO *id quod fecit Hamalek Israëli. . . . Nunc abi ut percutias Hamalekum,* &c. 1 *Sam.* xv. 2, 3. Quod septem *Filii Saulis* suspendio vitam finiverint, *ob peccatum Patris*, qui occiderat Gibeonitas, id factum volunt Judæi ex speciali mandato Dei, ob ea quæ leguntur 2 *Sam.* xxi: 1, 24. *Filiolum Davidis* morte præmaturâ è vivis sublatum fuisse propter peccatum parentis liquet ex dicto Nathanis 2 *Sam.* xii: 14. Regnum *Regum Israëlis*, idololatriæ vel faventium vel apertè deditorum, laceratum, imo finitum fuit; vel in *Filiis* 1 *Reg.* xi: 11, 12. xiv: 9. 10, 15, 16. xv: 28, 29. 30. xvi: 3, 7, 10, 11, 12, 13; vel in *Nepotibus*, 1 *Reg.* xvi: 25—30. xxi: 21, 22, 29. xxii: 40. 2 *Reg.* i: 17. iii: 1 ix: 2, 7, 8. 24, 26. x: 1, 6, 7, 8, 11, 17; vel in *Abnepotibus*, quod tamen in posteris *Jehu* solummodò visum fuit 2 *Reg.* x: 30. *Porrò eo quod benefecisti ad faciendum rectum in oculis meis, juxta omnia quæ in corde meo, fecisti Domui Achab,* בני רבעים *Filii quartorum*, id est, Abnepotes, *sedebunt tibi super solium Israël:* Conf.

2 *Reg.*

2 *Reg*. XIII: 1, 10. XIV: 16. XV: 8. Similiter *peccata Menasseh* Regis Jehudæ punita sunt non tantùm in *populo* universo in exilium abducto 2 *Reg*. XXIV: 3, 4. *Jer*. XV: 4. sed & in *Filio Amon* occiso à suis 2 *Reg*. XXI: 18, 19, 23. in *Nepote* pio *Josia*, qui in infelici prælio occubuit 2 *Reg*. XXIII: 29. in *Pronepotibus Joahazo Jojakimo* & *Zedekia*, & in *Abnepote Jechonia* 2 *Reg*. XXIII: 33. 2 *Chron*. XXXVI: 3, 4, 6, 9, 10. 2 *Reg*. XXV: 6, 7. Neque hujus Vindictæ Divinæ in Veteri Israëlitarum historiâ tantùm reperiuntur monumenta, sed etiam in Mundo Gentilium reliquo, ut & Christiano, Iniquitatis Majorum posteris imputatæ divinitus Exempla fuerunt observata plurima. Hæc enim *Plutarcho* dederunt occasionem scribendi Commentarium *de his qui serò à Numine puniuntur*, *Oper*. *Tom*. II. *pag*. 548. Et hanc Aulæ cælestis *Consuetudinem* ex Scripturæ Locis hisce partim, partim etiam ex Exemplis fortè collegit Princeps ille Palatinus, de quo ita *Clar*. *Jac*. *Altingius*, *Hept*. V. *Dissert*. V. §. XXVIII. *Confirmaturque recentiore exemplo Wolfgangi Principis Palatini, qui minimus inter octo Filios Philippi Electoris, per omnem suam ætatem cælebs vixit, neque sibi à Fratribus persuaderi passus est, ut conjuge ducta propagandæ Familiæ, atque in eâ Electoratui conservando daret operam. Cujus sui consilii hanc dixit causam, frustra se quæsiturum liberos*, quòd posteritas Palatina in Quartam Generationem peccatum Abavi sui Ludovici Electoris, justo Dei judicio, lueret orbitate: *Ille enim Ludovicus sub Sigismundo Imperatore Vicarius Imperii & Constantiensis Concilii Protector & Exsecutor, Johannem Hussum contra fidem datam, assidente Cæsare, ad ignem damnatum, ex officio tradidit flammis cremandum, vestibus etiam ejus, ne tanquam martyris asservarentur, igni adjudicatis. Atque hoc crimen avitum Wolfgangus ille piè censuit causam deficientis Familiæ Palatinæ, quatenus ab isto Ludovico descendebat, quæ per sesqui seculum axiomate Electorali floruerat, sed in fratribus Ludovico & Friderico, nec non nepote Ottone Henrico*,

 rico,

rico, successive Electoribus, prole saltem mascula caruerat. Hactenus *Altingius.* Scilicet *Ludovici* istius *Concilii Constantiensis Protectoris* Filius *Ludovicus II*, Nepos *Philippus*, Pronepotes *Ludovicus III.* & *Fredericus Pius*, & Abnepos *Otto Heinricus*, Electores fuêre, in quo extincta fuit *Ludovici* istius *Primi* soboles.

XI. Alii tamen Verbum hoc Activum, *qui Visitat* de *Jure* & *Potestate* Visitandi interpretantes, idem esse volunt, ac qui *justè Visitare potest*, vel qui ita VISITANDI JUS habet. Certum est JUS hoc connotari, id quod in sequentibus etiam adstruemus: dubitamus interim an ita *directè* hoc *Jus* significetur, an potiùs *indirectè*, uti postea patebit. Rectius itaque de *Voluntate* Visitandi accipiunt hoc participium פקד alii, sive vertant in præsenti, *qui Visitat*, id est, qui VISITARE VOLUIT seu *decrevit*; sive denique in *futuro*, QUI VISITABIT Iniquitatem Patrum in Filiis, *&c.* ut adeò in hoc dicto sit *Comminatio*, seu *Denunciatio pœnæ* immittendæ in populum fœderatum quidem sed & fœdifragum, sicuti ostendimus in *Dissertationibus* nostris *Sacris*, *Dissert.* IV. §. XI. *Clar. Altingius* in *Deut.* V. *Parentes spectantur proximi . . . . fœderati item Deo, quomodo in nexum conjugii venerunt*, Zelotypia *Mariti non est contra extraneas mulieres, sed contra conjugem adulteram Ps.* LXXIII: 27. *In extraneos Deus animadvertit citius vel serius pro lubitu; illo modo contra primum mundum, Sodomam: isto modo contra Amoræos quibus* 400. *annis, & Amalekitas quibus* 430. *annis dilatum supplicium, ultra* 3. *&* 4. *Generationem.* Juxta hanc Participii פקד acceptionem institutæ sunt Interpretationes: *Tum Augustini contra Adimantum, Cap.* VII, qui nimiùm à Scopo & Litera Textus divagatur: Ita ille. *Quòd autem in Tertiam & Quartam Generationem scriptum est vindictam procedere, non aliud significari arbitror, nisi quòd ab ipso Abraham, qui pater esse incipit populi Judæorum, quatuor ætates sunt cum ista quæ nunc agitur, quas Matthæus Evangelista*

gelista distinguit. Una est ab Abraham usque ad David, alia à David usque ad transmigrationem in Babyloniam: Tertia à transmigratione in Babyloniam usque ad adventum Domini. Inde usque ad finem quarta deputatur tantum, quantum senectus sæculi cæteris ætatibus longior: quas ætates pro generationibus positas credimus, quamvis singulæ pluribus generationibus constent. Et quoniam tertia incipit à transmigratione Babyloniæ quando Judæorum est facta Captivitas, in quarta verò, id est, post adventum Domini nostri, gens Judæorum à solo proprio penitus eradicata est, hoc datur intelligi, quod dictum est, Tertiæ & Quartæ generationis peccata parentum redditurum Deum: his utique legitimè & debitè, qui parentum peccata perseverantes tenere, quam Dei justitiam sequi maluerunt: Tum Diodori apud *Lippomanum* in *Exod.* xx. qui tamen generaliora Textus verba nimiùm restrinxit; *Israël quarta generatione ex Ægypto egressus est, sed tertia generatione Idolis servire incepit. Quia igitur in deserto vitulum adoraturi erant, ideò illis comminatur, quasi diceret, Idololatræ in Ægypto fuistis, id tamen aliquam excusationem habet, propterea quod illis commiscebamini, nunc verò ab illorum erroribus liberati, miranda adversus Ægyptios vidistis. Si igitur posthac idola colueritis, Patrum vestrorum peccati pœnas vobis infligam, neque enim peccatorum illorum pœnas expendistis, sed post tot beneficia, in eisdem peccatis persistentes, justas pœnas exolvetis; neque enim par est ut vobis quemadmodum & illis parcam. Lex igitur hæc non generalis est, sed ad illos tantum qui ex Ægypto egressi sunt spectat: Tum* denique *Doct. Albardi de Raadt* in *Apologia Veritatis*, §. 69. quem nonnulli alii laudant atque sequuntur. *Complectuntur*, inquit ille, *ergo hæc Verba Decretum Dei, quo constituit, Israëlitarum, in Ægypto ipsi rebellium & immorigerorum, iniquitatem punire in Tertia & Quarta Generatione, ut omnes cognoscerent vim iræ suæ, imponendo ipsis jugum* δυσβάςακτον, *quod neque ipsi, neque Filii ipsorum portare possent; ac illud jugum durum post Filii sui adventum immutare in jugum molle atque gra-*

gratiam Evangelicam extendere in omnes gentium omnium generationes, ab eo tempore & deinceps usque ad finem seculorum, ut ex altera parte mortales efficaciam gratiæ suæ intelligerent, ejusque ὑπεροχὴν *atque abundantiam præ ira suâ.* Scilicet antea dixerat, hoc esse intelligendum, *secundum Temporum seriem, videlicet, quod præcederet ira & sequeretur gratia super Israëlem:* atque observaverat, *Patres* in Ægypto peccasse, à Deo tamen non punitos *Ezech.* xx: 3, 8; *Filiis* horum datum esse Decalogum, hos autem fœdus sprevisse & vitulum coluisse, *Ezech.* xx: 13, 14; Fœdus hoc esse renovatum *Exod.* xxxiv. *sed si Ezechieli fides, cum Filiis tantùm* (nempe, uti puto, horum Vituli cultorum) *Ezech.* xx: 18. & *hanc* idcirco *esse Progeniem tertiam;* Tandem addiderat; *postquam omnes periissent, exceptis parvulis ipsorum, Num.* xiv: 28-35. *atque ita quædam adhuc portio* de *Tertia progenie superstes esset, & cum iis generatio quarta, quippe* 38. *anni erant elapsi post denunciationem interitus in Deserto,* hanc tertiam & quartam generationem *in Fœdus Dei & Maledictionem ejus transiisse. Deut.* xxix: 1, 10, 11, 12, atque *miserrimæ servituti* subjectam fuisse per *statuta non bona* ipsis data *Ezech.* xx. 24, 25. Argumenta verò quibus hanc suam Explicationem firmare conatus est *Vir. Doct.* sunt: quòd *Via Dei* sive *consuetudo non sit, parentum peccata in Filiis punire in tertiâ & quartâ progenie, ac propter pietatem parentum erga Filios in millesimam generationem gratiam exercere:* quòd de *singulis Patribus* & *Filiis* hoc exponi nequeat, quia adversatur experientia: & quòd Deus *semper* non puniat peccata patrum in *tertiâ* & *quarta progenie*, neque etiam pœna, ubi immittitur, in hac subsistat, sed ultra irrogetur in plurimas generationes, uti ex Judæis hodiernis rejectis apparet. Ex quibus omnibus se colligere posse existimat, in his verbis non interminari Deum pœnam singularibus personis, sed toti Ecclesiæ, atque indicare Temporum Veteris & Novi Testamenti & Oeconomiarum Discrimina. Verùm hæc Argumenta vim amittent suam,

si

ſi ea quæ antea a nobis dicta ſunt, conſiderentur. Scilicet non eſt neceſſe, ut de omnibus & *ſingulis Filiis* explicetur hoc Dictum Dei, ſed de aliquibus, aut de eo quod *ſemper* acturus eſſet Deus, ſed quandoque. Et quid de *conſuetudine* Dei hac in parte teneri debeat, ex ante dictis ſatis conſtat: ut temerè ſcripſerit *Vir. Doct. extra controverſiam eſſe*, quod *conſuetudo Dei non* ſit parentum peccata in Filiis punire in tertia & quarta progenie. Deinde quande ſcripſit heic doceri, *præceſſuram* eſſe *Iram*, ſub V. T. nempe, & ſequturam *Gratiam*, ſub N. T. ordinem verborum, prout in Decalogi ſecundo præcepto leguntur, reſpexit; non videtur verò cogitaſſe de alio ordine qui habetur *Exod.* XXXIV. Ubi ampliſsima promiſſio de *Gratiâ* etiam *millibus* præſtanda præcedit comminationem hanc de *Viſitatione iniquitatis Patrum in Filiis*; atque ſic, juxta ordinem verborum in Textu noſtro, *gratia præcederet iram*, non ſequeretur eam. Omnium maximè in hac ſententia diſplicet, quod Elementa mundi ſeu Leges cerimoniales dicantur ſic datæ in *pœnam* peccati, cum inter Iſraëlis beneficia & prærogativas cenſeantur in Verbo Dei. Verùm hæc nunc non ago.

XII. Quidquid ſit, & quomodocunque etiam participium פקד vertatur, ſive *qui Viſitavit*, ſive *qui Viſitat*, ſive *qui Viſitabit*, hoc certum atque indubitatum remanet, Deo heic tribui JUS & POTESTATEM *Patrum Iniquitatem* IMPUTANDI *Filiis*, atque *ſingulariſſimum Patrum Actum* peccaminoſum *Puniendi* in illis. Habet enim Deus non tantùm *Potentiam* agendi ea omnia quæ agit, ſed & *Poteſtatem* & *Jus*, ut omnium Independens Dominus; quodque *Jus*, nullis quidem legibus ipſi ab extra datis, perfectionibus tamen ejus propriis adſtrictum eſt, ita ut nihil agere poſſit eorum quæ illis aduerſentur, vel illarum gloriam obſcurare queant: atque adeò eſt *Jus Juſtiſſimum*, ut, quamvis non ſemper ex juſtitiæ rigore agat *Deus*, nihil tamen contra eam agat vel agere queat. Atque

tale est hoc JUS DEI puniendi peccata Majorum in posteris, fundatum non modò in supremo ejus Dominio, sed & approbatum à justitiâ ejus, ita tamen ut actuale ejus exercitium necessarium non sit, neque inviolabilem cum ejus perfectionibus nexum habeat, utpote quod est JUS LIBERUM, cujus *Exercitium* quidem est *justum*, non tamen æque necessarium ex justitiâ Dei vindicativâ naturali, quàm est in genere ipsa peccati punitio.

XIII. Hoc vero *Jus* Dei iniquitatis postularunt, ac invidiosè criminati sunt Judæi, Gentiles, Hæretici Veteres & Recentiores. De *Judæis* hoc constat ex *Ezech.* XVIII: 2. & *Jer.* XXXI: 29. *Diebus illis non dicent ampliùs, Patres comederunt omphacem, & dentes filiorum hebetantur.* Tanta scilicet foret cognitionis & gratiæ in diebus hisce abundantia, ut veri Israëlitæ clarius sibi perspectam haberent Dei, punientis peccata Patrum in Filiis, æquitatem, quàm ut de hoc Dei facto aut jure, ut iniquo, ullam ampliùs querelam instituerent. Quantùm ad *Gentiles* attinet; *Euripides*, apud *Plutarchum* de *Sera Numinis Vindicta*, *incusasse* fertur libero ore *Deos*, τὰ τῶν τεκόντων σφάλματα εἰς τοὺς ἐγγόνους τρέποντας *Majorum delicta posteris imputantes.* *Cotta* contra *Stoicos* apud *Ciceronem* de *Nat. Deorum Lib.* III. *Num.* XXXVIII. *Quem vos præclare defenditis, cúm dicitis, eam vim Deorum esse, ut, etiam si quis morte pœnas sceleris effugerit, expetantur eæ pœnæ à liberis, nepotibus, à posteris. O miram æquitatem Deorum! Ferretne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset? De Veteribus Hæreticis*, qui ex hoc *Dicto* concluserunt *Deum* V. T. esse *Malum*, non *Bonum*, imò nec *Justum*, testantur *Origenes* & *Hieronymus.* Ille *Homil.* VIII. super *Exodum. Videamus nunc & quod sequitur: quomodo* reddi *dicuntur* peccata Patrum in Filios: in Tertiam & Quartam progeniem. *In hoc enim sermone solent nos hæretici suggillare, quod non sit* boni Dei *sermo: qui pro peccatis alterius alium plecti dicat. Sed secun-*

dum

dum ipsorum rationem: qui dum legis mandatum: licet non bonum: Justum *tamen dicunt: ne ipsi quidem possunt ostendere quomodo secundum sensum suum justitiæ suæ convenire videntur.* Hic verò *Comment.* in *Ezech. Cap.* XVIII. *Solent in hoc loco heretici, qui vetus non recipiunt instrumentum, contra creatorem dicere: Quam* bonus & justus *Deus legis & Prophetarum: qui quiescens & silens ad peccata Patrum, reddit his qui non peccaverunt: imo quanta in eo crudelitas, ut iram suam usque ad Tertiam & Quartam extendat generationem.* Addatur his testimonium *Augustini* contra *Adimantum Manichæi Discipulum, Cap.* VII: *De eo quod in Exodo scriptum est,* Ego sum Deus Zelans, tribuens Filiis Tertiæ & Quartæ generationis parentum peccata qui me oderunt. *Huic loco Manichæi illud de Evangelio dicunt esse contrarium, quod Dominus dicit, Estote benigni sicut pater vester cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Ex *Recentioribus* audiamus breviter vel unum *Curcellæum, qui de Jure Dei in Creaturas Innocentes Cap.* XI. scribere non est veritus, hanc sententiam, ex Literâ Revelationis Divinæ haustam, uti visum est, non modò ab omni justitiâ alienam rem Deo tribuere, sed & Deum inducere quærentem: perinde ac lupus de quo apud Phædrum, cum Agnum vorare statuisset:

Ante hos sex Menses, ait, Maledixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injustâ nece.

XIV. Iniquis hisce audacissimorum mortalium criminationibus perculsi, atque pressi pessimis hisce conclusionibus: nempe Deum si puniat Majorum aliena crimina in posteris, nec *bonum* esse, nec *justum*, nec *constantem* sibi per oppositas Leges & Declarationes *Deut.* XXIV: 16. *Ezech.* XVIII: 20; nec etiam juvare hoc aliquem posse quod ipsemet justus sit, si, ubi non est particeps sceleris, pœnæ tamen particeps esse queat: pressi, inquam, hisce falsis con-

clusionibus, imprudenter simplicitatem Literæ deseruerunt aliqui, multi durius etiam contra illam quandoque sunt locuti, atque latitudinem ejus temerè restrinxerunt. *Theodoretus Quæst.* XL. *in Exod. nudæ literæ insistere* δυσσεβὲς pronunciavit ob Loca illa duo supra allegata. *Isidorus* in *Glossa Ordinaria* in *Deut.* v. Perversum est *enim peccata Patrum Filiis non peccantibus imputari*, *cum per Ezechielem dictum sit; Filius non portabit iniquitatem Patris*. Ad ineptissimas itaque allegorias mysticosque sensus confugit *Origenes*, literam planè deserens, *Hom.* IX. *super Exodum. Pater* ipsi est *Diabolus; Filii* sunt quos *inducit ille* ad peccandum, & sic sibi similes efficit & *generat*; *Tertia* & *Quarta Generatio* sunt sceleris *Socii Ministri Adjutores*, quos homo, ex suasione Diaboli jam inductus ad peccandum ejusque *Filius* jam factus, sibi acquirit atque adjungit. Exemplum posuit in *Juda* Proditore. Diabolus introiit in cor ejus, filiumque suum generavit; *Judas solus* perficere proditionis scelus haud poterat. *Abiit* ergo ad *Scribas:* & *Pharisæos:* & *ad Pontifices: dicens eis: Quid mihi datis: & ego vobis tradam eum. Nascitur ergo ex Juda Generatio Tertia & Quarta peccati.* Aliam allegoricam Expositionem commemoravit *Hieronymus* in *Ezech.* XVIII. *Sunt qui hoc quod in Exodo scriptum est:* Reddens iniquitatem Patrum super Filios in Tertiam & Quartam Generationem, *ita edisserant*, *ut ad* Animam humanam *sententiam referant:* Patrem *in nobis*, *levem punctum sensuum & incentiva vitiorum esse dicentes:* Filium *vero*, *si cogitatio peccatum conceperit:* Nepotes, *si quid cogitaveris atque conceperis*, *opere perpetraveris*, Pronepotem *autem*, *hoc est*, quartam generationem: *Si non solum feceris quod malum est & scelestum*, *sed in tuis sceleribus glorieris*, *secundum illud quod scriptum est:* Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. *Deus igitur primos & secundos stimulos cogitationum, quas Græci* προπαθείας *vocant: sine quibus nullus hominum esse potest*, *nequaquam punit*, *sed si cogitata quis facere decreverit: aut ipsa quæ fecerit*,

rit, *noluerit corrigere pœnitentiâ.* Sic ſcilicet Literam non modo deſerunt illi, ſed etiam falſò ſupponunt; *tum* quòd primæ & ſecundæ generationi heic nullam fuerit interminatus Deus pœnam; tum etiam primo-primos concupiſcentiæ pravæ motus non eſſe peccaminoſos, contra Paulum, *Rom.* VII: 7.

XV. Judæorum Doctores vulgò cum Paraphraſte *Onkeloſo*, uti videre eſt apud *Menaſſeh Ben Iſraël*, *Quæſt* XXXIII. *in Exod. Munſterum* itidem ac *Fagium*, ut & plurimi Chriſtiani, poſt *Hieronymum* & *Auguſtinum* præſertim, reſtrinxerunt hæc Domini Dicta ad *Filios patriſſantes*, patrumque nequitiam *imitantes* atque *exemplantes*, ut voce *Auguſtini* utar. Atque in confirmationem ac Commendationem hujus ſententiæ ſuæ adducunt & urgent: PRIMO, *Vocem* לשנאי additam Comminationi huic in Decalogo, quamque ad *Filios* vel tantùm, vel etiam, referri debere contendunt. *Vulg.* ad *Deut.* V. *reddens iniquitatem Patrum ſuper Filios*, *in Tertiam & Quartam Generationem* HIS QUI ODERUNT ME, LXX. τοῖς μισοῦσί με. Clericus tranſtulit: *Ad eos qui me oderunt quod attinet*; & addidit. *Alibi obſervavimus hanc eſſe vim* ל, *quod eſt hic manifeſtum. Hieronymus* in *Ezech.* XVIII. *Scandalum patiebamur occultum*, *quod injuſtitia videretur Dei*, *alium peccare*, *& alium luere peccata. Si enim reddit peccata Patrum ſuper Filios in Tertiam & Quartam Generationem*, *injuſtum videtur ut alius peccet & alius puniatur. Sed ex eo quod ſequitur:* His qui oderunt me, *comminationis ſive præcepti ſcandalum ſolvitur. Non enim ideo puniuntur in Tertia & in Quarta generatione:* quia deliquerunt Patres eorum: *cum patres potius qui fuerunt peccatores*, *puniri debuerint*: *ſed quia* Patrum *extiterunt* æmulatores *&* oderunt Deum, *hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice creſcente. SECUNDO*, *Pœnæ Extenſionem* ad *Tertiam* & *Quartam modò* Progeniem, ideò factam ſcilicet, quia eò uſque ſe quandoque extendit Majorum, malis exemplis

præeuntium, vita, quemadmodum de *Jobo* ſcriptum eſt, *Et vidit filios ſuos, & filios filiorum ſuorum uſque ad Quartam generationem*; ſaltem quia ſcelerum illorum memoria eo uſque vigere ſolet. TERTIO, *Præcedens* immediate in Textu noſtro *Effatum*, ונקה לא ינקה/ quod Vulgatus tranſtulit; *Nullus apud Te per ſe innocens eſt*. Urget hoc *à Lapide* ad *Deut.* v. Vis argumenti in eo eſt, quod Deus, præmiſſo hoc Effato, in noſtro ſubjecto Dicto ſic docere voluerit, quod peccata Patrum punire velit in tertiam & quartam generationem, ſed *non innocentem*, verùm *ream*, vel ex origine, vel ex *imitatione*. QUARTO; *Legem* de *Filio*, innoxio ſcilicet, *non occidendo pro Patre*, ut quæ Viſitationem iniquitatis Patrum in Filiis non imitantibus eam iniquam eſſe ſupponat; *Deut.* XXIV: 16. *Non morientur* (Vulg. *occidentur*,) *Patres pro Filiis*, & *Filii non morientur pro patribus: unus quisque pro peccato ſuo morietur*. QUINTO; *Loca*, *Jer.* XXXI: 29, 30. *Temporibus illis non dicent amplius: Patrés comederunt omphacen, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Sed quisque propter iniquitatem ſuam morietur: omnis hominis qui comederit omphacen, obſtupeſcent dentes ipſius.* *Ezech.* XVIII: 2, 3. *Quid Vobis vos paraboliſantes parabolam iſtam ſuper terra Iſraël dicendo: Patres comedent uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcent? Vivo Ego dictum Domini Jehovæ; ſi erit Vobis ultra paraboliſare parabolam iſtam in Iſraël*; & ✝. 20. *Anima peccans ipſa morietur, Filius non feret (pœnam) propter iniquitatem Patris, & Pater non feret propter iniquitatem Filii. Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii ſuper eum erit*: In quibus; partim damnatur hæc, uti volunt, ſententia, proverbialiter expreſſa, *filium à Deo puniri, cum pater ſolus peccaverit*, ut falſa, Deo injuria, atque malè intellecta ex his Moſaicis Dictis; partim verò explicantur hæc Dicta Moſaica, atque illa ad *Filium juſtè viventem* minimè pertinere apertiſſimè oſtenditur, juxta *Auguſtinum* contra *Adimantum*. SEXTO, *Exempla* ob iniquitatem Patrum punitorum *filio-*

liorum, sed qui simul improborum improbi fuère Filii omnes; uti in Filiis Idololatricorum Regum Israëlis inde à Jeroboamo sedulò in Scripturis adnotatum est. SEPTIMO *Locum Matth.* XXIII: 32, 35. ubi scilicet non aliis quam implentibus mensuram Patrum, id est, *imitantibus eos*, in occisione summi Prophetæ, interminatur Jesus pœnam sanguinis à patribus effusi, & Judæi ut *Filii Caini* considerantur, quales tamen non fuerunt *generatione*, sed *imitatione* & *approbatione: Vos quoque complete mensuram Patrum vestrorum.... Ut veniat super vos omnis sanguis justus effusus super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ Filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & altare.* OCTAVO, *Loca*, ab *Augustino* & *Hieronymo* aliisque laudata, quæ docent: Et Deum non esse sævum, sed unumquemque in se sævire peccando, uti *Augustinus* loquitur contra *Adimantum*, omnesque propriis constringi criminibus coram Deo, non alienis; *Prov.* V: 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum* suorum *constringitur*; *Prov.* X: 26. *Sicut uva acerba dentibus noxia & fumus oculis, sic iniquitas his qui utuntur eâ;* ita *Hieronymus* ad *Ezech.* XVIII. sequtus LXX. *Interpretes*, cum *Vulgatus* ibi rectius fontes expresserit; *sicut acetum dentibus & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum:* Et Deum redditurum cuique juxta vias suas & merita singulis propria *Ps.* LXII: 13: *Jer.* XVII: 10. XXXII: 19. *&c.* Tandem NONO; Nullum à Deo puniri innocentem; Injustum esse ut alius peccet, & alius puniatur; imo impium perversumque esse peccare Patres & Filios nepotesque cruciari. Illi verò qui Imputationem primi Adami peccati immediatam orthodoxè quidem statuunt; dicunt tamen quòd nulla nunc in Patribus Filiorum *Repræsentatio* locum habeat in statu lapsûs, sed quòd omnia peccata Patrum nunc sint tantummodo *personalia*, & consequenter filiorum esse nequeant per Imputationem propriè dictam.

XVI. Numero quidem multa sunt hæc Argumenta, sed

ſed pondere levia, nulliusque roboris, quod ex *Reſponſionibus* ad ſingula ſequentibus, uti opinor, patebit. Ad PRIMUM dicimus: quod vox לשנאי non ſit in Textu noſtro addita: ſi referatur hæc ad *Filios*, etiam tunc ſtabit noſtra ſententia; ſenſus enim erit, puniam Filios *ob paternam* iniquitatem & ob *ſuam propriam*, & conveniet hoc cum dicto illo ex Interpretatione *Vulgati Levit.* xxvi: 39. *Propter peccata Patrum ſuorum & ſua affligentur:* Rectius verò refertur ad Patres vox לשנאי, æque ac in ſequenti promiſſione vox לאהבי/ ut utrobique præfixum ל ſit genitivi nota. Ita *Vulg.* in *Exod. in tertiam & quartam generationem, EORUM qui oderunt me.* Ad SECUNDUM: *Tertia* & *Quarta* generatio fortè indefinitè pro *multis* poſitæ ſunt: Si determinatè hoc accipiatur dictum, obſervandum eſt, quòd Imitatio & ſcelerum avitorum Memoria ſe longè ultra quartam generationem extendere queant, uti vel ex hodiernis Judæis apparet; & quòd proinde hoc additum ſit, non ut ſignificaretur agi de Patriſſantibus modò Filiis, ſed veriùs ut abſterreret Deus Patres omnes ab omni etiam minimâ præcepti hujus transgreſſione, eò quod hanc vindicaturus ſit in ramis propius à ſtirpe ſuccreſcentibus, in Filiis nimirum & nepotibus, vel in pronepotibus aut abnepotibus, quos videre poſſent Patres, atque ſic ex illorum pœnis ob paterna criminâ inflictis maximos aliquando ſentire dolores. Ad TERTIUM: Verſio Vulgata cum Fontibus non benè convenit. Enunciatum hoc ונקה לא ינקה/ quod variè quidem tranſlatum eſt atque acceptum à Variis, ſimpliciter ſonat, *& inſontem habendo non habebit inſontem*, eſtque in his verbis declaratio; Vel *Gratiæ* Dei erga Electos & *Iræ* ſimul in Sponſorem, inſontem habendo Electum peccatorem non habebit inſontem Sponſorem ejus; vel *Juris Divini neceſſarii*, quo obligatur Deus ex Naturæ ſuæ perfectione ad punitionem peccati: ſicuti tum in noſtro Dicto ſubjicitur Intimatio *Juris Liberi* de Iniquitate patrum punienda etiam in poſteris.

XVII. Ad QUARTUM: Lex illa de non occidendis Filiis pro Patribus hominibus data est: unde laudatur *Amazia* quod Legis Diuinæ hujus observantissimus liberos eorum qui Patrem suum trucidaverant, non occiderit 2 *Reg.* XIV: 6. 2 *Chron.* XXV. 4; sicuti eam transgressi sunt Saul 1 *Sam.* XXII: 16. & Achab 2 *Reg.* IX: 26. Sic vero Legem sibi non posuit Deus. Ibi in Deuteronomio judicium humanum decernitur, in Exodo autem declaratur quid reservatum sit judicio Divino. Humano judicio pœna sanciri tantùm atque infligi potest, ubi est noxa, pœnæque communio locum habere non debet nisi in iis qui delicti sunt participes, jussu, consensu, auxilio, consilio, laude, assentatione, *&c.* quibus omnibus modis delictum transire potest à Patribus in Filios, à Principibus in subditos, & vicissim. *Grotius* de *Jure Belli & Pacis*, *Lib.* II. *Cap.* XXI: I. *Num.* II. *Ergo qui factum vitiosum jubent, qui consensum requisitum adhibent, qui adjurant, qui receptum præstant, aliove modo in ipso crimine participant: qui consilium dant, laudant, assentantur: qui cum ex jure propriè dicto teneantur vetare non vetant, aut cum teneantur ex simili jure opem ferre injuriam patienti non ferunt, qui non dissuadent cum dissuadere debeant, qui factum reticent, quod notum facere ex jure aliquo tenebantur, hi omnes puniri possunt, si in ipsis talis sit malitia quæ ad meritum pœnæ sufficiat.* Quæ exemplis illustriora redditurus, §. II. *Num.* V. inquit *Egregiè Proclus ad illud Hesiodi*:

> Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
>
> *Sæpe luit populus pœnas unius iniqui.*

ait, *ὡς ἐξὸν κωλύειν, μὴ κωλύουσα τοῦ ἑνὸς πονηρίαν*, ut qui cum prohibere possit non prohibet unius malitiam. *sic in Exercitu Græcorum, ubi Agamemnon ipse & alii concilio communi suberant, non immeritò:*

> *Quidquid delirant reges plectuntur Achivi:*

Ipsorum enim erat cogere Agamemnonem, ut Sacerdoti Filiam redderet. Sic post eorundem classis exusta narratur:

 Unius

Unius ob culpam & furias Ajacis Oilei,
quâ de re Ovidius Metam. XIV.

Virgine rapta
Quam meruit pœnam solus, digessit in omnes;
quia cæteri non impedierant, ne Virgo sacerdos raperetur. Injustas igitur idem *Grotius* meritò pronunciat leges humanas, quæ liberos occidunt ob parentum delicta; & rectè reprehenderunt *Philo Judæus* & *Dionysius Halicarnassensis*, monente eodem Viro Doctissimo, Morem quarundam gentium quæ tyrannorum aut proditorum aut parricidarum insontes liberos morte puniebant, cujus exempla extant *Dan.* VI: 24. & aqud *Justinum Lib.* X. *Cap.* 2. Longè æquior illa Lex Ægyptiorum, de qua *Plutarchus* de *Sera Numinis Vindicta*, quæ jubet gravidam, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat. Neque enim hîc sufficit incertus *metus* imitationis vel ultionis. *Nescio*, scripsit modò à nobis laudatus *Grotius*, *quis Christiano Imperatori Arcadio ausus est hoc dictare, debuisse paterno perire supplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur. . . . . . Nec magis justa causa metus ultionis, unde natum est Græcum proverbium*:

Desipit occidens Patrem qui pignora servat.

Cum Divino autem judicio aliter comparatum est, quod hominibus imitari haud licet. Caussa hujus discriminis inter judicium Divinum & Humanum hoc, quòd illud justum sit, quando pœnas immittit Filiis ob scelera Patrum, hoc non item; est: Non quòd Deo magis & certius constet esse participes criminis paterni, quàm hominibus, nam quòd Filii peccati externi, v. g. idololatriæ, perjurii &c. de quo heic agitur, participes sint, hoc etiam scire possunt ac tenentur judices humani, atque illud punire debent, quando perspectum habent Filios quoque ejus esse reos: Neque etiam quòd Deus habeat *Jus Dominii plenissimum, ut in res nostras ita in vitam nostram, ut munus suum, quod sine ulla causa & quovis tempore auferre*

ferre cuivis quando vult potest, uti *Grotius* post *Cajetanum* contendit; nam sic sequeretur Deum hac in caussa, *non jure pœnæ sed Dominii uti*, quod etiam affirmat *Grotius*, sed apertè contra Literam Textûs, in quo agitur de *Visitatione*, non *Dominicâ* sed *Judiciali*, à Deo *Zelotypo* instituendâ: Sed vera caussa est, quia Deus solus obligare potest voluntates liberorum in patribus ad obedientiam sibi debitam, & hac negata ad pœnam *omnem*, quia voluntas nostra ipsi soli subjacet, & consequenter occultam hanc à se ex liberrimo jure factam obligationem ipse solus scire etiam potest, & secundum eam scientiam judicare. Et quoniam æquissimus est summus rerum Arbiter in omnibus viis suis, neminem obligabit in Patre suo, nisi ad officium decentissimum, & nisi Patrem illum viribus ad officium præstandum instruxerit idoneis. Unde nullus jure poterit conqueri unquam voluntatem suam in parente ita fuisse obligatam, quoniam obligatio hæc est ad decentissimum officium, quo neglecto quidem incommoda & mala sentire debet, sed præstito amplissima commoda & bona consecuturus esset.

XVIII. Ad QUINTUM: Non damnatur apud *Jeremiam* & *Ezechielem sententia ipsa*, proverbio illo ac parabolâ expressa, quæ est, Filios à Deo puniri, etiam ubi soli Patres actu peccarunt, sed *Criminatio* hujus judicii Divini, ut iniqui; in quâ accusatione cùm cæcitatis aut malitiæ insignis esset indicium, promittit Deus apud *Jeremiam* lætiora tempora, in quibus fœderati sui, majore Lucis copia collustrati, æquitatem ac decentiam hujus judicii sui agnoscerent atque profiterentur. Quomodo autem *Ezechielis* ille *Locus* intelligendus sit supra à nobis expositum est. Ad SEXTUM: Verissimum est quod Filii Regum Israëlis qui ob peccata patrum perhibentur puniti in Sacris, etiam ut improbissimi ferè omnes ibidem describantur, nihilominus tamen dicuntur puniti ob delicta Patrum suorum. Duplex itaque sic caussa fuit pœnæ

filiorum, & culpa Patrum, & propria: Deinde etiam pœna Divino judicio legitur quandoque immissa infantibus ob crimina majorum, qui tamen ab omni æmulatione & imitatione eorum fuerunt alieni *Deut.* xx: 13, 14, 16. Ad SEPTIMUM: Apertè in isto Matthæi Loco agitur de Filiis imitantibus, & *implentibus mensuram Patrum*, ℣. 31, 32. neque enim Filii *Caini* alio modo quam per imitationem haberi poterant; minimè verò negat sic Christus peccata Patrum etiam in Filiis non patrissantibus jure puniri posse; imo non desunt qui judicant caussam gravissimæ Judæis immittendæ pœnæ à Domino poni in occisione Prophetarum veterum, partim à Judæis *approbatâ* & in trucidatione recentiorum Prophetarum *exempiata*, partim etiam ipsis *imputata*, quoniam dicit Christus de *Zacharia Filio Barachiæ* 2 *Chron.* xxiv: 20, 21. *quem occidistis inter Templum & Altare*, nempe in patribus vestris, quorum peccatum, non tantùm per *imitationem*, nam & sic Abelem occidissent, quod tamen non dicitur, sed & *imputationem* ut vestrum habetur à Deo. Ad OCTAVUM denique: *Impium* & *suis* & simul *alienis Patrum* constringi iniquitatibus, minimè pugnant; *Redditurum* esse Deum peccatori in die mortis & ultimi Judicii secundùm *propriam* Iniquitatem originalem aut etiam actualem largimur, verùm distinguimus inter pœnam *æternam*; ad quam nullus damnabitur nisi mediante injustitia propriâ inhærente, sive sint infantes sive adulti, id quod etiam docent loca adducta; & inter pœnam *temporalem*, corporalem, & maxime *Spiritualem*, quæ cum æternâ ex naturâ rei connexa est & erit, nisi misericordia Dei in Christo intercesserit, quamque immediatè ex alieni patrum peccati *imputatione* immitti posse â Deo manifeste docet Litera Textus nostri, & immissam esse justè â supremo judice propter primum Adami Peccatum ex nativa omnium hominum Corruptione constat; quâ de re mox dabitur latius agendi occasio. Ad NONUM tandem: Injustum est puniri

niri

niri propter peccatum planè *alienum*, cum quo enim quis habet pœnæ communionem, in eo etiam ut habeat simul peccati, quæ sola est caussa pœnæ, communionem necesse est; peccata verò Patrum esse planè aliena â filiis malè asseritur, uti etiam ex mox dicendis clarius apparebit: Deinde omnia Patrum peccata nunc esse tantum *personalia*, nullamque prorsus *Repræsentationem* nunc obtinere, vel etiam obtinere ex Dei arbitrio posse, temerè supponitur; aliter enim docet Litera Textus probè perpensa. Quod etiam ita intellexisse videtur *Augustinus*, qui super hac re haud malè prorsus, attamen nimis generaliter, disseruit in *Enchiridio*, *Cap.* XLVI: & XLVII. hunc in modum. *Parentum quoque peccatis parvulos* obligari, *non solum primorum hominum*, *sed etiam* suorum, de quibus ipsi nati sunt, *non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia*, Reddam peccata patrum in filios; *tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere. Quod Testamentum Prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata Patrum suorum, nec ulterius futuram in Israël parabolam illam:* Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. *Ideo enim quisque renascitur ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicuti etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio; usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat*, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit. *Neque hic dixit, in iniquitate, vel peccato, cum & hoc rectè dici posset: sed iniquitates & peccata dicere maluit. Quia & in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo mutaretur & converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiantur, sicut supra disserui, plura peccata*, & alia parentum, *quæ etsi non ita possunt mutare naturam*, *REATU TA-*

MEN OBLIGANT FILIOS, nisi gratuita gratia & misericordia divina subveniat. Sed de peccatis aliorum parentum, *quibus ab ipso Adam usque ad Patrem suum progeneratoribus suis quisque succedit, non immeritò disceptari potest: UTRUM omnium malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus, qui nascitur implicetur, ut tantò pejus quantò posterius quisque nascatur; AN propterea Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suæ; ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimiâ sarcinâ in ipsâ sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere: AN aliud aliquid de re tanta, scripturis sanctis diligentius perscrutatis atque tractatis, valeat reperiri, temere affirmare non audeo.* Modestè sic quidem *Augustinus*, attamen ut dixi nimis generaliter, quia de OMNIUM parentum *malis Actibus*, imò & *multiplicatis delictis* ORIGINALIBUS, quibus pariter implicarentur filii, loquitur.

XIX. Quemadmodum itaque omnia hæc Argumenta imbecilla sunt, minimeque probant de *Filiis patrissantibus* loqui Dominum; ita ex adverso solidè confutatur hæc Sententia hisce *Rationibus*. PRIMA est: Peccata parentum per Imitationem propria facta punit Deus non in Tertia & Quarta generatione modò, sed in infinitum, nisi interveniat meritum Christi. Frustra excipit *Joh. Christoph. Pfaffius* Theologus Tubingensis in *Differt.* de *Imputatione Divinâ peccati alieni* §. v. *Peccata punit propria in infinitum, peccatis autem participationis*, (quæ scilicet fiunt *imitando*) *fixus est terminus, quarta quippe generatio.* Rectè enim *Grotius de Jure Belli & Pacis Lib.* II. *Cap.* XXI. in initio. *Qui delicti participes sunt, non tam ex alieno quàm ex suo delicto puniuntur.* Deinde etiam certum est, quòd imitatio se ultra quartam generationem extendere possit, & quandoque

doque actu se extendat. SECUNDA est: Manifestè extollitur misericordia Dei erga millia diligentium eum exercenda, supra judicium ejus immittendum Tertiæ modò & Quartæ generationi odientium se. Hic verò excessus Divinæ gratiæ supra rigorem Vindictæ obtinere non posset, si hæc Vindicta ad filios improbos patresque imitantes suos respiciat, ut bene adnotatum est â *Riveto* & *Altingio*. TERTIA est: Sic puniret Deus non tam parentum peccata quam filiorum. Atqui Litera Textus dicit, Deum Iniquitatem Patrum nempe numero eandem punire in Filiis, uti supra ostensum est; quemadmodum etiam in aliis Locis peccata patrum & filiorum ut distinctæ pœnarum caussæ recensentur, *Levit.* XXVI: 39. 40. *Jes.* LXV: 6. 7, *&c.* Hinc *Sebast. Schmidius* in *Jer* XXXI: 30. Sibi objicit; *Cur ergò non potius Dominus in lege sua dixit*; Visitans peccata uniuscujusque propria; *Quam* visitans iniquitatem patrum, *&c.* Et respondet; *Ideo, ut peccatum* gravius *describat. Hominibus videntur ejusmodi liberi, qui mala à patribus didicerunt & acceperunt*, innocentes *esse, & carere proprio hactenus saltem peccato. Sed Deus ostendere voluit, apud se ejusmodi liberos* non esse innocentes; *sed peccata patrum in liberos sive per naturæ corruptæ propagationem, sive per imitationis exemplum propagata, reverà esse etiam* propria filiorum *peccata, & in iis justè puniri.* Hæc non satis aptè cohærent, neque etiam undiquaque vera esse deprehenduntur. Non cohærent, Deum sic *describere* peccatum *gravius*, & simul *ostendere* modò *voluisse*, ejusmodi liberos *non esse innocentes* sed *propria* habere peccata: Ex eo enim quod *propria* habeant crimina, non sequitur mox quod illa *graviora* sint. Deinde non videtur esse simpliciter affirmandum, quòd in *imitatione* sit *gravius* delictum. Auctor enim sceleris videtur gravius peccare, quàm alter qui imitatur modò eum, qui exemplum peccandi præbuit, maximè si hic ætate dignitate & auctoritate præstantior sit, uti Pater præstat Filio. Nulla enim major occasio peccandi, ma-

jo-

joraque incentiva dari possunt quam in Exemplis Patrum malis; quemadmodum etiam illi qui primi sunt in peccando aliisque exempla præbent, quia gravius peccant, *Severitatis* Divinæ præ aliis objecta fuêre, uti ex Exemplis *Dæmonum* atque *Amalecitarum* constat. Alii respondent quòd Deus ideò dixerit, *se puniturum peccata Patrum in Filiis*, quia *gravius severiusque* puniturus erat peccata filiorum propria, *non quâm mererentur*, *sed quâm punivisset*, *si ipsi soli peccassent*; uti *à Lapide* cum aliis locutus est. Sed cum major hæc pœna non in nuda *imitatione*, verum in *multiplicatione* delictorum & malorum exemplorum fundari debeat; sequitur quòd *peccata patrum* etiam ingrediantur *Caussam* pœnæ hujus *gravioris*; atque proinde quòd reverà puniat Deus in Filiis etiam aliqua ex parte Actum patrum peccaminosum, quem illi soli commiserunt. Unde etiam pressi hoc nostro Argumento cum *Augustino* vel *Auctore Quæst. V. & N. T.* dicunt Filios patrissantes *duplici genere*, seu nomine, vi hujus Comminationis puniri, & quia *mali* & quia *malorum hominum Filii* sunt, rem ipsam sic satis concedentes. QUARTA est: Executus est hanc Comminationem suam Deus etiam in *Filiis non imitantibus*, ut in Daniele in Captivitatem abducto, atque in *parvulis* in quibus imitatio locum habere nequit, uti apparet ex *Deut.* XIII: 12, 15. XX: 13, 14, 16. 2 *Sam.* XV: 3. *Ps.* CXXXVII: 9. *Jer.* XLIV: 7. *&c.* QUINTA tandem est: Sic supponi ab iis, qui de Filiis *imitantibus* improbitatem Patrum suorum hæc Dicta Divina explicari debere vehementius contendunt, saltem sequi ex hac sententia videtur, non esse *Jus* Deo puniendi patrum peccata in posteris, nisi mediantibus horum delictis: quo pacto *Imputatio* peccati Adami *Immediata* negari etiam debet, & statui quod illud non transeat in posteros nisi *imitatione*, nullique pœnæ propriè dictæ sive privativæ, sive positivæ nos obnoxios faciat, uti volunt Pelagiani: atque in horum castra sic transibimus, uti fecit hac in parte *Rupertus* ad

Exod.

Exod. XXXIV. *Videlicet non portat filius iniquitatem patris, quandocunque non imitatur: redditur autem iniquitas Patrum in Filiis & nepotibus, quicunque patres iniquos imitantur. Verbi gratia, Nos omnes homines secundum carnem, Adæ Filii sumus. Si ergo iniquitatem, id est, incredulitatem ejus, qua serpenti magis quàm Deo credidit imitamur, iniquitas ejusdem patris in nobis filiis justè redditur. Si autem*; ita pergit ille, errorem unum gravissimum altero cumulans, atque salutem esse ex imitatione justitiæ Christi docens, quemadmodum ex imitatione Adami est miseria omnis; *iniquitatem ejusdem veteris hominis fugientes, ad justitiam novi hominis Jesu Christi Filii Dei confugimus, non utique iniquitatem illius portabimus.* Et certè facilis sic ponitur gradus ad hunc alterum errorem exitialem, ob comparationem à Paulo inter Adamum primum & secundum institutam *Rom.* V. & I *Cor.* XV.

XX. Alii itaque *Visitationem hanc*, ut ab injustitia & crudelitatis accusatione liberent, ad *pœnas Temporales* & *Corporales* restringunt. Quemadmodum faciunt Veterum Aliqui, Scholastici aliique Commentatores Pontificii, atque nonnulli ex Nostris quoque cum Celeberrimo Viro *Jacobo Altingio.* Sive sit hæc pœna propriè dicta & satisfactoria, quæ meritum peccati supponit, quando peccatum aliquod statuitur naturâ suâ veniale, quodque temporales pœnas modò mereatur, contra naturam rei, & Sacram Scripturam: sive sit pœna meré Probatoria Castigatoria & Correctoria, quæ absque intuitu Reatus, (utpote qui nullus esset ex alieno delicto, nec major quam in brutis exustis simul ob scelus Achanis) in bonum piorum atque ad illustrationem gloriæ Divinæ infligitur; quo pacto latitudo & proprietas Literæ deseritur, in quâ disertè de *Iniquitate Patrum punienda* in *Filiis*, & consequenter de translata *culpâ* æque quam *pœna* agitur. Laudantur in Commendationem hujus sententiæ duriora *Augustini Quæst.* 8. *in Josuam* dicta. *Nec tamen credendum*

est, etiam pœnis quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari. . . . . Pœnas verò invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo judice pro alienis peccatis luit, sicut homine judice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Comparatur porro cum Dicto nostro Mosaico Textus Ezechielis, *En omnes* animæ meæ *sunt, sicut anima Patris, sic etiam anima Filii, meæ sunt: anima quæ peccaverit, illa morietur. . . . Filius non portabit iniquitatem Patris*, atque ut apparens contradictio tollatur necessarium esse dicunt, ut statuatur, apud Ezechielem de pœna *spirituali*, quæ ad *animam* pertinet, expresse agi, apud Mosem verò de *temporali* & *corporali* tantùm sermonem haberi: cum tamen ex contextu Ezechielis manifestum sit, quòd directè respiciatur ad calamitates per Babylonios populo illatas & inferendas; Sicuti quoque *animam* pro *homine* poni Synecdochicè haud insolens est, etiam quando ei attribuuntur talia quæ maximè in *corpore* ejus locum habent, *Gen.* XLVI: 26. Adducuntur præterea *Loca Levit.* XXVI: 39. *Thren.* v. 6. à *Grotio*, & 2 *Sam.* XII: 13, 14. 1 *Reg.* XI: 31, 32, 33. ab *Altingio*, *Num.* XIV: 33, 34. ab aliis, laudata, utpote in quibus exempla *Visitationis* paterni peccati inveniuntur, sed *corporalis* tantùm, uti inprimis ex exemplo filioli Davidis apparet. Verùm unius positio non est exclusio semper alterius. Postea exempla quoque *pœnæ spiritualis* ob paterna scelera immissæ filiis proferemus. Additur denique, neutiquam *injustum* esse, ut patris iniquitas in filio corporali calamitate, imò & præmatura morte puniatur: Quia hoc non facit Deus nisi in eis in quibus etiam est propria culpa originalis vel etiam actualis, quæ ipsos hâc calamitate facit dignissimos: Quia etiam Liberi sunt *Res quædam Parentum*, præsertim quantum ad *Corpus* attinet, cùm quantùm ad *animam* attinet sint *Res Dei*, quod *Thomas Aquinas* ex Ezechielis Loco supra allegato inculcat, atque inde infert, in *bonis animæ* nullum pati posse ab homine detrimentum sine culpa pro-

pria

pria, ſed in *bonis corporis* quidem, quoniam hoc reſpectu Filii ſunt *Res quædam Parentum*, in quibus adeò *ipſi Parentes* noxii *propriè* puniuntur; ſive, uti alii addunt, *vivant* & *videant* cum dolore afflictos propter ſua crimina innocentes nepotes; ſive tantùm harum afflictionum ex prædictione & Comminatione hac juſto *metu* crucientur; ſive denique μετὰ θάνατον *poſt mortem* anima impii ſceleratique hominis cernat, non ſtatuas ſuas aliquas everti aut honores antiquari, ſed propter ſua ipſius flagitia liberos ſuos, aut amicos, aut neceſſarios gravibus premi calamitatibus & pœnas dare, uti legitur apud *Plutarchum*, *de His qui ſerò à Numine puniuntur:* Quia porro hæ pœnæ corporales & temporales non nocent innoxiis piiſque liberis, ut ex infantis Davidis exemplo conſtat, ſed ex adverſo proſunt illis, ut probationes & medicinæ, exercitia & occaſiones majoris virtutis, & melioris præmii, uti loquitur *Rivetus*; juſtæ igitur ſunt ac haberi debent, quemadmodum juxta *Plutarchum*, l. c. *in medicina* τὸ χρήσιμον ἢ δικαιόν ἐςι *quod utile eſt juſtum etiam* eſſe cenſetur; & eo magis quidem quia aliorum *correctioni* ſic ſimul inſerviunt, tum inflictæ pœnæ, ut Deum timere diſcant alii mortales, tum interminatæ tantùm, ut parentes ad curandum liberorum proſperitatem per fugam omnis peccati & præſertim idololatriæ validè permoveantur: Quia denique Deus pleniſſimum vitæ necisque jus habet, ut pro arbitrio poſſit quemvis citra injuſtitiam ullam vitâ ſpoliare, ſicuti Principes humani juſtè auferre poſſunt ea quæ dederunt, ut ſunt Jus Civitatis Opes Honores. *Igitur ſi morte immatura ac violenta rapit liberos Achanis, Saulis, Jeroboami, Achabi, in ipſos jure Dominii non pœnæ utitur*, inquit *Grotius* de *Jure B & P Lib.* II. *Cap.* XXI. §. XIV. ſed malè, quoniam in Lege Divina hoc omne ad *juſtitiam* Dei *Zelotypi* refertur: Quia tandem Humana Jura ſimile aliquid decernentia & conſuetudo conſentiunt. *Sic Themiſtoclis liberos eguiſſe ſcribit Cicero, nec iniquum putat, ut eandem calamitatem ferant*

 li-

liberi Lepidi. Idque ait antiquum esse & omnium civitatum: cui tamen mori leges posteriores Romanæ multum temperamenti adjecerunt, inquit *Grotius* de Jure B & P *Lib.* II. *Cap.* XXI. §. X: 2. Et §. XVI. *Huc refer quod Antiphanis ut proditoris posteri ἄτιμοι ἐνεγράφησαν, narrante Plutarcho, id est,* honoribus prohibiti sint, *ut Romæ liberi à Sulla proscriptorum. Sic in Dicta Arcadii Lege illud tolerabile in liberos:* Ad nullos honores, ad nulla sacramenta perveniant. Similiter *Lipsius de Constantia Lib.* II. *Cap.* XVII. *Ecce in perduellionis aut Majestatis crimine, manifestò alii in culpa sunt, alii in pœnâ, idque adeo intendit humana sævitia, ut latæ leges sint, quæ innoxios liberos æternâ egestate puniant*, ut mors sit eis solatium, & vita supplicium. *Maligni Vestri animi? Regi alicui aut dynastæ licêre id vultis, non vultis Deo. Cui tamen, si examinas haud paullò justior severitatis hujus caussa. Peccavimus enim, & rebelles magno huic Regi fuimus in uno omnes: & per tot stirpium traduces, primogenia illa macula propagata ad infelices natos.*

XXI. Verùm Ego & tot tantosque Auctores heic sequi non audeo. Prohibet enim Auctoritas summi Dei atque *Litera Comminationis* ejus quam præ manibus habeo, & cui me non absolutè subjicere vetat Religio. In hac enim illud ipsum peccatum quod commisêre parentes puniendum in Filiis decernitur, quod utique absque *ejus imputatione* propriè dicta intelligi nequit, & quam heic fieri vel agnosci debere perperàm proinde negavit cum aliis *Lipsius. Dixi*, inquit, *externâ punitione, & velim notes. Non enim culpæ ipsæ transferuntur, aut criminum quædam confusio fit: abest: sed pœnæ duntaxat sive castigationes quædam circa nos istæ sunt, non in nobis: & ad corpora aut opes spectant propriè non ad animum hunc internum.* Deinde cùm peccati omnis, & maximè gravioris ut idololatriæ pœna sit non modò corporalis ac temporalis sed etiam spiritualis & æterna; sequitur & hanc æternam cum spirituali præcedente etiam heic *Visitationis Generali* nomine interminari Deum

Ze-

Zelotypum. Sic tamen ut pro liberrimo gratiæ & Electionis æternæ beneplacito suo sibi reservet, nonnullos ex posteris, in parentibus suis divinitùs obligatis ad obedientiam Legis suæ, à *reatu paterni criminis* liberare propter meritum Sponsoris, atque sic in eos modò pœnâ castigationis, vel probationis, vel correctionis denique animadvertere. Atque adeò Comminationem hanc ad Filios *reprobos* tantùm cum *Zanchio* restringendam esse non arbitror. Uti neque ad pœnam medicinalem & correctoriam corporalem tantùm restringi eam debere, verùm extendi ad omnem pœnam, pro arbitrio Divino, sic uti dixi, variè dispensandam, omnino statuendum esse censeo. Textûs enim Litera non tantùm id postulat, verùm etiam *Exempla* id insuper probant. *Propter* Idololatriam Jeroboami, v. g. adducturus erat Deus *malum in Domum ejus.* 1 *Reg.* XIV: 10. Comprehendebat hoc *corporalia* mala, in Contextu recensita, & simul *Spiritualia*, & his mediantibus *æterna* quoque. Ad implementum enim hujus Comminationis Propheticæ omnino etiam spectavit illud quod de Filio Jeroboami *Nadab*, ut & de Filiis aliorum Israëlis Regum improborum, diligenter adnotatum est, nempe *quod ambulaverit in via Patris sui, & in peccato ejus quo ad peccandum induxit Israëlem*; 1 *Reg.* XIV: 26. Hoc enim extra omnem dubitationis aleam ponit collatio Loci *Jer.* XVI: 11, 12, 13. *Propterea quod dereliquerunt Patres vestri me, ait Dominus, & abierunt post Deos alienos . . . . . Et vos malefecistis faciendo præ patribus vestris . . . . Ejiciam vos de terra hac, in terram quam non cognovistis vos, & Patres vestri: & servietis ibi diis alienis die ac nocte*, אשר לא אתן לכם חנינה QUIA NON DABO VOBIS GRATIAM. Negatio gratiæ conversivæ salutaris, ex qua major in peccato obduratio & perseverantia, manifestè ibi ponitur ut pœna Paternæ etiam Iniquitatis. Atque sic *Imitatio* paterni sceleris in *Nadab* Filio Jeroboami ita fuit caussa sequentis mali ipsi illati, ut simul & quidem prius ha-

habuerit rationem pœnæ justissimæ ob patris peccatum immissæ. Ipse *Clar. Jac. Altingius*, *Hept.* v. *Dissert.* v. §. XXII. postquam statuisset, quod *Visitatio* Iniquitatis hæc *severa*, *non complectatur liberorum conditionem futuri seculi*, sed esset *externæ adversitatis*, sicuti ipsius sententiâ *Benignitas*, quæ exercetur erga posteros propter avorum pietatem, etiam est *externæ prosperitatis*, fassus est tamen, quòd *Temporalibus pœnis accensenda* sit *quoque negatio gratiæ vocationis externæ*, *ut propter contradictionem parentum à liberis & posteris removeatur Evangelium ejusque præconium*, *Luc.* XIX: 44. *Matth.* XXI: 43. XXIII: 34. *seqq.* Tantum verò abest ut חסד לאלפים *Misericordia in millibus* servanda sit solummodò *externæ* prosperitatis, uti videtur velle *Altingius*, ut omnino etiam & præcipuè spiritualem ac æternam complectatur. Est enim hæc Misericordia eadem cum illâ promissa quibusdam in populo duræ cervicis ad preces Mosis petentis signum plenissimæ gratiæ Dei ac Reconciliationis cum populo fœdifrago, *Cap.* XXXIII: 19. *Et gratiam faciam*, *cui gratiam faciam*, *& miserebor*, *cujus miserebor.* Hanc verò Misericordiam & gratiam non modo generalem sed & specialem imò specialissiman conversionis salutaris & donationis Vitæ spiritualis, & proinde etiam æternæ, complecti, haud indiligenter monstravimus, etiam ex Doctrina Pauli in *Capite nono Epistolæ ad Romanos*, in *Dissertationibus* nostris *Sacris*, *Dissert.* IV. §. XV. XVI. XVII. Unde tum etiam novum oritur Argumentum pro sententiâ nostrâ; si enim Benignitas promissa comprehendat etiam & præcipuè bona spiritualia ac æterna, congruum omnino videtur ut *Visitatio* judicialis ei opposita etiam *spiritualia mala* complectatur, utpote in quibus ipsa Scriptura pœnam peccati, etiam paterni, statuit, uti reverà est, & quidam longè gravior aliâ omni corporali. Subscribo itaque verbis *Zanchii* nostri *in Decalogum. Nunc tenemus quid minetur Dominus . . . . & quibusnam pœnis talem iniquitatem puniat:* primùm Spirituali: *quia non tam*

tam ipsos, quàm etiam ipsorum liberos privat suâ gratiâ, quâ privati, non possunt non nisi in omnia scelerum genera sese præcipites dare: atque ita Filii parentum iniquitatem persequi: tum verò partim temporalibus *afflictionibus: partim* æternis *tandem* pœnis *hanc iniquitatem ulciscitur.* Paulò ante scripserat. *Ergò cum ita se res habeat, fateri necesse est, Deum hic minari hanc gratiæ suæ denegationem, qua fiat: ut Filii impiorum ita dent pœnas iniquitatis parentum*, ut tamen ipsi minime portent parentum iniquitatem, *id est, neque puniantur injustè.* Hæc minimè probo, nam pœnam hanc spiritualem iniquitatis parentum dare nequeunt, nisi iniquitas illa ipsorum sit facta *per imputationem*, quia *imitatio* denegatæ gratiæ sequela est. *Calvinus* in *Ezech.* XVIII. *Cum pronunciat Deus se rejicere iniquitatem Patris in sinum Filii, notandum est, quod Deus ita simul filium involvit cum Patre in eodem interitu, id præcipuè fieri*, quia Spiritu destituit filium impii .... *Sed prima pœna quam Deus minatur reprobis, ea est quam dixi, nempe quâ eorum sobolem destituit &* privat spiritualibus donis, *ut altius semper demergatur in suo interitu* ..... *Ergo Deus dicitur rejicere* iniquitatem patrum in Filios *non tantum ubi pœnas externas exigit de parvulis, sed quia addicit æterno exitio sobolem maledictam*, ubi destituit omnibus donis Spiritus.

XXII. Concludo itaque ex Dictis Deum habere JUS ac POTESTATEM *idem numero peccatum* quod parentes *soli* perpetrarunt *puniendi* in *Posteris Eorum*, qui tamen illam ipsam iniquitatem personaliter non fecerunt, pœnâ *non modò corporali* ac *temporali*, sed & *spirituali*, & *hac mediante*, nec merito Christi intercedente, *æternâ.* Hoc docet manifestè *Litera* Textûs nostri. In eo enim declarat Deus, se in voluntatibus patrum Israëliticorum pro suo arbitrio collocasse filiorum quorundam voluntates, quæ suæ sunt *Ezech.* XVIII: 4. ita ut voluntatem Patris diligentem Deum, & abstinentem ab Idololatria omni habiturus sit pro Filii Voluntate diligente, & sic præmio & gratiâ ornandi, & ut vol-

voluntatem Patris peccantem ex adverso consideraturus sit ut Voluntatem Filii, hoc nomine etiam ab ipso jure puniendi. Ita porro Deus *imputat* peccata Patrum Filiis, non ex *absoluta potestate tali*, quæ *nulla æquitate* temperata est, sed ex *liberrima* quidem *voluntate*, quæ tamen simul est *justissima*, quemadmodum etiam cum *Twisso* agnoscit *Joh. Szydlovius* in *Vindiciis Quæst. Cap.* VII. Jure enim Deus fingere potest Voluntatem Filii esse in Patre, qui naturaliter ex Patre certò proditurus est. Animam quidem immediatè creat Deus, parentes tamen concurrunt, non quidem ad animæ essentiam, vel existentiam simpliciter, sed ad ejus subsistentiam cum corpore efficiendam: quo respectu & rectè animæ ipsæ dici possent egredi ex femore Jacobi *Gen.* XLVI. 26. Quemadmodum jura humana fingunt certo in casu, eum qui adhuc in utero est, jam esse in rerum natura, sic & jure summus rerum Arbiter fingere pòtest, illos esse jam, quos ex patribus certò prodituros novit, in quibus seminaliter hærent hactenus occulti. Sicuti voluit ut *Levi* haberetur decimas dedisse Melchisedeco cum Abraham decimas dabat, quoniam *is adhuc in lumbis Patris erat cum occurreret Abrahamo Melchisedecus*, uti Paulus loquitur *Heb.* VII: 9. 10. præmittens illud ὡς ἔπος εἰπεῖν, quo indicaret, non quod figuratè, aut revera audaciter ac duriùs loqueretur, etsi ita videri posset, sed quòd Divina constitutione heic adfuerit *Jurisfictio* rei ipsi consentanea, & efficax ad Melchisedeci Sacerdotium Levitico illo præstantius declarandum, qui Pauli est scopus, & quem egregiè sic etiam attingit; Jurisfictio enim, eò quod naturam imitatur, tantùm operatur quantum ipsa veritas, ut in Adoptionibus &c. observant Jurisconsulti. Nullus etiam in parentibus sic à Deo summo omnium Domino obligatus conqueri jure potest de ullà injuria sibi facta, quoniam æquitas Ter Optimi Maximi vetat credere illum aliquem in Patre obligasse ad obedientiam Mandati alicujus, quem non simul instruxerit viribus sufficientibus ad implendum decentissimum istud offi-

officium, uti etiam ſupra obſervavimus. Omnes enim Viæ Dei ſunt juſtæ. Et quamvis Ego ex imbecillitate ingenii & intellectus mei adſequi non valeam omnes æquitatis in hac Viâ Dei rationes, planiſſimè perſuaſus tamen de omnium viarum Dei circa creaturam ſuam æquitate, me protinus ejus Revelationi ſubjicio; atque propter ejus auctoritatem agnoſco *hoc* Deo *Jus* ita puniendi poſteros ob *delicta* Majorum ſuorum competere; & actuale ejus Exercitium eſſe juſtum, uti ſunt opera Dei omnia; quia nititur poſterorum in parentibus à Deo facta *Obligatione*. Obligavit autem Deus omnes noſtras voluntates in Adamo, & quorundam filiorum in parentibus Iſraëliticis, quia ita vòluit: Voluit hoc autem quia jure potuit, quia ſunt liberi in parentibus ſeminaliter, à parentibus naturaliter amantur, parentes vires præſtandi id quod Deus exegit ab ipſis officium habent, & denique ſi obediant hi, non fiant Idololatræ, non vitulos Bethelicos erigant in cultum aut colant, liberi etiam Divinæ Miſericordiæ ampliſſimæ forent objecta. Si verò per has rationes de æquitate juris hujus Divini non ſatis in mente ſua ſe convictum eſſe conqueratur adhuc aliquis; is cogitet *Judicia* Dei eſſe inſtar *abyſſi magnæ Pſ.* XXXVI: 7: multa occulta, nulla injuſta eſſe; non decere nos trutinam cæleſtis juſtitiæ manibus eripere, ac noſtro quodam ſenſu ponderibusqus librare; ab homine non debere æſtimari noxas alienas, quas Deus pro propriis habendas eſſe cenſuit; propius non eſſe tangendum ſacrum illum ignem, cujus ſcintillas & ſtricturas quaſdam videre nos homines fortaſſe poſſumus, non poſſumus ipſum; denique nulla Dei judicia eſſe culpanda, ſed omnia ferenda & verenda; quemadmodum hac de re piè & non ineleganter diſſeruit *Lipſius* de *Conſtantia Lib.* II. *Cap.* XVI. XVII.

XXIII. Ut tandem huic Diſſertationi finem imponam, obſervari velim, *Hoc Jure Divino* nixam fuiſſe *Obligationem* omnium hominum in Adamo primo: quo proinde

peccante omnes peccarunt, omnesque, ob *Obligationem* factam *Fœderalem*, peccasse per Jurisfictionem æquissimam censentur à Deo; qui idcirco etiam omnes nascuntur filii iræ, & destituti primæva integritate, ac labe originali infecti, ex quâ ad omne nefas actu perpetrandum toti proclives existunt, in qua originali labe est *prima* spiritualis *pœna* peccati Adami nobis *immediatè imputati*, quam sequitur & sequetur reliqua omnis, etiam æterna, nisi merito secundi Adami Deo irato reconciliemur, & ab omni pœna proprie dicta peccati omnis, & sequela ejus liberemur. Dicat *Dan: Whitby Ecclesiæ Sarisburiensis Præcentor*, in *Tractatu* de *Imputatione Divina peccati Adami*, nuper edito, quòd, *confugere ad fœdus illud commentitium cum* Adamo *initum*, *ut* quam primum ab obedientia præscripta deflexerit, non ipse tantum peccati istius reatu obstringeretur sed & posteros omnes reos efficeret, ac proinde pœna dignos, sit *ad fœdus ineptum*, *crudele*, *nec cum sapientia*, *bonitate aut justitia Divina conveniens fœdus recurrere.* Nil *enim aliud hoc esse quam statuere Deum*, *ne infantes innocentes sine causa æternis pœnis subjicere videatur*, *hoc fœdus excogitasse*, *quo propositum de iis ad exitium devovendis*, *effectum daret:* Ego ex adverso pronuncio *injustum* & *iniquum* tot malis spiritualibus, & necessitati mortis corporalis, ejusque æternæ durationi subjicere Creaturam plane innocentem, non ream in Adamo, uti fert systema Socinianum, quod sequi malit vir doctus; & dico Fœdus hoc uti cum sapientia & bonitate, ita & cum *justitia Divina* omnino esse conveniens, propterea, quòd Deus ipse sibi tribuat *Jus tale*, primò *Obligandi* pòsteros in Majoribus, dein & *Puniendi* eos propter peccata Majorum, vi hujus obligationis factæ; & precor Deum ut dare velit clementer Viro isti docto, omnibusque cum eo Pelagianizantibus, ubicunque vivant inter Protestantes, sive in Britannia, sive in Germania, sive etiam in Belgio nostro, gratiam illuminationis Spiritus sui Sancti, promissam, uti videtur, apud

apud Jeremiam Vatem, quâ ÆQUITATEM hujus JURIS DIVINI magis magisque intelligant, saltem se DIVINÆ REVELATIONI, in quâ Jus hoc docetur; uti visum est, promptè ad salutem æternam Deique gloriam subjiciant! *Amen.*

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA
DE
VOTO MOSIS,
AD
NUMER. XI. 29.

I.

SIgnum Spiritus Gratiæ & Adoptionis accepti est, non suam propriam ex Donis concessis, Munere collato, aut Opere qualicunque bono, sed Dei Gloriam quærere. Hoc enim Spiritu illuminati sciunt Gloriam Dei esse supremum finem, non solùm Operum Naturæ, sed etiam Gratiæ, & speciatim Electionis *Ephes.* I. 4, 5, Redemtionis I *Cor.* VI. 20. Vocationis I *Pet.* II. 9. atque Regenerationis suæ *Jes.* XLIII. 21. LX. 21. & simul per flexanimam Ejus atque Victricem gratiam sese ad eum finem consequendum spontè & alacriter componunt, dicentes, *Non nobis Jehova, non nobis; sed Nomini tuo da honorem Psalm.* CXV. 1. Hoc porro Spiritu donati Patrem cœlestem, cui omnia sua debent in Naturâ & Gratiâ, supra omnia quoque amant, & incredibili Zelo gloriæ Ejus, per se & per alios manifestandæ, ducuntur, & dicunt *jugiter*, ut genuinos Filios decet *Malach.* I. 6. *Magnificetur Jehova Psalm.* XL. 17. Hoc denique Spiritu ducti summam Dei Majestatem humili animo reverentur, & sollicitè cavent ne Eum vel minimâ re offendant, Ejusque vias, quæ omnes sapientes & justæ sunt, reprehendant, aut

aut ſeſe Ei, Liberrimo ac Independenti Donorum ſuorum Diribitori, opponant. Sed procul habitâ omni Invidiâ, invidâque ſuperbia, in Ejus Diſpenſatione acquieſcunt; pares non modò, ſed etiam ſe, Fortunæ bonis, Naturæ & Gratiæ donis, proſperiſque rerum ſucceſſibus, majores æquo animo ferunt, ac æſtimant, non magnopere curantes propriæ qualiſcunque fortunæ, famæ, honoris atque exiſtimationis apud homines jacturam; modo Deus agnoſcatur, colatur, laudetur ac glorificetur; atque populi Ejus ſalus promoveatur; cum Johanne Baptiſta *Joh.* III. 29, 30. & Paulo Apoſtolo *Phil*, I. 15-20.

II. Hoc Spiritu Adoptionis quoque donatus fuit Magnus Propheta & Dux quondam Iſraëlis MOSES, quando in Textu noſtro, Joſuæ Miniſtro, qui temerè admodum ipſum in *Invidiam* rapere conabatur, reſpondit: המקנא אתה לי *Quid æmularis pro me?* vel, *Quid invides tu meâ cauſſa?* & facis, quantum in Te eſt, ut & Ego aliis *invideam*? Hoc enim neque Te neque Me decet. *Spiritus* enim Gratiæ & Adoptionis, qui in Me & Te habitat non delectatur *Invidia*, neque Ego per *Spiritus* gratiam eâ delector. Imo tantum abeſt ut *inviderem* Alii cuipiam ex Senioribus Populi *gloriam Prophetæ*, ut vellem potius *totum populum* fieri *Prophetas*, & *Spiritum* Domini in Eum effundi. Sicuti pergit Magnus ille Propheta in Verbis noſtris ומי יתן כל עם יהוה נביאים כי יתן יהוה את רוחו עליהם *Et utinam Univerſitas Populi Domini Prophetæ eſſent! Utinam daret Dominus Spiritum ſuum ſuper eos!*

III. Scilicet MOSES, auditâ Quiritatione ingratæ Multitudinis in deſerto, faſtidientis panem cœlitus demiſſum, & deſiderantis carnem Ægypti ℣. 4.—10. 18. Oneris in Regimine numeroſi ac ſeditioſi Populi (quod ſatis grave manebat etiam poſt conſtitutos cauſſarum leviorum, ex Conſilio Jithronis, Judices *Exod.* XVIII. 22. 26. *Deut.* I. 9.-16.), pertæſus; petiit a Deo ut ſibi hoc Onus levaretur ℣. 11-15.

 An-

Annuit Dominus Petitioni Ejus, & Senatum Populi supremum, ex LXX. Senioribus, sub duce Mose, populum gubernaturum constituit, illisque *de Spiritu qui* erat *super Mose* partem dedit, non auferendo aliquid a Mose, sed *speciem* donorum eandem multiplicando in Senioribus, circa *Tentorium Conventus* congregatis. Qui; ut cunctis constaret quòd Divinitùs ad hoc Munus vocati, donisque Spiritus ad Regimen Populi Dei necessariis instructi essent; *isthoc die*, & *non amplius* PROPHETARUNT ℣. 16.—25. id est, uno vel altero modo supranaturales quos nacti erant afflatus Divinos toti Populo comprobarunt; non *Prædicendo* futura de Bello tempore Messiæ gerendo contra Gog & Magog, uti Judæi somniant; neque simpliciter *hortando* Populum unanimiter, ut in officio erga Deum & Mosem perseveraret, ut *Clericus*: sed; *vel miracula patrando*, *coll. Ecclesiast.* XLVIII. 14.; *vel occulta* quædam *revelando*, coll. *Luc.* VII. 39. *Job.* IV. 19. *Matth.* XXVI. 68.; *vel* Canticis sacris & *hymnis*, sine studio & labore compositis, Deum *laudando coll.*) 1 *Sam.* X. 5.--10.; *vel* denique extraordinariâ mentis promptitudine & linguæ de *Rebus Divinis* ac Fidei Mysteriis *differendo*, ac μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ prædicando coll. *Act.* II. 4. II. 17. Accidit autem ut *Duo* ex *Conscriptis* LXX illis Senioribus, *Eldad* & *Medad*, cum reliquis LXVIII non accesserint ad *Tentorium*, sed *remanserint in Castris* ℣. 26. Non ex ignaviâ contemtu aut contumaciâ, nam eadem Spiritus gratia cum reliquis donati erant. Sed; *vel* ex humili de semetipsis sensu, se tanto honore indignos existimantes, atque inidoneos ad tantum Onus portandum, cum Mose *Exod.* III. & IV., Saule 1 *Sam.* IX. 21. X. 21, 22. Jeremiâ *Cap.* 1. 6.; *vel* quod illos quidem jusserit vocari Moses, sed reperiri haud potuerint, sicuti conjecit *Calvinus*, addens, quod arcano Dei Consilio retenti fuerint, ut omnibus, etiam infimis, qui ad Tabernaculum non convenerant, miraculum innotesceret; *vel* denique quod prævenerit Spiritus descensus illorum adventum ad Tentorium,

ut

ut constaret, non Mosen esse largitorem donorum istorum, sed Spiritum liberrimè operantem, neque Mosi neque Tentorio Conventus alligatum, uti monuit *Cyrillus Hierosolymit. Catechef.* XVI. p. m. 237. Etenim *Prophetarunt* hi duo in *Castris*, æque ac Reliqui LXVIII. apud Tentorium Conventus. Quod cum Mosi renunciatum esset, suadet Ipsi *Josua* Minister Ejus, ut *cobiberet eos*, aut *prohiberet illis* ℣. 27. 28. Fecit hoc Josua; non quia prophetabant de morte Mosis, & de Josua successore Ejus, quod iterum Rabbini fingunt; neque etiam quia ex contumaciâ in Mosen ducem non accesserant ad Tentorium, nam tum *Prophetiæ* donum ipsis collatum haud fuisset; Verum quia metuebat ne hac *Prophetatione* Eldadi & Medadi in *Castris*, cum turbæ applausu, vilescerent Præstantia, Gloria, & Auctoritas Mosis *Prophetæ*, qui solus hactenus eminentiori Prophetiæ gradu in medio populi fulserat, *Num.* XII. 2. 6. 7. 8., & *cui pares* facti Prophetiæ dono Rerumque Divinarum Peritiâ ac Numinis singulari Favore videri possent in oculis populi, quoniam Spiritu afflati erant non præsente Mose, neque ejus Ministerio interveniente per Doctrinam oris aut Impositionem manuum ejus, verùm ipso plane inscio; secus omnino ac factum erat in LXVIII Senioribus aliis, quibus ad Tentorium Conventus, & interveniente qualicunque Magni Prophetæ Mosis Ministerio *Spiritus Dei* collatus fuerat; quique proinde haud aliter quam inferiores Mose ac ab Ipso dependentes semper haberi poterant. Hoc animo sedisse Josuæ suadenti Domino suo Mosi כלאם *Probibe illis*, elicimus ex *Responso* quod dedit illi *Moses*, mortalium mansuetissimus *Num.* XII. 3. fidelis in Domo Dei Minister *Heb.* III. 2. *donoque Prophetiæ* non modò, sed & *Spiritu Gratiæ* & *Adoptionis* Filiorum Dei præditus, cujus accepti *signum*, quod est *non propriam suam sed Dei gloriam quærere*, luculenter ostendit, & in *Alloquio* ad Josuam præmisso, & in *Voto* subjecto. Præmissum *Alloquium* in initio versus nostri textualis ita sonat: *Quid æmularis pro*

me,

me, meaque dignitate ac præstantia *Prophetica?* aut, *Quid invides*, (invidus es) *meâ caussâ* Viris hisce Eldado & Medado? Ego illis non invideo Dona Spiritus extraordinaria nec ordinaria, communia nec salutaria, eximia etiam, meisque similia, imo majora. Neque etiam invideo illis applausus populares, pluresque ac majores prædicationis Verbi Divini fructus, quàm unquam Populus ex meo ministerio *Prophetico* percepit. Spiritus enim Dei est liberrimus bonorum suorum diribitor, qui distribuit singulis prout vult. Et ille idem Spiritus qui in me operatur fidem amorem & timorem Numinis sincerum, non me commovet ad *Invidiam*, sed ex adverso efficit in me ut isto pravo affectu non laborem. Possum per Ejus gratiam ferre *pares* in omnibus, imo me longò *majores*, si Deo meo placuerit. Additum verò *Votum*, quod nostræ Tractationis nunc erit subjectum, ita se habet. *Utinam Universus Populus Domini Prophetæ essent! Utinam daret Dominus Spiritum suum super eos!* quo idem indicat, nempe se *non suam* sed *Dei gloriam quærere;* se quidem velle, si Deo ita visum fuerit, populum suo Ministerio haud amplius indigere; neque ægrè ferre, si Eldadi & Medadi Aliorumque Ministerio Populus ad majorem Dei viarumque Ejus cognitionem perduceretur: hoc enim maximè in Votis se habere, ut *totus populus* Sibi Aliisque *Prophetis similis* evaderet, per Lucem plenioris Cognitionis Rerum Divinarum, & per Sanctificationis *Spiritus* uberiorem Collationem, Se absente licet, & non interveniente qualicunque opere suo, factam.

IV. Plurimi Commentatores Insigne hoc Magni Prophetæ *Votum* vel prorsus neglexerunt, vel obiter tractarunt: cum tamen occurrant in eo, quæ haud levem curam atque attentionem merentur. Primo enim intuitu videtur Moses optasse à Deo: *Vel*, ut *Omnes Israëlitæ*, ex plebe etiam, *Spiritum Prophetiæ*, paucis ex Consilio Divino concessum & concedendum, acciperent, atque *Enthusiasmum* sentirent: Vel, si per *Prophetas* intellexerit publicos *verbi divini præcones*,

cones, ut Ministerium Verbi publicum, non ad certos quosdam ad id ritè præparatos, admissos & legitimè vocatos restringeretur, sed ad omnes & singulos, ne quidem fœminis exceptis, absque ulla speciali vocatione, extenderetur: *Vel* denique, si per *Spiritum* intellexerit *Eximiam* Mysteriorum salutis *Cognitionem*, qualis fuit in *Prophetis*, optasse videtur aliquid quod isti Oeconomiæ & *Ministerio literæ* haud conveniret, sed *Ministerio Spiritus*, quale nunc est sub Novo Testamento, cujus prærogativa est *Spiritus* copiosa in *omnem* populum *Effusio*: *Vel* tandem, si *totus Populus* est gens *Israëlitica* tantùm, & voce *Spiritus* dona ejus *salutaria* indigitaverit, petiisse à Deo videtur, ut *omnes* & *singuli* ex Israële gratiæ salutaris & gloriæ æternæ fierent participes; quod repugnaret divinæ declarationi *Exod.* XXXIII. 19. *miserebor cujus misertus fuero*, quâ significavit Deus non omnes & singulos ex Israële, sed quosdam modò pro beneplacito suo fore objecta salutaris gratiæ suæ. Ne verò ad hos aliosque similes fortè, a mente Mosis, atque ab analogiâ Scripturæ & Fidei alienos sensus rapiatur hoc VOTUM; illud nunc perlustrare, & paullò diligentius ejus genuinum sensum indagare, atque hac Dissertatione Academicâ proponere, adjuvante *Spiritu Sancto*, constituimus.

V. Et quidem eò magis quia præstantissimis quibusdam Theologis persuasum est *hoc* Mosis *Dictum* in Novo Testamento, ab Apostolo scilicet *Jacobo*, *Cap.* IV. 5. 6. laudari, ut insigne *Scripturæ Dictum*, ex quo argumentaretur ille contra *Invidiam*, pessimum illum ac perniciosissimum Affectum, cujus Dominio miseri Mortales omnes, & ex parte quoque ipsi Regeniti, sed non sine luctâ Spiritus gravi, subjecti sunt. Verba Apostoli ita sonant, *An putatis Scripturam inaniter dicere; πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν. Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν.* Locus hic aliquantulum difficilis est, sed difficultatem auxerunt diversissimæ ejus interpretationes, quarum præcipuas quasdam

retulit Venerabilis quondam noster *Witzius*, & simul modestè, ut solet, ac doctè refutavit in *Meletem. Leid. Dissert.* XII. Aliam novam attulit nuper Doct. *Elsnerus*. Verùm magis placet *Witzius*. Hic meritò supponit cum Aliis per *Scripturam* intelligere Jacobum *Illam* V. T. quæ ad nostram quoque doctrinam & multiplicem Usum, adeoque *non* κενῶς *frustra*, *inaniter* conscripta est *Rom.* XV. 4. nequidem in Dictis Factis & Fatis Populi in Deserto 1 *Cor.* X. 11. quodque ideo significanter præmittit Jacobus, *an putatis scripturam inaniter dicere?* Existimat porro Vir. Celeb. verba, quæ supra Græcè exhibuimus, non esse *Jacobi*, sed ex *Veteris Testamenti Scriptura* petita, non ῥητῶς tamen, sed κατὰ διάνοιαν, & quidem ex hoc *Nostro Textu*; ita ut verba illa; *Prius* Membrum continentia, πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν, interrogativè, subintellecto ἢ *an*, sensu tamen negativo, lecta, *An ad invidiam concupiscit*, id est concupiscere facit coll. *Rom.* VIII. 26., *Spiritus*, Dei sc., *qui in nobis habitat*; contineant reipsa idem quod habetur in *Alloquio* Mosis ad Josuam, interrogative & cum indignatione prolato, *An* vel *Quid invides mea caussa?* putasne Spiritum Dei habitantem in nobis delectari *invidiâ*, & pati ut feramur in eam, ad quam tu, o Josua, me temere excitas? Minimè, nec concupiscit, nec concupiscere facit nos ad invidiam. Verba autem *Posterioris* Membri, μείζονα δὲ δίδωσι χάριν *majorem autem dat gratiam*, judicat Celeb. *Witzius* exprimere sensum *Voti* Mosis, *Utinam universus populus Prophetæ essent* &c.! hoc sensu: tantum abest ut Spiritus Dei ad *invidiam* moveat, ut potius *majorem* det *gratiam*, id est, *efficiat ut quisque fidelis non modo non invideat fratri ea quæ possidet bona, iisque ipsum carere optet, sed majora etiam ac plura apprecetur*, (ut Moses in Textu) *& si possit reapse conciliet.* Quemadmodum quoad *prius* membrum, *An ad invidiam concupiscit Spiritus qui habitat in nobis*, ut petitum ex hoc *Alloquio* Mosis ad Josuam, *An invides mea caussa*, planè assentior *Clar. Witzio nostro*,

ut

ut & *Junio*, *Piscatori*, *Belgis*, *Lud. Cappello*, quos secutus est hac in parte: Ita valde dubito an Verba *posterioris* Membri, *majorem autem dat gratiam*, sint Verba Scripturæ V. T. Videntur enim mihi hæc esse verba potius *Jacobi ipsius*, quorum veritatem in Sequentibus mox confirmat ex aliâ Scripturâ, quando ita pergit, διὸ λέγει *propterea dicit*, *Deus superbis obsistit*, *submissis autem dat gratiam*, *Proverb.* III. 34. Quicquid verò hac de re sit, *Jacobus* saltem docet, in hoc *Numerorum* loco, atque in hoc *Alloquio* Mosis ad Josuam esse aliquid *Notabile*, & utile quoque ad pietatis praxin. Quale quid non minus esse in *Voto* subjecto in sequentibus ostendemus.

VI. Considerabimus *Primò* ipsum ardentissimum *Votum*, seu *Rem* a Mose petitam: *Deinde* Propositionis *Modum*, *Utinam &c.* In ipso *Voto* iterum, in quo est Invocationis religiosæ species, perpendenda occurrunt; *Quem* hoc modo invocat Moses: Pro *Quibus* orat: & denique *Quid* petat, nempe ut sint *Prophetæ*, & ut *Spiritum Domini* accipiant.

VII. Is *quem* invocat Moses est verus ac summus Deus, יהוה *Jehova*, ille qui *Est* perfectissimo modo, â nullo alio *Est*, omnibus extra se dat *Esse*, sine initio ac fine *Est*, denique semper idem *Est* in perfectionibus promissis decretis suis. Atque adeo qui omnis Boni Caussa & Fons inexhaustus est, & Unicum Religiosæ Invocationis, in omni loco, & omni modo, & pro omnibus, & denique pro omnis generis Bono obtinendo, institutæ Objectum. Sumitur fortè hoc nomen *Jehova*, in his verbis, *det Jehova Spiritum suum super eos*, personaliter pro *Patre*, qui distinguitur â *Jehova Filio* Deo Israëlis & Rege ejus *Psalm.* LXVIII. 8, 9. *Jer.* XXX. 21., *cujus* ideo Israël heic dicitur *Populus*, & â *Spiritu Sancto*, quem *dare* dicitur. Una interim numero est in Tribus hisce Personis Divinis Essentia, & invocationis honos singulis debitus est inseparabilis.

VIII. Huic Jehovæ Patri proponit Moses *Populum* Jehovæ Filii, *pro quo* orat, memorans כל עם יהוה *Universitatem*

tem Populi Jehovæ. Hoc nomine *Populi Dei* venit sæpe *Israël* seu Jacobi Posteritas *Exod.* III. 7. Ob Redemtionem ejus ex Ægypti servitute manu Dei potenti factam *Deut.* IV. 20. Ob Vocationem ejus externam per Verbum Promissionis & Legis *Deut.* IV. 6, 7. 8. *Psalm.* CXLVII. 19, 20. *Jes.* XLII. 21. *Hos.* VIII. 12. Ob Fœderis Regii cum ipso erectionem *Exod.* XIX. 5, 6., & Electionem ejus ex omnibus gentibus ad eximia Privilegia externa *Deut.* VI. 6, 7. recensita *Rom.* IX. 4, 5. Denique ob Electos ad salutem æternam in Christo, quos in hoc solo Populo, rejectis gentibus, per longum tempus habiturus erat Deus *Gen.* XVII. 8. *Exod.* XXXIII. 19. *Ephes.* II. 12. Sed etiam *Electi* ipsi; sive ex carnali Jacobi Posteritate, quo sensu Nonnulli capiunt Dictum Angeli *Luc.* II. 10. *Ecce enim Euangelizo* vobis *gaudium magnum*, *quod erit* toti populo, sc. *Dei*; sive ex gentibus quoque postea iterum vocandis hoc eodem Elogio *Populi Dei* in summâ emphasi alibi insigniuntur *Matth.* I. 21. *Act.* XVIII. 10. Quo sensu vero heic loquatur Moses de *Populo Domini*, & quidem de *omni* vel *toto*, commodius dicemus postquam de *Bono* pro Illo petito egimus.

IX. Hoc verò est haud vulgare aliquid sed Eximium. Petit nimirum Magnus Propheta Moses, ut totus populus sint נביאים PROPHETÆ, & ut *det Jehova* רוחו SPIRITUM SUUM *super eos.* PRIMO ut sint PROPHETÆ. Vox נביא *Nabi*; quam Alii derivant â נוב *Progerminavit*, *Elocutus est*, Alii a בוא *Venit*, Alii à נאב *vices alterius subiit* apud Arabes, Alii denique a נבא *annunciavit* apud Arabas, & in Niphal apud Hebræos *Vaticinatus est*; undecunque etiam repetatur formalis ejus significatio, vel â radice propriâ vel cognatâ, Hebræâ vel apud Arabas servatâ; ex *Origine* est *Orator*, *Vicarius*, *Legatus*, *Interpres*, qui nihil profert nisi quod accepit prius, verbaque aliena ex alieno non proprio nutu ac voluntate pronunciat. Hoc certe sensu de Aharone sumitur *Nabi Exod.* VII. 1. *Et Aharon frater tuus erit* נביאך PROPHETA,

id

id eſt Interpres Orator *tuus*; coll. cum *Cap.* IV. 15, 16. Unde *Philo* Judæus ſcripſit de *Rerum divinarum Hærede* p. m. 517. προφήτης γὰρ ἴδιον μὲν οὐδὲν ἀποφθέγγεται, ἀλλότρια δὲ πάντα ὑπηχοῦντος ἑτέρου. *Nam Propheta nihil proloquitur quod ſuum eſt, ſed omnia aliena, ſubmonente alio:* Qui ſic reſpicere videtur ad vocem Hebræam *Nabi* potius quàm ad Græcam προφήτης; de quâ *Hammondus* ad *Luc.* I. 76. ſcripſit, quod ex ſenſu Grammaticorum per ſe ſignificet Eum qui *ab* vel *pro alio* loquitur; meritò propterea refutatus ibidem a *Clerico*. Ex *Uſu* verò profano & ſacro נביא προφήτης eſt *Interpres* DEI ipſius. Quo ſenſu Ægyptii fortè Philoſophiæ Antiſtites ἱερέας καὶ προφήτας *Sacerdotes* & *Prophetas* appellarunt apud *Laërtium* in *Proëmio*. In Sacrâ Scripturâ nunc *Strictius*, nunc *Latius* ſumuntur hæ vôces.

X. *Strictius Propheta* eſt *Infallibilis* Oraculorum Dei *Interpres*, qui ex *immediata* Ejus *Revelatione*, uno vel altero modo, notato *Num.* XII. 7. 2 *Sam.* XXIII. 2, 3. factâ, veritates divinas, præſentia, præterita, & maximè futura concernentes, proferebat; vel ſermone oris Reſponſa *Dei* conſulentibus indicando 1 *Sam.* IX. 9.; vel ſermone pariter & ſcripto revelata ſibi cum Eccleſiâ communicando *Dan.* IX. 24. *Matth.* XI. 13. *Act.* X. 43. &c.; vel denique ſacra carmina inſtrumento muſico aut cantu modulando. 1 *Sam.* X. 10, 11. Qualis *Immediata* Revelatio *Divina*, in Viſione Inſomnio ac Ecſtaſi, cum obtigerit Abrahamo, & cæteris Patriarchis Iſaaco & Jacobo, etiam de *futuris* Meſſiæ & Eccleſiæ fatis, ideo quoque *Prophetæ* appellati fuerunt *Gen.* XX. 7. *Pſalm.* CV. 15. Quemadmodum quoque Extraordinarii quidam Miniſtri N. T., poſt *Apoſtolos*, & ante *Doctores*, proprio ſtudio tales, memorati, *Prophetæ* dicti ſunt 1 *Cor.* XII. 28. *Epheſ.* IV. 11.; quia ex afflatu divino & infallibili Spiritus Sancti ductu, *hortabantur* & *confirmabant fratres Act.* XV. 32., Scripturas Veteres & Prophetias inprimis typicas interpretabantur, dictaque Domini diſcernebant 1 *Cor.* XIV. 37., manus etiam imponebant aliis *Act.*

XIII. 1, 2, 3. atque *futura* prædicebant. *Actor.* XI. 27, 28.

XI. *Latius* autem *Propheta* in Sacris vocatur, qui propriè & strictè dictis hisce Prophetis *similis* est, non in *immediata* quoque Revelatione *Divina*, sed in aliis bene multis atque eximiis qualitatibus actibus ac prærogativis. *Sic Prophetæ* ac *Prophetare* dicuntur Rerum Divinarum præ aliis *Studiosi* & *Periti:* quo sensu *Filii Prophetarum* horumque Discipuli etiam *Prophetæ* nuncupantur 1 *Sam.* XIX. 20. Dubium magis est quo sensu *Epimenides* â Gentilibus suis dictus fuerit *Propheta*, monente *Paullo Tit.* 1. 12.; an *strictiori* sensu, quia *futura* quædam prædixit, quod Aristoteles negat, Laertius verò affirmat; an quia insignis *Poëta* fuit; an verò *latiori* hoc sensu, quia σοφὸς περὶ τὰ θεῖα *rerum divinarum peritus* fuit, quod Plutarchus in Solone de ipso refert. *Sic* porro *Prophetare* perhibentur in Sacris qui *Cantica Sacra* ad Dei laudem modulabantur *sine Afflatu* divino extraordinario; (qui tamen nonnunquam in iis locum habere potuit) ut Mirjam *Prophetissa Exod.* XV. 20, 21. *Filii Asaphi*, *Hemanis*, & *Jeduthunis* 1 *Chron.* XXV. 1, 2, 3. & *Mulier* in Ecclesia *Orans* aut *Prophetans* 1 *Cor.* XI. 5. id est sacris hymnis Deum cum aliis laudans. *Sic* denique *Prophetare* dicuntur qui alios *ex verbo* Dei instruunt, & maximè qui *publicè* in Ecclesia docent 1 *Cor.* XIV. 1, 2, 3. 5, 6. 22. 24. 29. 31, 32. horumque Doctrina חזון *Visio* & *Prophetia* appellatur *Prov.* XXIX. 18. 1 *Cor.* XIII. 8. *Sic* tandem *Prophetæ* titulo insigniuntur qui *Cognitione* non solùm cœlestium veritatum, sed etiam Vitæ *Sanctitate*, ac *Zelo* Legis & Gloriæ Divinæ præ aliis conspicui, ac â reliquo mundo separati sunt; quo sensu quoque se excitasse ex Israëlis Filiis *Prophetas*, & ex Juvenibus ejus *Naziræos* dicit Deus *Amos* II. 11.

XII. Si quæras quo sensu *strictiori* illo, an *latiori* hoc sumatur â Mose Vocabulum *Prophetæ*; Respondeo, non *priori* sed *posteriori*. Etenim non est verosimile Mosen seriò optasse, ut *totus populus*, absque ullâ exceptione aut quoad

maxi-

maximam ejus partem, *Prophetæ* fierent; atque ex *immediata* revelatione divina, Alii futura prædicerent, Alii arcana revelarent, Alii Cantica Sacra ex afflatu divino *extraordinario* funderent, Alii rursus Miracula patrarent; multò minus ut omnes & singuli omnia hæc simul facerent. Hoc enim extraordinarium *Prophetiæ* donum paucis ex consilio divino concedendum, coll. *Num.* XII. 6. neque cum salute æternâ necessariò connexum erat, uti ex Exemplis *Bilhami*, *Saulis*, & ex loco Matthæi *Cap.* VII. 22. satis constat; & proinde calidissimis adeò precibus â Deo illud haud flagitasset Moses. Idem tenendum est de *Ordinario* alios *publicè* docendi *Munere*, quod nec in *totum* populum, absque discrimine ætatis etiam & sexus, ex Dei Ordinatione conveniebat, nec cum salute necessarium nexum habens, tantopere expetendum non erat. Sumit ergo Moses *Prophetæ* vocabulum *latiori* sensu antea indicato, atque significationem verbi *Prophetare*, quod de Senioribus & speciatim Eldado ac Medado adhibitum erat *verf.* 25, 26, 27. & latissimæ aliàs significationis est, in aliam quidem, non tamen planè diversam, sed cognatam eleganter inflectit, & simul scopo suo, qui erat ostendere quod *Spiritus* in se *habitans* non *delectaretur invidia*, egregriè inservit.

XIII. Atque sic petit in *Genere*, ut *Sibi* & *Senioribus Prophetantibus*, Aliisque omnibus *strictè* dictis Prophetis *similis* fieret *totus Populus*, non in Donis Propheticis *extraordinariis*, neque *immediata* Dei *Inspiratione*, sed in aliis quibusdam maxime desiderabilibus *toti* Populo, Eumque ad salutem æternam ducturis donis ac bonis. In *specie* verò petit ut sint *similes Prophetis: Primò in* COGNITIONE Dei, Legisque Ejus, & Mysterii salutis, per Divinum Mediatorem, semen Mulieris & Abrahami illud, acquirendæ olim; & simul in *Studio* Verbi Ejus Revelati. Hæc *Cognitio* fuit utique in Mose eximia *Heb.* XI. 26. Hujus quoque *Cognitionis* Dei & Verbi Ejus documenta insignia dedisse Eldad & Medad *prophetantes* in Castris, & Populum in

in admirationem rapientes, unde æmulatio Josuæ, valde probabile est. Fuit & hæc *Cognitio* in Aliis Prophetis. Hi enim *Vaticinati* sunt de Christo Mediatore ac Sponsore venturo, modumque justificationis peccatoris per fidem in Eum tradiderunt, *Luc.* I. 70. IV. 21. XXIV. 27. 45, 46. *Act.* X. 43. *Rom.* I. 17. quod pessimè negarunt olim *Manichæi*, nec non *Theodorus Mopsvestenus*, uti ex fragmentis Commentariorum Ejus, quæ in Quinta Synodo *Collat.* 4. recitantur, intelligi potest. Quibus an jure *Grotius* adnumeretur, Aliis nunc perpendendum relinquo. Certum est Ipsum præcipua de Christo Vaticinia, non sensu primario ac proximo sed secundario quodam ac mystico, ut vocat, id est, per meram accommodationem ad Christum referre, hac in parte quoque laudatum a *Clerico* ad *Ephes.* III. 5. Neque *vaticinati* sunt tantum de Christo, sed & Vaticinia sua de Christo venturo & vicariâ morte satisfacturo pro populo Dei, & gentes vocaturo ad suam Communionem, *intellexerunt*; quæ tamen mysteria insecutis *generationibus*, paulò ante Messiæ Adventum existentibus, vix cognita fuêre *Ephes.* III. 5. Certè de *Davide* legitur, quod, quia *Propheta* erat, *sciverit* Messiam Regem *fructum lumbi* ejus futurum, & *præscius locutus* fuerit de *Resurrectione Christi* *Act.* II. 30, 31.; Qui etiam vicariam Messiæ mortem sibi perspectam habuit, quando sacrificia Levitica vocavit *amœnitatem Jehovæ*, quam *videre* cuperet in *Domo Ejus omnibus diebus vitæ suæ Psalm.* XXVII. 4. Et si ignoraverint Prophetæ sua de Christi Mysterio Vaticinia, quomodo *diem* Ejus tantopere *desiderare* potuerunt cum Abrahamo *Joh.* VIII. 56. *Matth.* XIII. 16, 17. atque *scrutari in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet eventuras Christi perpessiones, & gloriam illas consequuturam*, 1 *Pet.* I. 11. Sic enim majorem & accuratiorem hujus rei jam cognitæ quærebant notitiam. Imo videtur Petrus sic scribens non solùm ad privatum scrutandi studium Prophetarum respexisse, verùm etiam
ad

ad Scholas eorum Propheticas; in quibus Verbum Promiſſionis inde à Paradiſo auditum, legisque Cerimonialis umbras, & immediatas â Deo acceptas revelationes, & denique quæ ipſimet de illis pia meditatione adſecuti erant, explicabant Diſcipulis ſuis. Unde judicium ferri poteſt de Veteri Montaniſtarum, ab Epiphanio *Hæreſ.* XLVIII. *Cap.* 3. *Tom.* I. *Opp. p.* 404. refutato errore, qui ita Prophetaſſe Viros Sanctos dicebant, ut more abreptitiorum ipſi non intellexerint quæ loquerentur. Interim quædam Viſa ac Revelata ſibi divinitus non clarè, quædam verò non ſtatim, ſed poſt explicationem Dei, precibus flagitatam demùm perceperunt, *Dan.* VII. 15, 16. 19. 23. 28. *Zach.* IV. 4.-14. Patet igitur quòd rerum divinarum & myſteriorum fidei eximiâ præ aliis Cognitione imbuti fuerint *Prophetæ*. Atque ad hanc eximiam in Prophetis *Cognitionem*, & ad hoc illorum aſſiduum Verbi Dei & Legis Ejus *Studium* reſpiciens Moſes petit ut totus populus *Illis ſimilis* fieret. Et meritò; nam *Cognitio* viæ ſalutis in Chriſto, pro modulo revelationis ex Verbo Dei, meditando etiam ac ſcrutando illud *Pſalm.* I. 2. *Job.* V. 39., hauſta *decet* Populum Dei, cui hunc in finem notum facit Deus Verbum ſuum *Hoſ.* VI. 6. Et hæc *Cognitio* Chriſti Mediatoris, *Fideſque* in Eum omnibus Adultis *neceſſaria* eſt ad ſalutem, ſub quacunque Oeconomiâ vivant *Jeſ.* XXVIII. 16. *Habak.* II. 4. *Job.* XVII. 3. *Epheſ.* II. 12. Multis verò in populo Dei tunc deerat hæc Cognitio *Pſalm.* XCV. 10., uti & poſtea quoque in plurimis propria culpa deſiderabatur *Jeſ.* I. 3. *Hoſ.* IV. I. 6. Optat itaque Moſes, ut cognoſcant Deum, ejusque Verbum ac Promiſſionem Gratiæ in Chriſto Patribus factam, legisque *Admirabilia Pſalm.* CXIX. 18., ac *Finem*, qui *Chriſtus* erat ad juſtitiam cuivis credenti *Rom.* X. 4.; atque ut *amœnitates* haſce gratiæ divinæ in Chriſto ſponſore, ſemetipſum oblaturo pro Electis, in Atriis Tabernaculi & Sacrificiis Typicis, ibi quotidie mactandis & immolandis, intelligerent, & cum gaudio fidei ſibi applicarent. Atque adeo

huic Mosis *Voto* affine est illud Alterum Ejus, quod legitur in *Psalmo.* xc. 16, 17. de quo fortè in alia quadam Dissertatione Academica agemus.

XIV. *Secundò* in *Studio* Deum LAUDANDI, ORANDI, atque coram Aliis de *rebus divinis disserendi* cum voluptate animi magna: quod omne in *Prophetis* propriè dictis quam maximè iterum locum habuit. Hi enim Sacris Canticis Deum laudabant. Unde *Prophetare* sæpe est idem ac *hymnis* Deum *celebrare* 1 *Sam.* x. 5. 10. 1 *Chron.* xxv. 1. 3. 1 *Cor.* xi. 5., ubi Mulier *prophetans* est hymnis Deum in Ecclesiâ laudans, quoniam illi non licebat *loqui in Ecclesiâ* 1 *Corinth.* xiv. 34. Hi quoque in *Precibus* ad Deum fusis frequentes & fervidi erant, plurimumque valebant apud Deum pro Aliis supplicantes, uti constat ex Exemplis; Abrahami *Gen.* xx. 1. Propheta *enim est*, & Orabit *pro te, ut vivas*; Mosis & Samuëlis *Psalm.* xcix. 6., ac Eliæ *Jac.* v. 16, 17, 18. Nec tantum pro Aliis, sed etiam pro semetipsis orantes multum valebant apud Deum. Non enim ad solum Musices sonum extiterunt Vates quandoque cum *Elisa* 2 *Reg.* iii. 15. nisi quatenus per Musicam, sedatis qui oborti erant molestis affectibus, disponebantur simul ad preces in fide fundendas, quibus implorabant â Deo & impetrabant donum prophetiæ. Hi denique Revelata sibi divinitus lubenter cum Ecclesiâ communicabant, atque in Scholis 1 *Sam.* x. 5. xix. 19. 2 *Reg.* ii. 3. 5. iv. 38. & Synagogis 2 *Reg.* iv. 22. de Deo & mysteriis fidei disserebant coram discipulis & populo congregato. Hoc omne quoque decet Populum Dei totum; *laudare* nempe Deum publicè & privatim assa voce vel cantu etiam *Psalm.* lxviii. 27. *Jes.* xliii. 21. *Coloss.* iii. 16. 1 *Pet.* ii. 9., & *precari* Deum ardenter & indesinenter pro se ac aliis, inprimis pro Ecclesiâ afflictâ *Psalm.* lxii. 9. *Ephes.* vi. 18. *Phil.* iv. 6. 1 *Thess.* v. 17. 1 *Tim.* ii. 1.--3. & denique se invicem sermonibus sanctis *instruere* & ædificare in fide & amore veritatis *Deut.* v. 6, 7, 8, 9. *Psalm.* lxvi. 16. lxxiii. 28. *Prov.* x. 21. *Coloss.* iii. 16.

XV.

XV *Tertiò* in SANCTITATE VITÆ, secundum Legem Dei, non mores hujus Seculi compositæ; quæ in Prophetis *singularis* fuit, unde *Sancti* significanter dicti sunt *Luc.* I. 70. Quæ Sancta Vita ἀκριβῶς instituta *Ephes.* v. 15. ac â Vulgo mundano vitioso, atque ab omni Pharisaicâ superbiâ ac hypocrisi, & singularitate affectatâ, longè secreta *Mich.* VII. 14. *Rom.* XII. 2. *Phil.* II. 15. 1 *Pet.* IV. 5.; decet Populum Dei *Sancti Levit.* XI. 44, 45. *Exod.* XIX. 5, 6. *Psalm.* CX. 3. 1 *Pet.* I. 16. & est necessaria via ad Vitam æternam *Psalm.* XV. 1, 2. XXIV. 3, 4. *Matth.* v. 8. *Hebr.* XII. 14.

XVI. *Quartò* denique in ZELO pro *Gloria* Dei & *Religione* Israëlis vera ac *Salute* proximi, & adversus idololatriam, superstitionem, superbiam, impietatem & grassantia vitia, quibus summa Dei Majestas læditur, Lex Ejus contemnitur, Verbum Promissionis rejicitur, Religio vera obscuratur, & salus propria ac proximi impeditur, vel in summum discrimen adducitur. Qualis sane *Zelus* magnus & perpetuus fuit in *Mose* non tantùm, neque solùm in *Eldado* & *Medado* Prophetantibus, utpote quibus communicatus fuit idem *Spiritus* qui super Mose erat, sed etiam in reliquis insecutorum temporum *Prophetis*, uti ex Gestis illorum ac Scriptis ubique apparet, *Exod.* XXXII. 19, 20. 1 *Reg.* XIX. 10. 2 *Reg.* XVII. 13. *seqq.* 2 *Chron.* XXIV. 19, 20. Ejusmodi *Zelus* decet quoque *Populum Dei* omnem, ostendendus ab ipso pro vario Statu, Conditione, Dignitate, Vocatione, in quâ unusquisque constitutus est â Domino. Non loquor de Abusu Zeli hujus, qui òbtinuit apud Judæos per *Jus Zelotarum*, quo privatis licebat, quemcunque a Deo & Lege Ejus deficientem, aut in atroci facinore deprehensum etiam occidere, ad exemplum Phineasi *Num.* XXV. 7, 8. 11., & Eliæ trucidantis Prophetas Baalis 1 *Reg.* XVIII. 40. Neque loquor de Zelo, qui *non* est κατ' ἐπίγνωσιν qualis erat in Judæis *Rom.* X. 2. & in Paulo in Judaismo versante *Gal.* I. 13, 14. *Phil.* III. 6. Neque etiam

de illo Zelo qui eſt ex ratione carnali, affectu aut temperamento naturali, æſtu Juvenili, animi impotentiâ, ambitione vanâ, vindictæ cupiditate, qualis locum habebat in Diſcipulis, a Domino propterea meritò reprehenſis *Luc.* IX. 54, 55. Verùm loquor de illo Zelo gloriæ Dei & Religionis veræ qualis fuit in Sanctis Dei Prophetis, quorum corda Igne Spiritus Sancti accenſa fuêre, quique omnia quæ pro Religione Iſraëlis adverſus idololatriam & impietatem dixerunt, fecerunt, ſcripſerunt, ex ferventiore Amoris Gloriæ Divinæ & Salutis populi affectu protulerunt, *Zelando Zelantes* cum Elia *pro Jehova Exercituum* 1 *Reg.* XIX. 14., neutiquam pro auctoritate ac honore ſuo: nam ſi ut aſtuti homines commoda ſua quæſiviſſent, Regi & Populo potius, ad idololatriam prono, indulſiſſent, ut utrumque ſibi haberent faventiorem atque obſequentiorem. Hic Zelus pro Religione ex Verbo Dei hauſta, Sanctus, Humilis, Fortis, Prudens, oppoſitus omni frigori & tepori in Laodicenſibus damnato *Apoc.* III. 15, 16., eſt neceſſarium fidei veræ ac pietatis Adjunctum, & commendatur, in Scriptura: Et in Monitis; *Rom.* XII. 11. τῷ πνεύματι ζέοντες *Spiritu ferventes*; 1 *Cor.* XIV. 1. ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ *Zelate ſpiritualia*; *Gal.* IV. 18. *Bonum eſt enim* τὸ ζηλοῦσθαι *in Bono ſemper*; *Tit.* II. 14. purificavit *ſibi populum peculiarem*, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων; *Apoc.* III. 19. ζήλωσον οὖν καὶ μετανόησον *Zela igitur & reſipiſce*: Et in Exemplis, Pauli 2 *Cor.* XI. 2. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς θεοῦ ζήλῳ, ac Apollo qui ζέων τῷ πνεύματι *loquebatur & docebat ea quæ ſunt domini Act.* XVIII. 24, 25. & Corinthiorum, de quibus Paulus, & *ex vobis* ortus ζῆλος *provocavit complures*; imo ipſius Domini *Zelo Domus Dei* comſumpti *Joh.* II. 17.

XVII. Sed Quis ad hæc Idoneus? Nemo mortalium. Prophetæ tales non naſcuntur ſed hyperphyſicâ Dei gratiâ efficiuntur. Hinc ab *Effecto* ad *Cauſſam* adſcendens Moſes petit *Secundò* ut *ponat* vel *det* Jehova *Spiritum ſuum ſuper eos*. Verba Hebræa כי יתן יהוה את רוחו עליהם non de-

debent transferri, *Quoniam dedit Dominus Spiritum ſuum ſuper eos*, Eldadum ſcilicet & Medadum; ita ut contineant *Rationem* Voti præcedentis, petitum â ſingulari Beneficio in hos duos Viros collato. Nulla enim vis *Rationis* apparet. Utinam omnes ex plebe Iſraëlis faceres Prophetas, quia Spiritu Prophetico donaſti hos duos Seniores, populi Moderatores, Patresque conſcriptos! Nulla quoque nos conſtringit neceſſitas, ut affixum plurale הם in עליהם referamus ad Seniores hoſce, quoniam illud ad עם *populum*, multitudinem in ſe comprehendentem, commodè referri poteſt. Quare omnino tenemus hæc Verba continere *Alteram* Voti Moſaici *Partem*, ſive Voti ejusdem *Alterum Enunciatum*, atque *Rem*, in priori Membro petitam, alio Vocabulo *Spiritus Jehovæ*, quod ſimul *cauſſam* iſtius *Rei* ac *Boni* exprimit, hiſce verbis proponi. In quibus occurrunt rurſus: *Tum* Idem *Objectum*, *Populus* Jehovæ, ob multitudinem plurali affixo הם deſignatus in עליהם *ſuper illos*: *Tum Res* petita: *Tum* denique *Modus* communicationis Ejus.

XVIII. *Res* petita eſt רוחו *Spiritus Ejus*. Qui non eſt Spiritus creatus; ſive Doctor aliquis humanus, Spiritu Dei verè vel ex propriâ jactantia vanâ afflatus aut eruditus 1 *Joh.* IV. 1.; ſive Angelus cœleſtis *Pſalm.* CIV. 4.; ſed Divinus. & quidem tertia Trinitatis Perſona, â Jehova Patre *dante*, & â Jehova Filio *Populi* ſpeciali ratione *Domino*, in Textu diſtincta. Hæc tertia Perſona dicitur *Spiritus Jehovæ* Patris, coll. *Jeſ.* LXI. 1.; quia *procedit* Perſonaliter ex Patre *Joh.* XV. 26. per Filium *Gal.* IV. 6.; atque in Donis mittitur ab Utroque, vi meriti Filii Sponſoris *Joh.* XIV. 16. XV. 26. *Gal.* IV. 6. *Apoc.* V. 6. Ita verò intelligitur Perſona Spiritus Sancti, ut ſimul, per frequentiſſimam in Sacris Metonymiam, ſpectetur in Donis & Operationibus ſuis, ab ipſâ Perſonâ haud ſeparandis. Etenim nomen *Spiritus Domini* idem non numero ſed ſpecie notat, quod ſupra *verſ.* 17. 25. voce רוח *Spiritûs*, qui ſuper Mo-

ſe erat, expreſſum fuerat. Sed ibi ſignificabatur quidem hac voce *Spiritus S.* in *Perſona* ſuâ, qui operatus fuit in Moſe & in Senioribus, coll. *Jeſ.* LXIII. 11. 14. 2 *Pet.* II. 21. verùm ita ut ſimul ſpectaretur in *donis* ſuis quorum reſpectu dici poterat â Deo, *ſeponam de Spiritu qui eſt ſuper te, ponamque in eis*, id eſt eligam mihi certos effectus, vel certum gradum donorum Spiritus, quæ quoad ſpeciem eadem ſunt cum donis tuis, & iis impertiar: aut de Spiritu illo, ut communi theſauro, unde tibi datum eſt quicquid habes, certam donorum partem in illos conferam.

XIX. Hæc porro *Dona* Spiritus Sancti ad quæ reſpexit Moſes, non ſunt Extraordinaria Prophetiæ, Miraculorum, Infallibilitatis in docendo, &c. quæ alias Metonymicè hoc nomine *Spiritus* exprimuntur *Act.* VIII. 15.—19. XIX. 2. *Gal.* III. 2. &c. nam hæc pro *toto populo* haud petiiſſet â Deo Moſes: neque etiam in Eldado & Medado locum fortè habuerunt; dum *Prophetaſſe* dicuntur ex *Calvini*, Aliorumque opinione, non quia futura prædixerunt, aut miracula patrarunt, verum quia de Myſteriis Divinis magnificè diſſeruerunt, & ſic aptos divinitus eſſe factos ad Regimen Populi ſanctè & prudenter cum & ſub Moſe adminiſtrandum ſeſe demonſtrarunt. Infallibilitatis ſaltem donum accepiſſe & poſtea retinuiſſe fruſtra contendunt Pontificii Scriptores, ut infallibilitatem conciliorum exinde ſtabilirent. Et ſi concedamus LXX. Seniores hoſce extraordinaria quoque dona accepiſſe, ex eo tamen minimè ſequitur, omnia illa quæ acceperunt illi, & *Prophetandi* verbo exprimuntur, heic quoque pro *toto* Populo petiiſſe Moſem: ſed quædam modò, imo & alia quoque *neceſſaria* magis populo ad ſalutem æternam. Qualia cum Moſes in hoc *ardentiſſimo* Voto, quod pro *toto* populo concepit, certiſſimè reſpexerit; ab alterâ parte *Dona* Spiritus S. *communia* heic ſolummodo non ſunt intelligenda. Hæc quidem per eandem Metonymiam cauſſæ ſub nomine *Spiritus Dei* veniunt *Exod.* XXXI. 3. XXXV. 31., imo, uti videtur, *Spiritûs Mundi*

di 1 *Cor.* II. 12. cui opponitur *Spiritus* qui *ex Deo* eſt, nimirum eligente quosdam ad ſalutem, cum *Spiritus Mundi* ille ex Deo quidem etiam ſit, ſed ut Rectore univerſi. Et ſunt hæc Dona Communia, eloquentia, ſagacitas, fortitudo, ſcientia, prudentia civilis ad adminiſtrandam Rempublicam, Eccleſiam, Oeconomiam neceſſaria, quæ LXX. Senioribus conceſſa, & ipſis neceſſaria fuerunt. Neque tamen hæc Communia Dona ab hoc Moſis Voto pro *Populo* excludimus, quia ei erant utilia ad refrænandam corruptam naturam, & ut quisque ſuæ domui decenter præeſſe, atque ſpartam ſibi demandatam exornare poſſet. Quæ etiam â Deo omnis Boni Fonte petenda ſunt, & Joſuæ poſtea per impoſitionem manuum Moſis collata fuerunt *Deut.* XXXIV. 9. Verùm primò & præcipuè intellexit procùldubio Moſes *Dona* Spiritus *Sanctificantia*, & cum ſalute æterna connexa; ut ſunt Vera Dei & Magni Redemtoris promiſſi Cognitio, & Fides in Eum pretioſa, Sanctitas infucata, & Charitas Dei & proximi ſincera, cum Timore Domini conjuncta. Hæc nomine *Spiritus*, *Spiritus Dei*, *Chriſti*, & qui ſingulariſſimo modo *ex Deo* eſt, ſæpe inſigniuntur, quia ſunt, non Naturæ corruptæ ſed Gratiæ ſupranaturalis Effecta *Zach.* XII. 10. 1 *Cor.* II. 9. 12. XII. 3. 2 *Cor.* IV. 13. *Gal.* V. 22. 2 *Theſſ.* II. 13. Hæc proinde ad ſalutem ſunt neceſſaria *Rom.* VIII. 9., & propterea etiam huic Populo, in quo ſolo per longum tempus Electos ſuos habiturus erat Deus. Quemadmodum & *Illi Populo* non ſunt negata, ſed juxta hoc Votum Moſis collata, quod teſtantur Scripturæ loca *Nehem.* IX. 20. *Pſalm.* LI. 13. CXLIII. 10. *Jeſ.* LXIII. 11. *Hagg.* II. 6. 2 *Cor.* IV. 13.

XX. Notandum denique eſt quod Moſes *Modum* hujus *Collationis* expreſſurus dixerit, *det* Jehova עליהם *ſuper eos* Spiritum ſuum. Quo modo reſpexiſſe videtur: *Tum* ad *Cœleſte* Dei Excelſi ordinarium & perpetuum Habitaculum, unde deſcendere aliàs dicuntur hæc Dona *Jac.* I. 17. *Tum* ad potentiſſimum ac ſimul ſuaviſſimum *Dominium* Spiritus

ritus in Populum ex Captivitate & Tyrannico peccati Dominio per Eum liberandum; quemadmodum alibi præpositio על de *Dominantibus* adhibetur *Gen.* xxxvii. 8. *Tum* ad validissimam *Defensionem*, quam Populo præstaret Spiritus S. adversus omnia mala perdentia *Jes.* iv. 5, 6. lix. 19. *Tum* denique ad *Abundantiam* Boni hujus communicandi, quod instar pluviæ largiter & copiose *super eos* effundi desiderat, coll. *Jes.* xliv. 3. Non tamen absque Verbo, ordinario fidei ingenerandæ Medio *Jes.* lix. 21. *Rom.* x. 14. Nam hoc Enthusiasmum saperet, & Mosis scopo adversaretur, qui est omnem *invidiæ* speciem, ad quam Josua ipsum incitabat, â se amoliri. Quare sensus Verborum Ejus hic omnino statuendus est; tantùm abest ut invideam Eldado & Medado fructum Prædicationis & Prophetationis eorum salutarem in Populo Dei, ut potius optem *totum* populum ad *Prædicationem Verbi* Dei, sive ab Illis, sive ab Aliis quibuscunque factam, accipere Spiritum gratiæ ac Fidei, uberiori etiam mensurâ, quam hactenus sub meo Ministerio recepit.

XXI. Quæ omnia â Mose in hoc *Voto* suo â Deo petita pro Populo, cum sint maximè desiderabilia, & ad salutem necessaria; non mirum est emphaticè Eum hæc sua desideria explicuisse Deo. *Modus* sanè quo *proponit* hoc Votum est emphaticus. Dicit מי יתן *Quis dabit* totum Populum Prophetas, id est *Utinam* essent tales, Belgæ *Och of!* Est enim *Interrogatio Optantis*, qualis alibi occurrit sæpe *Exod.* xvi. 3. *Deut.* v. 29. *Psalm.* xiv. 7. lv. 7. *Cant.* viii. 1. *Jerem.* ix. 1, 2. &c. Addit in Altero Voti Enunciato כי יתן, id est; non, *cum dederit*, ut lxx. ὅταν δῷ; sed *Quando dabit* Dominus Spiritum suum super eos, per modum optationis & suspirii, vel *Utinam det* Jehova Spiritum suum! Est enim particula כי heic Adverbium *optandi*, uti quoque est *Jes.* xxxix. 8. כי יהיה שלום *Utinam sit pax!* Atque adeo hac duplici *optandi* particulâ adhibitâ docet Moses: I. *Rei* petitæ *Decentiam* ac summam *Præstantiam*

tiam, quæ sanè est in Cognitione Dei & Christi ex Verbo cum Fide juncta *Deut.* IV. 6. *Job.* XXVIII. 12.--19. *Prov.* IV. 7. *Jes.* LIII. 11. *Joh.* XVII. 3. & cum Sanctitate Vera *Psalm.* XVI. 3. XCIII. 5. II. *Necessitatem* Ejus ad salutem; quæ iterum est in Cognitione & Fide Dei Triunius ac Redemtoris Christi *Hab.* 11. 4. *Heb.* XI. 6., & Vitæ Sanctitate *Psalm.* XXIV. 3, 4. *Heb.* XII. 14.; & quæ est maxima quoque in *Spiritus* Operatione Conversiva ob Universalem Naturæ nostræ per peccatum corruptionem, ad quam tollendam solum Verbum Legis & Euangelii neutiquam sufficit *Psalm.* CXIX. 18. 1 *Cor.* XII. 3. cui Elogia illa *Psalm.* XIX. 8, 9. *Lex Jehovæ integra est convertens animam, testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito* &c. non dantur nisi quatenus Spiritum junctum habet *coll. Jes.* LIX. 21. III. *Magnitudinem* denique *Zeli* sui pro *Gloria* Dei, a toto populo cognoscendi & colendi, quam supra propriam suam gloriam quærebat; nec non *Ardorem Charitatis* Proximi, quâ vellet Omnes salvari, & ad Cognitionem Veritatis venire: Sic magis attendens ad Populi salutem, quam suam apud Homines Existimationem ac Gloriam. Conferri potest Pauli *Votum Act.* XXVI. 27, 28, 29.

XXII. Sed hîc oritur difficultas ex *Subjecto* voti, quod dicitur *Totus Populus* Dei, nempe, ut videtur, *Israëliticus*: quem si Moses vellet similem fieri *Prophetis* in eximia *Cognitione* mysteriorum Fidei, & donorum *Spiritus Sancti copiosè* effundendi participem fieri, optaret aliquid pro Illo, quod repugnaret Analogiæ Scripturæ, in quâ hic *Spiritus* ut N. T. Fidelibus proprius perhibetur *Joh.* VII. 39. *Rom.* XIV. 17. illisque promittitur *Psalm.* LXVIII. 19. *Jes.* XLIV. 3, 4. *Joel* II. 28, 29. *Zach.* XII. 10. atque tempori isti ac Oeconomiæ ante Christum obscuriori, & infantili Ecclesiæ statui accommodatæ, ut & Mosis Ministerio, quod *Literæ* dicitur non *Spiritus* 2 *Cor.* III. 6. minus convenire videtur. Ad quam difficultatem tollendam observamus, quòd

Totus Populus heic omnino sit Populus *Israëliticus*: *Qui* in antecedente Contextu ita plus semel appellatur; *vers.* 11., *imposuisti onus bujus bujus populi* totius *mihi*; *vers.* 12., *an Ego concepi* totum *hunc populum*, *vers.* 13. *Unde mihi* esset *caro quem dem* toti *populo huic*; & *vers.* 14., *Non possum ego solus ferre* (onus) totius *populi bujus*: *Qui* porro opponitur manifestè *Senioribus*, & speciatim duobus illis *Eldado* & *Medado*, quando appellatur *Universitas* populi, vel *Totus* populus. Sicuti enim *Totum* opponi solet *partibus* ad totum pertinentibus; sic etiam hic *totus* Populus opponitur *Eldado* & *Medado*, ut *partibus* Ejus. Atqui hi pertinuerunt ad Populum *Israëliticum*; Ergo Hic est *Totus populus*, de quo loquitur Moses. Præterea dici quis potest *Prophetis similis* in Cognitione rerum Divinarum qui cum illis cognoscit viam salutis verè & sufficienter, etsi non attingat parem cum Illis, aut cum Fidelibus N. T. cognitionis Gradum, quorum etiam cognitio minimè æqualis est, etsi sint omnes θεοδίδακτοι 1 *Joh.* 11. 20. Denique salutaria Spiritûs Dona sublimiori quidem gradu, majorique mensurâ & extensione nunc communicantur Fidelibus post Christum exaltatum; attamen locum quoque habuerunt in omnibus Electis V. T. quod manifestè docent loca supra §. XIX. adducta; quemadmodum & Illis æque ac Nobis ad salutem fuêre prorsus necessaria. Et quamvis in explicatione phrasis istius, *det* Dominus Spiritum suum *super eos*, §. XX. scripsimus, denotari *abundantiam* Spiritûs *copiosè* instar pluviæ cælitùs effundendi, ex eo tamen non sequitur Mosen heic *prophetasse* de excellentiâ effusionis Spiritûs futurâ sub N. T. cum sic ad majorem aliquam Gratiæ divinæ mensuram, quàm antea huic populo data erat, potuerit respicere. Si tamen quis omnino velit *Votum* hoc Mosis esse *Propheticum* de Novo Testamento, ille posset & deberet hoc referre cum *Cyrillo Hierosolymitano*, *Catech.* XVI. ad *Festum Pentecostes*, quando *Filii Filiæque Israëlis* ac *Judæ*, & *Seniores* non solùm verùm etiam *Juvenes* ejus *Prophetarunt*.

Joël.

Joël. II. 28. 29. *Act.* II. 16. 17. Sed omnia *Voti* hujus membra melius convenient & aptiùs cohærebunt, si statuamus *Votum* hoc esse, non *Propheticum*, sed partim *Hypotheticum*, partim *Invitatorium* ad *officium*, uti ex mox dicendis patebit.

XXIII. Scilicet *Alia* quædam & *Nova* oritur *Difficultas* ex eo quòd pro *Universitate* populi seu *Toto* populo hæc salutaria Spiritus dona petat â Deo Moses: cum bene sciverit ille ex Dei declaratione *Exod.* XXXIII. 19. *Rom.* IX. 15. non omnes & singulos Israëlitas salutaris Gratiæ Dei in Christo fore objecta. Quæ altera difficultas ut tollatur quoque, dici potest: quod per *Totum* Populum intellexerit Moses *solos* & *omnes Electos* ex populo ad *Sanctificationem Spiritus Ephes.* I. 4. 2 *Thess.* II. 13.; de quibus fortè Angelus locutus est *Luc.* II. 7. *Euangelizo* Vobis *gaudium magnum*, *quod erit* toti *populo*; quibusque tunc optasset Moses, partim initium gratiæ salutaris, partim ejus majorem mensuram, haud tamen in omnibus æqualem. Si verò *Totus Populus Dei* heic omnino sit *totus* Populus Israëlis *externè vocatus*, dicendum est, quòd vocabulum כל *omnis* heic non significet *Universitatem*, sed *Multitudinem* aliquam populi, *coll.* 2 *Sam.* XVI. 22., comparatè ad paucos Seniores, & speciatim ad *duos* illos Eldadum & Medadum *in castris Prophetantes*, ut sensus sit; Utinam non hi modò *pauci* Seniores sed & *multi* alii ex Populo, quoad maximam partem adhuc carnali *Exod.* XXXII. 9. *Psalm.* XCV. 9. 10. *Prophetæ* fierent, & Deus *Spiritum suum iis daret.* Si denique velint, quòd vocula כל denotet *Uuniversitatem*, *omnesque* & *singulos* ex populo; cogitari posset, quod Moses Dona Spiritus, communia modò pro his, pro aliis verò, nempe Electis solis, salutaria petierit â Deo. Si tandem *sola salutaria Dona* Spiritûs Mosen heic a Deo petiisse pro *toto* populo judicemus, quod & magis probabile nobis videtur, statuendum est, Votum hoc Mosis partim esse *Hypotheticum*, partim *Invitatorium* ad *Officium*. *Hypotheticum* est

 in

in hac parte; *Utinam Dominus det Spiritum suum super eos!* Spiritum nempe *fidei* in Messiam, & veræ *sanctificationis*, si cum decreto Ejus hoc consistere posset. Quale Votum *Hypotheticum* occurrit alibi *Exod.* XXXII. 32. *Dele me nunc de Libro tuo quem scripsisti*, si scilicet fieri possit ex decreto: & indicat vehementiam Zeli pro Gloria Dei ac æternâ salute proximi. *Invitatorium* porro ad *Officium* est in verbis hisce, *Utinam totus populus Prophetæ essent!* id est similes Prophetis in eximia cognitione, sanctitate & zelo gloriæ Dei. Quale Votum *Invitatorium* docet Voluntatem Divinam *præcepti* non *decreti*, quid fieri debeat, non quid futurum sit. Et qualia Vota *Invitatoria* ad *Officium* occurrunt alibi sæpe, *Deut.* v. 29. *Utinam esset cor eorum ad timendum me!* &c. *Deut.* XXXII. 29. *Utinam saperent! Luc.* XIX. 42. *Utinam cognosceres & tu, hoc saltem die tuo, quæ ad pacem tuam* pertinent! &c.

XXIV. O *Sanctissimum* Magni Prophetæ Magnique Ducis Populi *Votum!* Quod proponit nobis in *Vovente Mose* egregium *Exemplum*, ab Omnibus Ecclesiæ Doctoribus imitandum, & simul in *Re* ab Ipso *petitâ* â Deo id quod Omnes pro se & pro Aliis suæ curæ in Civitate, Ecclesiâ, Familiâ commissis, supra omnia ardentissimis precibus desiderare, atque in omni vitâ suâ exprimere decet.

XXV. Habemus in Mose *Exemplum* Modestiæ singularis & Mansuetudinis admirandæ. Non *invidet* Eldado & Medado prophetantibus in Castris cum insigni fructu, magnoque, ut videtur, populi applausu. Dolore non afficitur & mœrore ob imminutam qualicunque modo gloriam & auctoritatem suam per hos prophetantes in Castris, se Magno Duce inscio, & non jubente, nec mittente illos. Certè *Invidia* est malum turpe & damnosum simul, fructus carnis non *Spiritus Gal.* v. 21, 22., opus Diaboli 1 *Joh.* III. 12. monstrum, quod vovetur in sinu, corda nostra devorans, atque intimas ossium nostrorum medullas consumens, *Prov.* XIV. 30., & contumacia superba adversus

Deum.

Deum qui dona ſua dat pro lubitu *Matth.* xx. 15. Habemus porro in Moſe *Exemplum* ſtupendi Amoris Dei ac proximi. Gloria Dei & ſalus proximi prævalent in Ipſo omni propriæ gloriæ ſtudio. Modò Jehova celebretur, & Populus ſalvetur, ipſi perinde eſt an hoc fiat mediante ipſo, an verò Aliorum labore & opere, qui ſi laudes ſuis majores reportarent, has ipſis minimè invideret Ille. Habemus denique in Moſe *Exemplum* Veri Doctoris & genuini Animarum Paſtoris, qui cupit ſeriò & ardenter *totam* Eccleſiam, non *Seniores* modò, non Sacerdotes, ſed & *Plebem* illuminari, atque cognitione Myſteriorum Fidei ex Verbo Dei ornari. Quod profectò in pudorem agere debet; non ſolum illos Romæ Apoſtaticæ Doctores qui Cognitionem in plebe omnibus modis impediunt, ignorantiam ut devotionis Matrem laudant, ac Verbum Dei ſcriptum ex manibus populi extorquere omnibus viribus conantur; ſed & Illos Eccleſiarum Chriſti apud Nos Paſtores, qui in Præconio Verbi, Diſciplinæ Exercitio, ac animarum curâ, multis modis oſtendunt, ſe longè magis quærere propria terrena commoda, propriamque gloriam mundanam, quàm Dei illam ac ſalutem populi; nec fervidis precibus, nec omni ope adlaborantes, ut *Totus* populus curæ ſuæ ſubjectus *Prophetæ* fiant. Utinam Hi Omnes *Exemplo* Moſis excitarentur ad deponendam omnem *Invidiam*, atque ad *Preces* fervidiſſimas, quibus à Deo privatim & publice implorent Dona Spiritus; Communia, quæ neceſſaria ſunt in Regimine Reipublicæ Eccleſiæ Familiæ; & magis Salutaria, tùm quoad *Initium* in *his*, tum quoad *Incrementum* in aliis: ſimilia cum Davide *Pſalm.* LI. 20. CXXII. 6. & cum Paulo *Act.* XXVI. 29. 2 *Theſſ.* I. II. vota concipientes!

XXVI. Sed & occurrit nobis in hoc Voto Moſis *Id quod* Omnes pro ſe & Aliis maximopere quærere debent, nimirum ut *Prophetæ* fiant, & *Spiritum Gratiæ* à Jehova accipiant. Non eſt ut quæramus *Prophetis ſimiles* fieri: *Aut* in Extraordinariis & immediatis afflatibus divinis, quibus ſubi-

ſubitò & absque inſtitutione ac labore proprio θεοδίδακτοι evaderemus; nam hoc eſſet contemnere Medium & Studium Verbi Divini, ex ordinatione Dei adhibendum *Jeſ.* LIX. 21. *Joh.* V. 39. *Rom.* X. 14. *Coloſſ.* III. 16.: *Aut* in Revelationibus rerum arcanarum ac futurarum, Rempublicam, Eccleſiam, Familiam, propriaque fata noſtra ſpectantium; quæ Deo & Decreto ejus omnia ſapienter & ſuo tempore diſpenſanti ac producenti ſunt relinquenda *Deut.* XXIX. 29.: *Aut* in Poteſtate patrandi Miracula cum Simone Mago *Act.* VIII. 19.; quæ ſi fierent â nobis ipſis, ſalutis tamen æternæ compotes nos minimè redderent *Matth.* VII. 22, 23.; & ſi fieri ab Aliis videremus, neutiquam eſſent per ſe efficacia ad fidem ingenerandam nobis, neque iis magis crederemus quàm Moſi & Prophetis, quorum Scripta habemus, tot modis & miraculis etiam confirmata *Luc.* XVI. 29, 30, 31.: *Aut* denique in Munere alios docendi publicè; quod tamen eſt præſtantiſſimum 1 *Tim.* III. 1., præ aliis muneribus ac donis in Eccleſia expetendum 1 *Cor.* XIV. 1., non tamen ab Omnibus, ne tollatur diſtinctio, quam Deus in Eccleſiâ perpetuam eſſe voluit inter diſcentes & docentes. Dolendum eſt interim dari etiam hodie plures qui *Illud* plane ſpernunt; *vel* quia ſatis lucroſum non eſt; vel quia infra dignitatem natalium ſuorum aut munerum ſplendorem eſſe arbitrantur, ſi Filii præcones Euangelii & Crucis Chriſti fierent. Verùm hoc eſt omnibus neceſſarium, & ſimul decens, ut *Prophetis ſimiles* fieri ſtudeant, in cognitione rerum divinarum, & fide Chriſti, in precibus & laudibus Dei aſſiduis, in ſanctitate vitæ & denique in zelo Gloriæ Dei & Religionis veræ. Hoc decebat Veterem Populum Dei, & hoc nos quoque decet, & quidem ut majori gradu hæc omnia nunc in Nobis ſint, quibus datum eſt vivere ſub Oeconomiâ gratiæ Divinæ longè clariori ſuaviori ac ampliori, & ſub *Miniſterio* non *Literæ* ſed *Spiritus* 2 *Cor.* III. 6. 18. Hoc enim prædictum eſt â prophetis de Nobis in diebus Meſſiæ victuris *Jeſ.* XI. 9. XXX. 26. *Jerem.* XXXI. 34. *Zach.* XIV. 20. &c. Sed, proh dolor! Status ho-

hodierni Christianismi, per æternum Euangelium reformati, non respondet magnificis hisce priscorum Prophetarum Vaticiniis. Desiderantur enim in multis Ecclesiæ membris Eximia illa cognitio Dei & Verbi Ejus, Ardor ille & frequentia in precibus ac laudibus divinis, sanctitatis illa Eminentia, quæ populum Dei Sanctum decet 1 *Pet.* II. 9., & pristinus ille Zelus pro gloria Dei & Religione verâ adversus omnem idololatriam paganam & Romanam hodiernam, falsamque Doctrinam ac impietatem omnem. Caussæ procul dubio sunt præcipuæ: quòd cum Mose pro se & Aliis Spiritum cognitionis fidei & precum fervidis precibus non petant â Jehova Patre propter meritum Jehovæ Filii; hinc toties frustra legunt & audiunt Verbum Dei: & quod ex adverso Spiritui per Verbum docenti suadenti pulsanti cordium fores resistant, cumque dolore afficiant cum antiquo Israële *Jes.* LXIII. 10. *Act.* VII. 38, 39. 51. *Matth.* XXIII. 37. Sic certè se dignos magis magisque faciunt, qui priventur luce Euangelii æterni, quorumque cordibus imponatur operculum illud, quod hodie obdurati Judæi ferunt *Jes.* VI. 9, 10. 2 *Cor.* III. 14, 15., & qui tradantur denuò Gentilismi ac Papismi tenebris Ægyptiacis.

XXVII. Quod justè promeritum Dei Judicium imminens ut tempestivè avertamus, sedulò nobis adlaborandum est, ut dignè Euangelio Christi & Oeconomiâ Gratiæ meliori vivamus; crescentes in cognitione Dei & Christi ex Verbo Ejus; in precibus & laudibus divinis frequentes; sanctitatem ad imitationem Dei Christi Prophetarum & Apostolorum sectantes internam & externam; Zelantes denique pro Gloria Dei, Religione Reformata, & Ecclesiæ hodie tantopere afflictæ salute, atque in omni opere bono, nunquam in Religione frigidi aut tepidi existentes. Detestabilis enim in Religione Indifferentia est Hæresis, quâ nulla hodie universalior & gratior, quia speeie aliquâ modestiæ, judicii, politiæ sese fortiter commendat. Cum tamen *Prophetæ* & *Apostoli* non omnem Religionem ut saluta-

tarem, sed solam Israëliticam ac Christianam commendarunt. Itaque nunquam pios & prudentes Zelotas pro turbatoribus Israëlis habeamus, tepiditatem in caussa Dei & Christi prudentiam appellemus, indifferentiam in Religione moderationem laudabilem dicamus; nullamque unquam communionem inter Christum & Belial statuamus, aut pacem religionis cum Româ Tyrannicâ, Idololatricâ, & â fide Sanctorum Prophetarum & Apostolorum Apostaticâ quæramus.

XXVIII. Ad quæ omnia cum Spiritûs Dei gratia nobis sit necessaria, sinceris hisce & ex intimis cordis penetralibus fusis precibus ad Deum claudimus hanc Dissertationem nostram. *Utinam* totus populus Dei Prophetæ essent! *Utinam* omnes *Cognoscerent* Jehovam ex Verbo Ejus, & Christum ut Finem legis, atque Unicum Merito & Efficaciâ Salvatorem intuerentur, & abnegata omni justitiâ propria fide amplecterentur, & in Ejus cognitione & communione maximam suæ felicitatis partem ponerent cum Paulo 1 *Cor.* 11. 2! *Utinam* porro omnium Domus & Corda totidem essent *Oratoria Sacra*, in quibus indesinenter, quavis datâ occasione, preces funderentur calidissimæ pro omnibus hominibus, pro civitate, familiâ, & inprimis afflictâ Ecclesia, etiam pro prisco & ob patres dilecto populo, ut Spiritum suum illis reddat tandem Deus juxta promissa sua! *Utinam* denique totus populus esset *Sanctus* Jehovæ, & Prophetis similis in sanctitate verâ absque hypocrisi ac ostentatione vanâ, & in sanctitate humili absque superbiâ Pharisaicâ, ita ut unusquisque rigidius semet ipsum censeat quam alios! *Utinam* tandem Omnes *Zelo* Gloriæ Dei & veræ Religionis Prophetico corriperentur! *Utinam* omnes odio haberent *Frigus* illud in Religionis veræ caussâ, quo nullo ejus exercendæ, conservandæ, propagandæ studio hodie ducuntur plures: *Vel* ex Atheismo, quia non credunt dari Deum Creatorem Legislatorem & Judicem: *Vel* ex *Indifferentismo*, quia sibi persuadent nullam dari Religionum diffe-

ferentiam, nullamque esse in quâ non tantum sit perfectionis ut in eâ quilibet servari possit: *Vel* ex Contemtu & Odio Religionis verè Christianæ, quæ rationi impervia, in speciem pudenda de Deo Crucifixo, & carni maximopere ingrata docet & imperat: *Vel* tandem ex merâ ignorantiâ magis quam obstinata malitia! *Utinam* omnes fugerent *Teporem* Laodicenorum, quo remissiori studio & animo circa Religionem, salutemque propriam ac aliorum versantur: *partim* ex ignorantia miseriæ naturalis per peccatum, & necessitatis Justitiæ Christi vicariæ, ac Viæ Sanctæ & angustæ ducentis ad vitam æternam: *partim* ex nimia fortunâ & prosperitate mundanâ, opumque ac honorum affluentiâ, ex quibus judicant de favore Dei erga se in Christo, etiamsi peccatis indulgeant: *partim* denique ex metu Contemtus & Odii mundani, & Malorum, Exiliorum, Carcerum, Flagrorum, & Mortis cruentæ, quæ fervidos Christi Sectatores, & Euangelicæ veritatis fortes Defensores, Regnique Satanæ & peccati & Antichristi strenuos oppugnatores sequi solent! Imo *Utinam* hoc Zelo prophetico agerentur Principes & Magistratus verè Christiani omnes; Atheismum disseminantes validè reprimendo, Idololatriam publicam impediendo, Numinis læsionem per apertas blasphemias vindicando, Religionem puram strenuè defendendo & propagando; non tamen per carceres, gladios, ignes & cruentas lanienas, crudelissimæ Bestiæ papali relinquendas! *Utinam* eundem zelum ostenderent Doctores & Pastores Omnes, orthodoxæ Doctrinæ libera professione, masculâ defensione, errorum & hæresium solidâ confutatione, Virtutum Christianarum Exercitio & Commendatione seriâ, Vitiorum hujus seculi grassantium fugâ & increpatione liberâ! Idque omne facerent cum fortitudine absque pusillanimitate & metu hominum præpostero *Matth.* x. 28. *Marc.* vi. 18. *Apoc.* xxi. 8., & simul cum modestiâ ac prudentiâ, ne exacerbentur animi Peccatorum, Adversariorum, Magnatum, ratione semper habitâ, & Persona-

P rum

rum (absque indecenti tamen προσωποληψίᾳ) & Temporum, & Locorum, & Diversitatis errorum & peccatorum, ut & Veritatum magis vel minus fundamentalium! Sic Jehova Spiritum semper dabit suum super Nos Ducem, Doctorem, Defensorem nostrum. Sic Sancti & Gloriosi hujus terræ ejusque fulcra erimus, & deliciæ Domini nostri *Psalm.* XVI. 3. Sic Religionis Reformatæ calumniatores, eam traducentes, quasi ostium omni impietati aperiret, confundemus. Sic tandem viam nobis parabimus ad Thronum Dei, ubi cognitio sanctitas & gaudia nostra consummata & perpetua erunt!

F I N I S.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA

DE

DAVIDE LAVANTE MANUS SUAS CUM INNOCENTIA, ET CIRCUMEUNTE ALTARE DOMINI, IN FIDE SACRIFICII MESSIÆ.

AD *PSALM.* XXVI. 6.

THESIS I.

Titulus לדוד Auctorem indicat secundarium, nempe Davidem. Idem quoque subjectum hujus Psalmi est. Nullus peculiaris Character Messiæ sensu literali aut typico loquentis, vel etiam Ecclesiæ N. T. comparet. Deum Judicem appellare, defensionem caussæ petere, testari sinceritatem animi sui coram omniscio Numine, detestari consensum cum improbis, carne & spiritu Deum colere in Tabernaculo, fide intueri Victimas futuri sacrificii Messiæ figuras, deprecari mortem maleficorum, laudes denique immortales Deo promittere; ejusmodi sunt, quæ nos directe & secundum literam ad *verè Israëlitam*, sub Pædagogia legali viventem, ducunt. Scilicet David insimulatus malarum artium vitæque impuræ ac insidiosæ; vel etiam hypocrisios in tentatâ cultus divini, sub Saule collapsi 1 *Chron.* XIII. 3. reformatione; vel denique occultæ defectionis à Deo Vivo ad idolorum cultum execrabilem, inter gentiles exulans *coll.* 1 *Sam.* XXVI. 19. hunc Psalmum, (cum quo conferunt *Psalmum* VII. ut ejusdem ferè argumenti) Divino instinctu composuisse videtur, ut in eo provocaret ad Dei judicium, non le-

egale sed Euangelicum, & declarationem Caussæ innocuæ & justæ divinam postularet, eumque in finem sinceritatis suæ in fide & pietate Deum testem invocaret, ejusque documenta in votis desideriis & conatibus sanctis magis quàm effectis posita, humili mente exponeret. Spiritus sanctus interim ita mentem & calamum sacri Vatis, jucundi Canticis *Israëlis*, direxit, ut in suâ personâ *Veri sinceri* ac *perfectioris Israëlitæ* vivam simul imaginem depinxerit in perpetuum totius Ecclesiæ usum, quam simili falsæ accusationis ac persecutionis in casu ore & opere imitaretur atque exprimeret illa. Quo pacto haud diffitemur quemlibet perfectiorem Christianum verba Psalmi, sensu partim proprio, partim figurato, sibi accommodare posse; dum & Ecclesia Novi Testamenti *Tabernaculo* & *Altari* spirituali *Heb.* XIII. 10. dilectionis desiderii ac studii sui dignissimis Objectis, haudquaquam destituta deprehenditur. In ultimis Psalmi hujus verbis, במקהלים אברך יהוה, *ἐν ἐκκλησίαις εὐλογήσω σε κύριε in Ecclesiis benedicam te Domine*; *prænunciare* Davidem existimat *Eusebius Cæsariensis*, in Comment. in Psalmos, *futuram sui in Ecclesiis Dei memoriam*; sicuti *ad hodiernum usque diem*, inquit, *per universam terram ἐν ταῖς Χριστοῦ ἐκκλησίαις ὁ Δαυὶδ εὐλογεῖ τὸν κύριον in Ecclesiis Christi David benedicit Domino*. Idem tenet *Theodoretus*, observans: non tantùm; quòd David his verbis *polliceatur se in omnibus totius orbis Ecclesiis* Dominum *laudaturum* & *benedicturum διὰ τῆς τῶν ψαλμῶν συγγραφῆς* per Psalmorum *conscriptionem*, *propheticis oculis prævidens orbis mutationem*; & quod *Prophetia hæc* suum *acceperit implementum*, quoniam *in omni terra & mari per piorum ora Magnus David decantat beneficum Deum*: verùm etiam quòd hinc manifestissime discamus, *ὡς εἰς αὐτὸν εἴρηται τοῦ Δαβὶδ ὁ ψαλμός quod in ipsum dictus sit Davidem hic Psalmus*. Similiter *Euthymius*, apud *Bellarminum*, judicavit esse heic *Prophetiam*, *quod revera tempore Novi Testamenti*, *in omnibus Ecclesiis*, *Psalmi Davidici*, *assidue concinendi essent*. Quod Interpretamentum, nec non inde peti-

petitum Argumentum pro Davide de semet ipso loquente in hoc Psalmo, Ego quidem Præstantissimis ejus Auctoribus relinquo, ut minùs forte solidum. Quemadmodum quoque judico de Propheticorum scilicet Psalmorum communi hoc criterio; *quotquot ipsi in principio argumentum aliud disertis verbis non indicant, explicandi sunt vel de Christo, vel de Christiana Ecclesiâ;* laudato à *Clar. Gurtlero, Cap.* IX. *Theol. Prophet.* Ipse enim hic *Psalmus vigesimus sextus* Canonis hujus hermeneutici infirmitatem evincit. Et nullo alio argumento *Cl. Gurtlerus* hunc Psalmum esse Propheticum probare tentavit, quam auctoritate *Athanasii. Psalmo.* XXVI. inquit, *secundum Athanasium apud Coccej. repræsentantur qui in Christo fiduciam posuerunt, neque cum Judæis contra Dominum & Christum congregatis societatem inire voluerunt.* At vero, nemo, opinor, ægre feret, si Auctoritati *Athanasii*, magni cæteroquin Viri, hac in re saltem illam *Eusebii* ac *Theodoreti* opponam.

II. Continet porro Psalmus hic I. *Petitionem Boni* vers. 1. 8. Ubi: 1. Petitionis *Propositio; judica me Jehova*, vers. 1. per caussæ meæ cognitionem, defensionem, declarationem: 2. Causæ suæ *Expositio*, vers. 1. *quoniam ego* in בתמי *in perfectione mea* sinceritatis sc: *ambulavi*, *& in Domino confisus sum*, *&c.* 3. Ejusdem Caussæ suæ justæ *Probatio*, vers. 2. 8. II. *Deprecationem Mali*, mortis sc. cum impiis & maleficis, vel turpis ex sententiâ judicum, vel repentinæ in prælio, vel potius æternæ, vers. 9. unà cum rationibus additis, cùm à parte *impiorum* vers. 10. tum a parte *sui* vers. 11: 12. III. *Promissionem* publicæ *gratitudinis* ac *Laudis* æternæ. *In Ecclesiis benedicam Jehovæ*, vers. 12. id est, in congregationibus populi Dei successive repetitis, imo in Ecclesiâ militante non modò in terris, sed & triumphante in cælis, laudes gloriosæ gratiæ Divinæ celebrabo.

III. Quoniam verò inter signa *Perfectionis Euangelicæ*, seu *sinceritatis* in Religione, hæc sunt præcipua, nimirum: Deo Sanctissimo atque Omniscio sese explorandum confiden-

denter sistere, cum *Jeremia Jer.* XII. 3. & *Petro Joh.* XXI. 17. hoc enim fieri posse ab aliquo absque conscientiâ sinceritatis suæ præsumi non debet, nisi ab extremè impio: Verbum Dei *porrò* Regulam fidei vitæque suæ ponere, nec multitudinem sequi in re malâ, *Ps.* 1: 1. 2. CXIX. 9. 63. 105. *Luc.* 1: 6: Colere *denique* Deum, non corpore modò sed & corde ac spiritu, puramque Religionem non simulare verùm amare, manusque non solùm sed & cor purum habere, 1 *Chron.* XXVIII. 9. *Prov.* XXIII. 26. *Jes.* XXIX. 13. *Joh.* IV. 24. *Rom.* 1. 9. VI. 17. In operibus *tandem* suis bonis nullam justitiæ coram Deo Vitæque æternæ caussam ponere, sanctitatem qualemcunque propriam ac sinceritatem suam, si accederet meriti ullius vel minima persuasio, pro damno & stercore habere, mortem verò Messiæ vicariam intueri, eamque velle suam fieri per imputationem, atque propter eam misericordiam Dei implorare ac laudare. *Luc.* XVIII. 9. 14. *Jes.* XXVIII. 15. 16. *Hab.* II. 4. Quoniam, inquam, hæc inter *sinceritatis* signa meritò enumerantur; ideo David *Probaturus* Integritatem Vitæ suæ coram Deo, quatuor hæc *documenta* ordine exposuit. *Primum* Innocentiæ argumentum in eo ponit, quod *intrepidè* ad Omniscientiam sanctissimi judicis provocare atque *Cordium Scrutatori* tremendo animi sui penetralia pervidenda objicere auderet, verf. 2. *proba me*, *Jehova*, *&c.* *Alterum* petit ex eo, quod Dei *Optimi* Exemplar, Verbumque *Veritatis* ejus scriptum, unicam vitæ suæ morumque normam ac Regulam perfectissimam haberet, non *vanam*, mundanam, *idololatricam impiamque* multitudinem, neque corrupti cordis beneplacitum aut dictamen; verf. 3. 4. 5. *Nam benignitas tua coram oculis meis: & indesinenter ambulavi in veritate tua. Non sedi cum viris mendacii* vel *vanis* &c. *Tertium* denique in eo collocat, quod *non externo ritu* tantùm secundum literam Legis carnalis, sed & *puro animo*, juxta Legis sensum mysticum sibi probè perspectum, & ex flagrante *amore*, Deum coleret, verf. 6. *Lavabo cum innocentia manus meas*, verf. 8.

Je-

Jehova, diligo habitaculum domus tuæ, &c. Quia autem benè noverat David, quod *justus*, mortalium etiam sanctissimus & integerrimus, *Fide ejus*, nempe *Messiæ*, tantùm *viveret*, atque *victurus* esset in æternum; & ne videretur ex innocentia vitæ suæ aliquid de se præsumere suâque justitiâ coram Deo, ideo ut *Quartum* sinceritatis suæ documentum insigne adducit tandem, *Fidem* in Messiam moriturum, quam exercebat maximè, atque palam manifestabat, quoties pedibus corporis *circumibat altare Jehovæ*, ut oculis subjiceret suis *amænissimas* venturi & se oblaturi Sponsoris Figuras, ut mente eas meditaretur attenta; & ut *mirabilia* Dei in Altari typico proposita, ac Redemtionis, per vicariam Messiæ mortem, *Fide* à se ad justificationem coram Deo apprehensi, *Mysteria*, ad laudem justitiæ & gloriosæ misericordiæ divinæ, *enarraret omnia*, vers. 7.

IV. Primò; *Integritatem* suam testaturus Propheta, *rituali* ac *umbraticæ veram se & moralem puritatem* jungere affirmat *vers.* 6. ארחץ בנקיון כפי. LXX. *νίψομαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου. Vulg. Lavabo inter innocentes manus meas: Piscator, Lavo cum innocentia manus meas.* Ubi *Opus* primò *Externum*; deinde *Adjunctum Operantis*, occurrunt. *Opus Externum* est *Lotio Manuum*, vel *volarum*, vel *palmarum*, *suarum*; quod sibi; vel in *futuro*, uti propriè sonat verbum ארחץ *lavabo*; vel in *præterito*, *Lavi*, uti aliqui vertunt; vel in *præsenti*, *lavo*; sicuti *Futurum* Hebræis nunc pro *præterito*, nunc pro *præsenti*, quo carent, quandoque poni solet; tribuit Psalmista. Ubi in antecessum monendum existimo, quod *manus* heic propriè & strictè sumi debeant, non synecdochicè pro toto corpore, sive partibus ejus reliquis omnibus, quæ conspicuæ sunt; quemadmodum Mischnici Doctores explicant locum *Levit.* xv. 11. *& manus ipsius non immerserit aquis*; & sicuti *Vestes* iidem capiunt pro integro corpore, quoties in Lege mentio fit *Lotionis Vestium*, etiam *Exod.* xix. 10.

V. *Le-*

V. *Lotio* verò *manuum* variis de caussis instituta olim fuit a *Judæis*, aliisque gentibus. *Vulgaris* erat, quæ *ante mensam*, epulasque, ad *cibum communem* capiendum, ut & *decimas* atque *Terumam*, fiebat, & vocatur נטילת ידים *ablutio manuum*, utpote per affusionem aquæ facta, & distincta â טבילת ידים *immersione manuum*, necessariâ ad sacram carnem panemque sacrum comedendum. Scilicet manus negotiosas, ne, si rem immundam forte tetigissent, cibum polluerent, prius lavandas esse, censuerunt *Seniores*. Ita legitur *Marc.* VII: 23. 25. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus* κοιναῖς χερσὶ, (τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις) *edere panes*, *conquesti sunt. Nam Pharisæi & omnes Judæi nisi* πυγμῇ *laverint manus*, *non edunt*, *tenentes traditionem seniorum. Et a foro* venientes, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, *non edunt &c.* Conf. *Luc.* XI. 38. *Joh.* II. 1-6. Dicis caussa quandoque Judæi ritum hunc in Lege *Levit.* XV. 11. fundatum esse ajunt, sed revera cum Pharisæis *Traditionem Seniorum* τῶν πρεσβυτέρων זקנים esse volunt, qui זקנים / a Doctoribus Mischnicis in *Massechet* ידים, a נביאים / *Prophetis*, ut his posteriores, manifestè distinguuntur. Bartenora & Maimonides *Salomonem* hunc ritum instituisse dicunt: quod ita exponitur; Salomonis nempe ipsiusque Senatus statutum ad *res sacras* comedendas respexisse; posteriores autem Sapientes hoc ad *Terumam*, aliosque postea succedentes ad *cibum* quoque *communem*, extendisse, quo pollutio *Terumæ* magis exacte vitari posset. Unde etiam hodie constitutio ista de *cibo communi*, præsertim *pane*, *coll. Matth.* XV. 2. & *Marc.* VII. 2. 5. illotis manibus non capiendo abolita nondum esset, ut scilicet Terumæ rite tractandæ peritiores essent post reversionem in patriam, ac sanctuarii restitutionem, quam utramque expectant occæcati Judæi. Vide de his omnibus latius agentem *Doct. Pocockium* in *Notis Miscell.* ad *Maimonidis Portam Mosis*, *Cap* IX: ut & *Buxtorfium* in *Dissert.* VIII. de *Lotione manuum ante & post cibum.* Similiter apud Gentiles in usu fuit cœnatis non modò & pransis

ἀπονίψασθαι *abluere* manus, ſed etiam *ante* prandium & cœnam aquam κατὰ χειρὸς porrigere ex malluvio, quod χέρνιβον, χειρόνιβον, χερνίβιον, χειρόνιπτρον, Veteres dixêre, quemadmodum *Athenæus Deipnoſophiſtarum Lib.* IX. ferè ſub finem tradidit.

VI Alia erat *Judicum* apud *Judæos* ſolennis *manuum Lotio*, quâ ſeſe immunes a *cæde perpetratâ* teſtari debebant, juxta Legem *Deut.* XXI: 6. 7. *Et omnes ſeniores civitatis illius qui ſunt proximi ad occiſum iſtum, lavabunt manus ſuas ſuper vitulam decollatam in ea valle. Et reſpondebunt, & dicent: Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem iſtum, & oculi noſtri non viderunt.* Ad hujus Judaici ritus, tunc temporis fortè ob crebra latrocinia uſitatiſſimi, atque adeò notiſſimi, qualemcunque imitationem, *Pilatus*, moris hujus Judaici non magis quam alterius, notati *Joh.* XVIII. 39. ignarus, *ſumens aquam lavit manus coram turbâ, dicens, innoxius ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis. Matth.* XXVII. 24. Non ut *crimen cædis*; quale a ſe coacto per tumultuantes judæos, hàc in condemnatione juſti ullum patrari, verbis additis, incogitanter tamen vel per inſignem hypocriſin, negabat; *elueret* atque *expiaret*; ſic nempe ſecutus vanam atque à Poëtis ac Sapientibus Romanorum meritò irriſam opinionem Vulgi, putantis exiguâ poſſe tolli aquâ ſcelera, quæ ne ipſe quidem toto Magnus oceano Pater expiare poſſet. Sed ut *ſe innocentem teſtaretur, omnemque* ſceleris hujus culpam & pœnam in ſeditioſos atque judicem cogentes judæos conjiceret; eò libentius populari hac cerimoniâ uſus, ut eos à cruento propoſito propriis cerimoniis magis adhuc deterreret, eorumque pertinaciam vinceret. In verbis verò, Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου, Pilatum imitatum pariter fuiſſe Danielem in Hiſtoriâ Suſannæ exclamantem, Ἀθῶος ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος ταύτης, haud æque probabile eſt, quia minus nota hæc Hiſtoria vel Fabula Romano Præſidi fuiſſe videtur; nec æque neceſſarium eſt ut ſtatumus quoque, quia modus hic loquendi non ita proprius Judæis fuit & peculiaris ac quidem Ritus ille lavandi manus

ad testandam judicum à perpetratâ cæde innocentiam. Quod observandum est contra *Casaubonum Exercit.* XVI. ita disserentem. *Quare Pilatus morem lavandi ad declarandam suam innocentiam, non magis sumpsit à Judæis, quam formulam quâ utitur, cùm protestatur de sua innocentiâ,* Innocens ego sum à sanguine justi hujus; *sumpsit ex historiâ Susannæ, ubi non dissimilem usurpat Daniel;* Mundus ego sum à sanguine hujus; *in historiâ Susannæ, versu quadragesimo sexto.*

VII. Alia denique erat *Manuum Lotio Sacerdotibus*, tametsi mundis, mandata divinitus, quoties Tabernaculum ingrederentur vel ad Altare accederent. *Exod.* XXX. 17-21. *Et locutus est Jehova ad Mosen, dicendo: Et facies labrum æneum, & basin ejus æneam, ad lavandum: ponesque illud inter tentorium conventus, & inter altare, & pones ibi aquas. Et lavabunt Aaron, & filii ejus ex eo* manus suas, *& pedes suos. Quando erunt ingressuri tentorium coventus, lavabunt se aquis, & non morientur: aut quum erunt accessuri ad ipsum altare, ad ministrandum, ut adoleant sacrificium igne absumendum Jehovæ* (LXX. ϗ ἀναφέρειν τὰ ὁλοκαυτώματα κυρίῳ.) *Et lavabunt* manus suas, *& pedes suos, & non morientur. Et erit eis statutum seculi, ei & semini ejus in generationibus eorum.* Quod quomodò post erectum Tabernaculum primò executioni datum fuerit, ut deinceps perpetuò observandum, enarravit Moses, *Cap.* XL. 30. 31. 32. *Et posuit labrum inter tentorium conventus & inter altare istud* (sc: holocausti) *& posuit* ibi *aquas ad lavandum. Laveruntque ex eo Moses & Aaron & filii ejus*, manus suas, *& pedes suos. In ingrediendo eos ad Tabernaculum conventus, & in approximando eos ad altare, lavabunt se, quemadmodum præcepit Jehova Mosi.* Confer. 2 *Chron.* IV. 6. Ratio instituti hujus fuit: *Non* ut modum cultus sui solennis accommodaret Deus ad seculi consuetudinem & priscos gentium mores, nam de *ablutione pedum ante Sacra nihil extra Scripturam* legi, fassus fuit ipse *Spencerus Dissert.* III. *Cap.* III. *Sect.* II: Neque quòd Creator omnium pulverum terræ à sordibus corporis tantopere abhorreat, ut manus pedesque sanguine

vel

vel pulvere fœdatos, ut nauſeoſos ſibi, ſub graviſſima mortis pœnâ, prohibere debuerit: *Neque* etiam ut expiarent & tollerent animæ ſordes aquæ iſtæ inter Altare & Tabernaculum poſitæ, nam *βαπτισμοὶ* illi nil aliud erant quam *δικαιώματα σαρκὸς Hebr.* IX. 10. nec eſſe per naturam ſuam poterant: Sed ut reverentiam Numini ſuo omnimodam exhibendam doceret Dominus, cultumque ſuum ab omni comtemtu, in quem facile abduci poterant mortalium animi vel per minimam alicujus neglectus externam ſpeciem, vindicaret; magiſque ſolennem & pompoſum, & Rege ſummo ac Iſraëlis peculiari dignum redderet: Imo magis ut in hac loquaci cerimonia monitum reale acciperent Sacrorum Miniſtri de morali immunditie adhærente omnibus, ſed eluendâ, & de Deo non cutis ſed cordis puritatem amante pura mente colendo, nec non de purgatione & ſanctificatione cordis & corporis verâ per aquas puras meriti & Spiritus Chriſti, neceſſaria ad communionem cum Deo in gratia & gloria obtinendam, atque ad ingreſſum poſthac in cæleſte Tabernaculum, ſanctis promiſſum, *Pſ.* XV. 1. 2. 3. 4. &c. XXIV. 3. 4. *Heb.* XII. 14. Quo pacto Ritus hicce ad *Elementa*, ſeu *Rudimenta*, rudiores puritatis internæ & Religionis rationalis figuras còntinentia, & ſimul ad Elementa *Mundi*, id eſt, *pompoſa* pertinuit; atque *Typus moralis* fuit, potius quam *propheticus*; vel ſacrum Baptiſma N. T. præfigurans, *quo neceſſe* eſt *purgentur omnes qui Eccleſiæ januas ingrediantur* uti loquitur *Beda* de *Tabernaculo Lib.* III. *C.* XIV. *Tom.* IV. *Operum ſuorum*; vel *quo ſingulos qui ſub Nova Lege Eccleſiam ingrediuntur lavari juſſit* Dominus, uti *Sheringamius*, ad *Cod. Joma*, *cap.* III.

VIII. Ex hac verò Sacerdotali divinitus juſſâ *manuum Lotione*, ante ingreſſum Tabernaculi & acceſſum ad Altare holacauſti, quàm maximè ortum traxit, non tantùm quod nemo Sacerdotum ipſum Atrium intraret ad miniſterium peragendum antequam laverat, uti in *Joma*, *cap.* III. habetur; verum etiam quod privatus inter Judæos quilibet *ad*

 ſa-

ſacra non accederet, niſi præmiſſâ *manuum Lotione*. *Precaturi* Judæi vel in Synagogis, vel etiam quam primum e lecto manè ſurrexerint, & ante lectionem *Schemaab*, quam vocant, *manus lavant*, quod & exemplo Sacerdotum Sanctuario miniſtrantium confirmant, uti adnotavit *Pocokkius* in *Notis Miſcell. cap.* 9. & teſtatur *Buxtorffius* in *Synag. Jud. cap.* VIII. & *Leo Moden. de Jud. ritib. p.* 1. *cap.* II. §. 2. Acceperunt hoc â Majoribus, apud quos hic ritus ante preces ab ævo obtinuit. *Clemens Alexandrinus*, *Admonit ad Gentes*, *p.* 46. de Hebræis ex perantiquo, uti videtur, Poëta:

'Αλλὰ γὰρ ἀίρουσιν πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνὰς
Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς αἰεὶ, χρόα ἁγνίζοντες
Ὕδασι.

At contra tollunt ad cœlum puras manus, (*ulnos*, cubita, brachia.) *mane venientes ex lecto ſemper*, *cutim purificantes aquis*. Confertur vulgò Exemplum *Judithæ* ſe abluentis ad fontem aquæ in caſtris, antequam oraret Dominum Deum Iſraëlis, uti legitur *Judith: Cap.* XII. 7. 8. Similiter *illotis*, certè manibus, *Loca Sacra*, Templum vel Tabernaculum adire non licuit, quemadmodum ex *Philone* probat *Spencerus*, & confert Paulum inventum Ἡγνισμένον *purificatum in Templo Act.* XXIV. 18. *Diſſert.* III. *cap.* III. *Sacrificaturi* denique *manus* non niſi *lotas* capiti Victimæ impoſuêre, uti *Philo in Libro* de *Victimis teſtatur*; ἀπονιψάμενος ὁ προσάγων τὰς χεῖρας ἐπιφερέτω τῇ τοῦ ἱερείου κεφαλῇ. *p. m.* 838. *qui adducit manus ablutas imponat victimæ capiti*. Huc quoque referunt nonnulli hiſtoriam in Libro *Judithæ*, *cap.* XVI. 22. de *populo qui purificatus fuerat*, non ut ſeſe purgaret a cæde Aſſyriorum, ſed ut ſe præpararet ad cultum, & ut *offerret holocauſta ſua*, & *voluntarias oblationes & donaria ſua*. Fecerunt ita Hebræi veteres, non edocti à gentilibus, ſicuti *Spencerus* contendit, ſed ad hoc excitati Facto Patriarchæ Jacobi *Gen.* XXXV. 2. & Præcepto non uno divino, populo toti olim *Exod.* XIX. & Sacerdotibus *Exod.* XXX. dato, nec non Exemplo Moſis & Sacerdotum *Exod.* XL. Quemadmodum

non-

nonnulla alia, Lege non præcepta, observata fuerunt olim a Judæis, non ut gentiles imitarentur, sed ex analogia cujusdam Legis divinæ. Quem in finem conferri meretur Locus 1 *Sam.* xxi. 4. cum *Exod.* xix. 5. Omnis hæc *Lotio*, *manuum* præcipuè, apud *gentiles ante sacra* in usu quidem fuit, ut videre licet apud *Stukkium*, *Schachum*, *Saubertum*, *Dougtejum*, alios, & imprimis *Spencerum*; sed primos ideo hujus ritus Auctores fuisse minimè sequitur, uti existimat *Spencerus*, & quidem eo magis, quoniam *primos hujus Ritus Auctores*, ut ait, *aliquem quidem divinæ sanctitatis*, *sed crassum & languidum sensum habuisse* oportet, & quoniam Deo indignum fuisset *ut frigidos* & *virtute cassos* ritus in cultum suum reciperet, nisi sic se accommodare ad ruditatem Hebræorum, his gentium baptismis dudum assuetorum, eosque *leniter tolerare*, voluisset. Enim verò crassus est divinæ sanctitatis conceptus, si illa in amore externæ puritatis corporeæ collocetur, & in hac ponatur caussa expiationis peccati eorum coram Deo. Verùm quod hæc stulta opinio primam originem dederit huic ritui, temerè profecto asseritur. Neque indignum Deo judicari potest, ritum istiusmodi expeditum & simplicissimum instituere, quo Cultores ejus sordium moralium adhærentium & deponendarum admoneantur. Virtute quidem expiandi, non tamen significandi destituta fuit hæc cerimonia. Divina institutio Officium puritatis moralis sectandæ spectabat; usus vero ejus ab Hebræis officii hujus vel præstiti signum continebat, vel præstandi propositum sincerum indicabat. Hinc *Philo* de *Vita Mosis*, *Lib.* III. *p. m.* 674. ait de *Lotione* Sacerdotum ad obeunda sua ministeria, quod fuerit σύμβολον ἀνυπαιτίου ζωῆς *vitæ inculpatæ signum*. Quod confirmatur etiam ex historia Interpretum græcorum *Aristeæ*, ubi fere sub finem de iis hæc habentur: *Atque etiam quotidie benè manè veniebant in aulam, & salutato Rege redibant ad suum locum.* ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, lotisque manibus pro communi omnium Ju-

Judæorum more ex mari, *& votis ad Deum peractis, pergebant legere, & singula interpretari. Interrogati autem & de hoc*, quare post lotas manus *vota faciant? respondebant*, ὅτι μαρτύριόν ἐστι, τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν. πᾶσα γὰρ ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται. *quod* testimonium sit nullius sceleris perpetrati, *quoniam omnis actio per manus fieri solet.* Unde etiam ab hac manuum lotione arcebantur illi apud Græcos, qui scelus patraverant, ne scilicet ceremoniâ, significatione quoque, sancta abuterentur, ut alicubi me legisse memini.

IX. Quoniam itaque hæc Lotio Manuum signum erat sanctitatis vitæ & puræ mentis in cultu divino allatæ & adferendæ; hinc usu venit in Sacris, ut phrases, *lavare se*, *purgare manus*, easque *puras* habere, studium puritatis moralis & sanctitatis omnis, & speciatim externæ, maximè quando *pura manus* cum *corde puro* jungitur, tropice, partim per metonymiam signi, partim per metaphoram, sæpe exprimant. Quem in finem expendi merentur Loca: *Gen.* xx. 5. Cum *integritate cordis mei &* munditia manuum *mearum feci istud: Job.* ix. 30, 31. ubi Jobus, non lotionis externæ & corporalis ad purgandum a reatu & maculâ peccati insufficientiam & vanitatem, sed sanctitatis suæ internæ & externæ imperfectionem expressurus, ita significanter locutus fertur: *si lavero me in aquis nivis, & mundavero* בבר *in fonte* (*puritate, smegmate*) manus meas. *Tum in foveam immerges me, & abominabuntur me vestes meæ: Job.* xxii: 30. *Liberabitur* (non innocens etiam) *puritate* manuum tuarum: *Psalm.* xviii. 25. *Et reddidit Jehova mihi secundum justitiam meam, secundum* puritatem manuum mearum *coram oculis suis: Psalm.* xxiv. 3, 4. *Quis adscendet in montem Jehovæ, & quis stabit in loco sanctitatis ejus,* Mundus manibus, *& mundus corde?* &c. *Jes.* i. 15, 16. *Itaque quum expanditis* manus vestras, *abscondo oculos meos à vobis: etiam quum multiplicatis precationem, nequaquam audio:* quia manus vestræ *sanguine plenæ sunt.* Lavate, purificate

ficate *vos: removete malitiam* actionum *vestrarum a præsentia oculorum meorum: desinite male facere: discite benefacere;* &c. 1 *Tim.* II. 8. *Volo igitur viros precari in quovis loco*, attollentes ὁσίες χεῖρας puras manus *absque ira & disceptatione. Jac.* IV. 8. *Appropinquate Deo*, *& appropinquabit vobis*, emundate manus, *peccatores:* & *purificate corda*, *duplices animo.* Eodum sensu *Philo* de *philanthropiâ*, de Mose affirmat, quod τὰς καθαρὰς, puras, imo quod τροπικώτερον esse dicit, παρθένας χεῖρας virgineæ castitatis manus *ad cælum sustulerit.* Similiter *Horatius Lib.* III. *Ode* XXIII. eadem sermonis figurâ laudasse videtur *manus immunes* scelerum magis quam sordium, quas dicit blandiores esse Diis farre & granis sacrificantes, quam si sumtuosam hostiam sacrificent.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia,
Mollibit aversos penates
Fare pio, & saliente mica.

Alibi immunes has manus *puras* vocavit. Lib. I. Sat. 4.
At bene si quis, & vivat puris manibus, contemnat utrumque.

X. *Figurato* hoc sensu *Lotionem manuum* hoc in loco explicant nonnulli Veteres & Recentiores de depositione sordium peccati per pœnitentiam, confessionem, odium, & fugam peccati, de abstinentia â cæde & rapinâ & scelere omni, & de opposito justitiæ studio juxta Legem amoris Dei & proximi. Quando בנקיון vertunt: Vel cum *Vulg. inter innocentes;* Sic *Beda*, secutus *Hieronymum* & *Augustinum*, lavabo manus meas, *id est*, *munda faciam opera mea* Domine, *ut ponar inter innocentes:* Vel *innocentiâ*, uti *Castalio*, *lavo manus meas innocentiâ;* quando hoc ut interpretamentum figuratæ locutionis capiunt, hoc modo, *lavabo manus*, non *aquis*, verum *ipsâ innocentiâ* & puritate morali, quâ actiones meas puras Deoque sanctissimo placentes præstabo. In quem sensum â *Clar. Coccejo* conferuntur aliæ phrases, quæ *proprietatem metaphoræ mixtam* exhibent; ut sunt:

sunt: *Sacrificare sacrificia justitiæ Ps.* IV. 6. *Sacrificare laudem, Ps.* L. 14. *Concerpere corda, Joël* II. 13. *Ducere in orbitis justitiæ Ps.* XXIII. 3. & simul observatur, quod sit *allusio ad ritum ablutionis, quo utebantur sacra facturi, Exod.* XXX. 19. & denique laudantur Veteres ut qui *non ignoraverint mysticum sensum cerimoniarum.* Quæ quidem in se optimè dicta sunt à *Viro Celeb.* mallem tamen ego, quod attinet hunc locum nostrum, *proprietati* sermonis inhærere, quia nullam ab eâ recedendi rationem hactenus video.

XI. Interim minime facio cum iis, qui Davidem de *Lotione manuum*, quæ fieri solet ante *cibum* & *mensam*, locutum esse opinantur. Ita *Titelmannus : Lotio ista manuum potest intelligi ad literam, corporalis, & ita cum ait se lavare inter innocentes manus suas, significat suam se conversationem cum innocentibus habere, illisque familiarem se fieri, cum illis ad mensam accedere, illisque convivere, assidere, & adherere: quemadmodum e contrario perversi cum perversis lavant manus, id est, cum perversis conviviunt, habitant, & conversantur. Solent enim pares sociari paribus.* Facile apparet quod Vulgata Versio *inter innocentes* occasionem dederit huic exegesi: cui omnino obstat, quod non de Mensa suâ aut alterius Amici, sed de *Altari Jehovæ* loquatur David in altero Versus hujus membro. Quæ ratio ex *Contextu* ita plane destruit opinonem *Titelmanni*, ut necesse non sit aliud quidquam addere, vel etiam in memoriam revocare incertam Rabbinorum traditionem, de Ritûs lavandi manus ante cibum necessarii origine longe recentiori, nec assurgente ad Davidis tempora- de qua §, V. egimus.

XII. Neque etiam putem ad *Lotionem Judicum* solennem respexisse Psalten, quam scilicet imitari vellet, & sanctè posset, majori sanè sinceritate quam quâ Pilatus postea morem istum Hebræorum effingere tentavit; quoniam innocens erat â crimine certo sibi objecto, vel idololatriæ inter Philistæos, vel homicidii & latrocinii exerciti scilicet cum *Viris sanguinum, in quorum manibus scelus est*

est vers. 9. 10. *Ps.* VII. 4. 5. Obstat enim & huic explicationi sequens pericopa, *& circumeo altare tuum Jehova.*

XIII. Quamobrem Davidem respexisse ad *Lotionem ante sacra* fieri solitam nullus dubito. Sacerdotes quidem ex Lege tenebantur *manus* & simul *pedes* lavare, ante introitum Tentorii & Altaris adscensionem, quod utrumque nudis purisque pedibus & calcasse & obambulasse ministrandi caussâ videntur. Quæ Sanctuarii calcatio, atque ipsius Altaris obambulatio, cum vetita fuerint privatis, hi *solâ manuum* Lotione ante preces, ingressum Loci sacri, & sacrificium per sacerdotes offerendum in Altari, hos qualicunque modo, quamvis nulla adstricti Lege expressâ Divinâ, imitari studuerunt, etiam Davidis ævo, ut & ipsi reverentiam omnem Numini exhiberent, puritatisque moralis amorem ac studium sic testarentur suum. Quæ Lex sacerdotibus olim lata, ac nunc una cum Templo, cui, ut & Tabernaculo, adstricta erat, abrogata cum sit, justa religionis specie caret, imo voluntarii & superstitiosi cultus rationem habet imitatio Sacerdotum Leviticorum in Christianismo, si nunc; vel Deum oraturi Christiani, uti *Tertulliani* ævo usitatum erat; vel cœnam administraturi Episcopi & Presbyteri, de quibus *Cyrillus Hierosol. Catech. Mystagog. V.* in initio; vel templa intraturi, ad manuum ablutionem obligarentur ex Veteri Hebræorum instituto: uti Pontificii hodie sine lustrali aqua templa sua non ingrediuntur. Aliter judicandum est de hoc piorum veterum instituto, quando Lex, Sacerdotibus pro populo ad Deum accedentibus, præscripta, & generalis illa, *Sanctuarium meum reveremini Levit.* XIX. 30. in pleno vigore suo erant.

XIV. Quoniam verò in populo isthoc hypocritico multi externa lotione contenti erant, moralem ac spiritualem mentis ac membrorum corporis puritatem minimè curantes *Jes.* I. 15. *Prov.* XXX. 12. *Matth.* XXIII. 26. 27. idcirco David, ut se ab hypocritis hisce discriminaret, addit *Adjunctum* Operis sui, vel potius *Operantis*, בנקיון. *in puritate, innocen-*

 cen-

centiâ. Sensus est: *Non; in purâ aquâ*, fontanâ scilicet, vel fluviali, vel alia quacunque limpidissima, & vim purgandi a sordibus majorem habente, qualem in lotionibus sacris Hebræi non modò, sed & Gentiles adhibuerunt, uti cum aliis *Spencerus* fusè, ut solet, ostendit, *Lib.* III. *Dissert.* III. *Cap.* I. Nam nusquam nomen נקיון notat id quod purgat, sed quod purum & purificatum est: *Neque; ubi* puritas & innocentia *est*, quomodo LXX. transtulerunt ἐν ἀθώοις, & *Vulgatus* eos secutus, *inter innocentes;* hunc enim sensum aliter procul dubio expressisset Psaltes. Sed sensus est: Vel *propter innocentiam*, seu *puritatem*, sicuti præfixum ב quandoque caussam finalem notat *Eccles.* VII. 12. X. 17. quando David manus suas se lavare diceret *propter puritatem;* non *acquirendam*, sive physicam, a sordibus corporeis, quod levius foret, sive moralem a reatu & sordibus peccati, quod nec aquis fluminum & fontium, nec sanguine etiam pecudum, sed Messiæ solius, ejusque Spiritu tantùm, tolli posse bene noverat Vates: sed hanc moralem *testandam* facili & apposita cerimoniâ: Vel potius *cum innocentia* seu *puritate morali*; quomodo alibi vox נקיון sumitur *Gen.* XX. 5. *Ps.* LXXIII. 13. *Hos.* VIII. 5. & cognatum נקי *Job.* IV. 7. XVII. 8. *Ps.* XXIV. 4. & quemadmodum præfixum ב alibi pro *cum* sumitur, & conjunctionem notat *Gen.* XXXII. 10. *Exod.* X. 9. *Jer.* XI. 19. *&c.* Ita *Swinglius*, *Lutherus*, *Piscator* transtulerunt, & *Vetus Belgica* habet. Sic verò David sibi minimè tribuit puritatem absque ulla macula præteritâ vel præsenti, *coll. Ps.* XIX. 13. LI. 7. quæ etiam in nullo mortalium reperitur *Prov.* XX. 9. Verùm respicit ad justitiam caussæ, *coll. Ps.* VII. 9. XVIII. 21. *Job.* XXXIII. 9. & testatur, se nunquam manum extendere voluisse in unctum Domini, & à latrociniis, rapinis, turpi lucro, idololatriâ, hypocrisi, aliisque, quibus reum calumniis peragere conabantur inimici sui, per Dei gratiam immunem esse. Imò sibi tribuit non tantum manus à cædibus moraliter puras, sed & cor purum *Ps.* LI. 12. non juxta Legis rigorem *Prov.*
XX.

xx. 9. *Eccleſ.* VII. 20. *Pſ.* CXLIII. 2. ſed Evangelii gratiam, quod peccati impuritatem quamcunque ſentit cum dolore & odio habet *Jeſ.* VI. 5. LXIV. 6. ſanctitatem verò moralem omnem vere amat, eique alacriter ſtudet, eamque oſtendere conatur verbis & factis, adſpirans quotidie ad perfectionem cœlo adſervatam, idque juxta Exemplum Dei Iſraelis Sancti, & juxta myſticos purificationum Legalium ſignificationes, & denique juxta normam Legis Regiæ, amoris Dei & proximi, quatenus eſt regula gratitudinis atque ſubſervit promiſſioni. Ad confirmationem ſenſus hujus conferri meretur dictum Aſaphi, *Pſalm.* LXXIII. 13. *Verè in vanum mundavi cor meum, & lavi cum innocentia manus meas.* Atque adeò *lavare manus cum innocentia* tantundem eſt, ac ita verè malitiam cordis, ſordesque manuum morales expurgare deſiderio & conatu omni, quemadmodum ſordes corporis & manuum externè abluimus. Ita decet profectò genuinos ſanctiſſimi Numinis cultores *Jeſ.* I. 15. 16, 17. *Jac.* IV. 8. *Pſ.* XXIV. 3, 4. Hoc agnoverunt quodammodo gentiles, pura mente inprimis colendum eſſe Deum Spiritum. Hoc præſtant verè Verbo & Spiritu illuminati. Hi ceremonias externas à Deo inſtitutas, vel pio uſu introductas, modò abſit jugum, ſuperſtitio, & præſumtio meriti, non ſpernunt, ſed unà cum iis ſpiritualem cultum ſectantur. *Lotio manuum* pio uſu introducta communis erat Davidi cum Hypocritis, quam ideo; vel in futuro promittit; vel in præterito de ſe prædicat; vel potius, ut actionem frequentem, in præſenti ſibi tribuit; ſed *Innocentia* ipſi cum ſinceris & Fidelibus omnibus erat propria. *Fide* enim *corda purgantur Act.* XV. 9. inprimis in *Chriſtum* Sponſorem mortuum vel moriturum pro peccatis noſtris. Hac Fide David etiam erat præditus, *Pſalm.* XXVII. 4. *Act.* II. 31. Quare etiam in innocentiâ ſua cauſſam juſtitiæ ſuæ coram tribunali juſtiſſimi Judicis neutiquam poſuit, ſed in ſolo ſacrificio Meſſiæ futuro, & per ſacrificia Levitica adumbrato & præfigurato.

XV. Unde SECUNDO Integritatem suam testaturus porro addit: ואסבבה את מזבחך יהוה *Et circumeo altare tuum Jehova.* Ubi iterum *Actio* Davidis occurrit, ejusque *Provocatio* ad omniscium *Jehovam.* *Objectum* Actionis est *Altare*, non suffitus in Sancto, sed holocausti in Atrio Tabernaculi Mosaici, quod tempore Davidis fuit in Nob & Gibeon, 1 *Sam.* XXI. 1. 1 *Chron* XVI. 39, 40. 2 *Chron.* 1: 3, 5. Extruxit etiam David Tentorium in monte Tsijon, in quo Arcam deposuit, ubi voluntariis sacrificiis Deus coli poterat & colebatur, 2 *Sam.* VI: 17. VII: 2. 1 *Chron.* XV. 1. XVI. 1, 2. 2 *Chron.* 1. 4. Manebat tamen Tabernaculum Leviticum Locus cultus Divini solennis & quotidiani, ubi erat Altare Bezaleelis æneum Holocausti, & in quo Sacerdotes Aaronici juxta Legem Mosis scriptam ministrabant altari 1 *Chron.* XVI. 30. 40. *&c.* XXI. 29. XXIII. 26- 32. 2 *Chron.* 1. 3, 5. De hoc Tabernaculo loquitur David. vers. 8. & *Ps.* XXVII. 4.; atque proinde de Altari Bezaleelis illo æneo holocausti heic agit quoque. Quod cum emphasi *Jehovæ* esse dicit, Altare *Tuum*: id est, non modò in *Tui* honorem extructum; quo sensu *Altaria* post ædificatum Salomonis Templum in Regno decem tribuum, in quibus, uti volunt nonnulli eruditi, Jehovæ sacrificabant veri Israelitæ, dissimulante Deo ἀνομίαν istam, *Dei* Altaria esse dicuntur: *Altaria* Tua *destruxerunt*, *& Prophetas tuos occiderunt gladio* 1 *Reg.* XIX. 10. *Rom.* XI. 3. sed etiam ex *Tuo* mandato, imo speciali descriptione, & Artificis designatione, in cultum *Tui* solennem & quotidianum, *Tibique* gratum, & non ex humano arbitrio atque consilio, ædificatum atque erectum.

XVI. *Actio* ipsa circa hoc Altare exprimitur verbo אסבבה/ quod est cum ה paragogico, non ocioso fortè, sed intendente significationem, & futuri temporis, positi ex more Hebræorum ad continuum indicandum actum; quapropter rectè vertitur in præsenti, *circumdo*, vel potius, *circumeo.* Verbum hoc in *pihel* occurrit adhuc, præter hunc Locum, un-

undecies in Sacris, nisi Concordantiæ Buxtorfii fallant, & si bene calculum institui, significatione variâ. Quandoque notat simul & undiquaque *cingere* & *circumdare* aliquid; sic de aquis cingentibus Jonam *Jon.* II. 3, 5. (vel 4. 6.) & de Canticis undiquaque auditis *Ps.* XXXII. 7. Quandoque verò *successive circumdare* aliquid seu *circuire*; sic de Sponsa circuitura urbem, *Cant.* III. 2. de hostibus circumeuntibus civitatem *Ps.* LIX. 7: 15. Quo sensu in *Kal* & *Hiphil* etiam sæpius occurrit *Jos.* VI: 3. 4. 7: 11. 14. 15. &c. *Circumeundi* successive sensum heic etiam tenendum existimo, quia David manifeste a *manibus* in sinceritate lotis ad *pedes*, ejusdem sinceritatis in cultu divino *Testes*, progreditur.

XVII. *Pedibus* vero *Circumire* Altare Holocausti solius Sacerdotis Aaronici fuisse officium ac privilegium videtur. Et fuit omnino si ipsum Altare, ejusque Ambitum atque Ambulacrum spectemus. Gradus sive βῆμα (vel Clivum potius) altaris *Sacerdotes* adscendebant eâ parte quæ orientem spectat, & descendebant illâ quæ est versus occidentem, *Summus Sacerdos* verò ascendebat & descendebat in die expiationis in medio: uti ex *Joma c.* 4. adnotavit *Joh. Henr.* Otho in *Lexico Rabbinico-Philologico*, ad vocem *Altare.* *Sacerdotis* erat circuire aram. Videlicet prius debebat lavare ad mare æneum, & inde redire ad latus altaris, unde spectaret (Sacerdos) Tabernaculum, quod non poterat fieri nisi circuitione magnæ partis altaris, ... cum mare illud propius tabernaculo esset quàm ara: uti monuit *Gussetius* ad חטא. In aspersione sanguinis Victimarum pro peccato Cœtus & privatorum, procedebat Sacerdos in סובב *Cingulo* Altaris, ad quod per Clivum adscendit, a cornu Orientali meridionali, cujus vertici sanguinem primò admovit, ad Cornu Orientale septentrionale, & ab hoc ad cornua Aquilonare Occidentale, & tandem Occidentale meridionale transibat, eaque cruore eodem ritu imbuebat. Postea ea, quibus venit, in cingulo vestigia legens eò redibat unde digressus fuerat, quemad-

modum ex *Gemara Sebb.* tradidit Doct. *Joh. Jac. Cramerus*, de *Ara Exteriore Cap.* IV. *p.* 58. Vide etiam ipsum *Tractatum* זבחים *Cap.* 5. Nec non *Clar. Reland. Ant. Heb. Part.* I. *Cap.* IX. §. IX. Altare holocausti Mosaicum istiusmodi Ambulationis Sacerdotum loco neutiquam destitutum fuit. Huc enim referenda putem omnino Loca: *Exod.* XXVII: 4. 5. & XXXVIII: 4. *Et facies ei cribrum opere retis æris, & facies super reti quatuor annulos æris super quatuor extremitatibus ejus. Et pones illud* תחת כרכב subter Ambitum *altaris inferne, & erit rete usque ad medium altaris. Et fecit altari cribrum opere retis æris*, תחת כרכבו subter ambitum ejus *infernè usque ad medium ejus.* Vocem כרכוב Onkelos & Jonathan per סובבא & סובב *Circuitum, Ambitum* vertunt. Talmudici in *Tractatu* מדות *Cap.* 3. Altari Templi tribuunt, & הסובב *Cricuitum, Ambitum, Cingulum*, in medio fere ejus, & מקום הילוך רגלי הכהנים *Locum ambulationis Sacerdotum* in superficie ejus. Hunc in Altaris suprema parte, spatio, quod inter cornua erat, vel uno cubito profundiorem & interiorem cum *Doct. L'Empereur*, vel illi ἰσόπεδον fuisse, cum *Doct. Cramero*, volunt. Utrumque erat Ambulacrum Sacerdotum. *Illud*, inquit *Cramerus, calcatur a Sacerdotibus, qui quadrupede piaculum, aut ave holocaustum faciunt. Hoc verò ad ordinanda ligna, vertenda forcipe profecta, aut alia hujusmodi.* Utrumque fuisse in Altari Tabernaculi nonnulli volunt, nec improbabile est. *Alii tamen putant*, inquit *Clar. Relandus Ant. Heb. Part.* I. *Cap.* IV. §. V. *Unum circuitum suffecisse huic exiguo Altari, maxime quum nullorum præterea mentionem faciat sacer scriptor, & formæ altaris portatilis vix convenient.* Talmudici apud *Cramerum, cap.* V. כרכוב *Ambitum* Altaris Mosaici de Ambulacro Sacerdotum in Capite ejus explicant, quodque, & spatium inter cornua, & aliud interius cubitale, comprehendisse volunt. Quidquid sit Sacerdotis solius erat pedibus calcare Altaris סובב *ambitum*, vel סובבים *ambitus* duos, dum ei ministrabat ex Lege. *Levitis* ipsis

ipsis interdictum erat sub *pœna mortis* ad *Altare accedere*, *Abaronidis* tantùm demandata erat *omnis Res Altaris* כל דבר המזבח / *extraneus* verò, si accesserit, *occidi* debebat *Num.* XVIII: 3. 4. 5. 6. 7. Unde Paulus *Hebr.* VII: 13. *Nam is de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet,* ἀφ᾽ ἧς οὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ, *de qua nullus attendit,* operam dedit, *altari.* Conf. 2 *Chron.* XXVI: 16. 17: 18. Imo & nulli nisi Sacerdoti Altare tangere ejusque cornua licuisse volunt Judæi, atque Legem illam *Exod.* XXI. 14. *Et cum superbierit vir contra proximum suum ad occidendum eum in astutia, etiam ab altari meo rapito eum ad mortem,* de Sacerdotibus accipiunt.

XVIII. Quoniam itaque David ex Tribu Judæ fuit, hinc Difficultas oritur, quomodo sibi *circumitionem Altaris Domini* tribuere queat hoc in Loco, utpote quæ solis Aaronicis Sacerdotibus incumbebat & licita erat ex Lege Divinâ. Verùm difficultas hæc non est tanta, ut literam me deserere, atque ad Veterum & Recentiorom allegorias amplectendas cogat. Quales apud *Hieronymum*, *Bedam*, *Lombardum*, *Hugonem Cardinalem*, aliosque, legi possunt. Juxta hos enim *Altare* hoc *Domini* esset; Vel ipse *Christus*, ita dictus a Paulo *Heb.* XIII: 10.; Vel *eminentia* Sacerdotii ejus impassibilis & immortalis in cælo; Vel *sublimia* cælestis *Hierosolymæ* loca, ad quæ nemo pertinget, nisi qui sit lotus manibus & mundus operibus, & ubi æternarum laudum voces & cantica audiuntur; Vel *Mens* propria, in quâ Deo vota offeruntur, & quæ virtutibus ornari, ac quotidie per discussionem & circumspectionem circumdari debet; Vel denique *Fides*, in quâ debent offerri hostiæ bonorum Operum, & cui quodlibet munus nisi sit innixum, non est Deo placiturum, quodque Altare circumdari debet defensione articulorum fidei; *&c.* Quæ subtiliter excogitata præter rem heic dici, quilibet facile animadvertit.

XIX. His Veterum glossis præferenda quidem, haud tamen sequenda videtur *Lucæ Osiandri* Expositio hujus pericopæ,

copæ, *& circumdabo altare tuum Domine*, quæ ita ſe habet; *Ego amplector eos cultus qui tibi placent*, *quos tu mandaſti*. *Altare* enim *Domini* ipſi eſt, *quod juxta expreſſum verbum ejus eſt ædificatum & inſtitutum*, *non excogitatum humano arbitrio*; quodque metonymice pro cultu omni à Deo inſtituto ac ipſi placente accepit; ac *Circumdationem* ejus *ſpiritualem* intellexit, quæ fit mente, intellectu, cogitatione, meditatione, deſiderio, amore ac curâ omni. Non divagatur quidem hæc Explicatio a ſignificatione verbi סבב / quod in *pihel Circumdandi* non modò notionem habet; ſed etiam ſpirituali ſenſu accipiendum videtur, *Deut.* XXXII: 9, 10. *Pars autem Domini*, *populus ejus*: *Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invenit eum in terra deſerti*, *& in vaſtitate ululatus ſolitudinis*, יסבבנהו *Circumdedit eum*, amplexu conjugali, amore & defenſione potenti, *erudiit eum*, *cuſtodivit ut pupillam oculi ſui.* Attamen minus placet hæc quoque Expoſitio quia tropum non unum in Textu ſtatuit, ad quem declinare non oportet abſque neceſſitate, quam hactenus non comperio

XX. Proprietati itaque literæ inhærens, non aſſumam, ad diluendam hanc difficultatem, R. D. *Kimchii*, etiam apud *Viccars* ad hunc Locum, notatam, & a *Petro Martyre* in 1 *Sam.* VII: laudatam, hypotheſin, quod *ante Templum ædificatum*, *quilibet abſque peccato obtulerit ſacrificium ſuum.* Hæc enim, (quatenus etiam extenditur ad *Altare Domini*,) minime probatur ex locis, ubi *Samuel* Levita 1 *Sam.* VII: 9. 10., *Saul* ex Benjamin 1 *Sam.* XIII: 9. 10. 12. *David* ex Juda 2 *Sam.* VI. 17. 18. & *Salomo* 1 *Reg.* III. 4. IX. 25. ut & *Elias* 1 *Reg.* XVIII. 32. 33. ſacrificaſſe leguntur. Nam ſacrificatio his in locis memorata; vel peracta non fuit in *Altari Tabernaculi* de quo loquitur Pſalmus noſter, uti illa *Samuelis* in *Miſpa*, *Saulis* in *Gilgal*, & Eliæ; vel *per Sacerdotes* mediatè facta fuit, uti illa *Davidis* & *Salomonis*, & forte *Samuelis* quoque, ut & *Saulis*. Quamquam de Samuele extra ordinem ad id à Deo vocato multi haud abſque omni ratione credant, ipſum immediatè ſacrificaſſe quandoque; nunquam tamen in Lo-

Loco ſacrificiis ordinariis aut quibuſvis populi deſtinato, utpote in quo Sacerdotibus Aaronicis tantùm ſacrificare licuit. Saltem *David* ex *Juda* oriundus, nunquam acceſſit ad *Altare Jehovæ*, ad offerendum ei, niſi per Sacerdotes Aaronicos, quod ob Auctoritatem Pauli *Heb.* VII. 13. firmiter tenendum eſt.

XXI. Non dicam quoque, ut ſolvam difficultatem illam, hæc eſſe *verba Sacerdotis Levitici*, qui à Davide Auctore Pſalmi heic loquens introduceretur. Novi quidem à variis aſſumtam hypotheſin, quod David, in *Pſalmis Iſraëlis*, quandoque in perſona ſuâ, quandoque Eccleſiæ totius, quandoque Capitis ejus, quandoque iterum certæ partis ejus, loquatur; nec eam ſimpliciter improbo. Concedo etiam juxta hanc hypotheſin, potuiſſe eum heic loqui in Perſona Sacerdotis Aaronici, quia Sacerdotes præcipuam Eccleſiæ partem conſtituebant. At vero iſtius modi perſonarum mutatio nec temerè nec ubique in Pſalmis ſtatuenda eſt. Quod verò in verbis noſtris non loquatur Sacerdos, exinde colligi poſſe exiſtimo, quia *manuum* quidem, nulla verò *pedum* mentio fit in iis, *quos* tamen Sacerdos ante ſacra æque lavare debebat ac *manus*, ac proinde Sacerdos Aaronicus dixiſſet in Textu, *Lavo* manus *&* pedes *meos & circumeo altare tuum Domine*.

XXII. Neque urgebo illud, Davidem circuiviſſe Altare Domini, *Mediante* nimirum *Sacerdote pro hominibus* ſubſtituto *Heb.* V. 1. quo ſenſu ſæpius dicitur *obtuliſſe ſacrificia*, uti ſupra monitum eſt. Nam minus apta ſic foret Textus cohærentia, ſi præmiſſa *Lotio manuum*, ad cultum ſacrum præparatoria, eſſet actio *ipſius* Davidis, & *circuitio altaris*, præparationis iſtius conſequens, *non ipſius* Davidis ſed Sacerdotis, ejus nomine agentis, eſſet operatio. Conjunguntur enim hæc manifeſtè in eadem perſonâ in Textu. Unde & illos ſequi nequeo, qui de *Cantorum Choris*, a Davide inſtitutis, ut altare circumirent, atque laudes Jehovæ canerent *Eccleſiaſt.* XLVII. 11. heic cogitant, apud *Le Blanc*.

XXIII. Minus denique nunc placent mihi quam anteà cogitata *Clar. Gussetii*, ad verbum חטא qui Nomen Figuræ ac Typi moralis heic datum fuisse à Davide rei spirituali figuratæ contendit. Noverat nempe ille Sacerdotes in Opere suo, & speciatim in Circuitione Altaris ipsius, figuras esse Fidelium Morales, eorumque functiones corporeas adumbrare certos Fidelium Actus in spiritu & veritate exercendos. Atque hinc est quod tribuat sibi, phrasi petita ex Figura Veteri, id quod eâ Figurâ adumbratum erat; attentam nempe meditationem, & contemplationem, ac receptionem Sacrificii Messiæ, Victimis Legalibus præfigurati, quam *Circuitio Altaris*, quæ Sacerdotis erat, ut decentem & necessariam ob oculos ponebat atque effigiabat.

XXIV. Supponitur scilicet in hisce ut & aliis supra memoratis Cogitatis, quod Litera Textus agat de *Circuitione Altaris* ipsius, quæ *Sacerdotibus propria* erat; sed malè. Intelligenda sunt verba hac de *Circumdatione Altaris*, vel potius *Circumitione ejus*, quæ in *Solo Atrii* à privatis fieri poterat, & fiebat quandoque, ita nempe ut ipsum Altare, ejusque Fundamentum, Ambulacra Sacerdotum in ejus medio & superficie, ac cornua ejus, ne tangerentur quidem. Ad significationem *simul & undiquaque Circumdandi*, quæ inest quoque verbo סבב attenderunt illi, qui cum *Aben Ezra* Davidem respexisse judicant, ad hostias à se tanta copia, *manu Regis*, ut est 1 *Reg* x. 13. offerendas, ut in circuitu Altaris colligari deberent, illudque undiquaque cingerent, atque *circumdarent*; quemadmodum legitur *Psalm*: CXVIII. 27. *Ligate* חג sacrificia *Festi funibus*, *usque ad* קרנות *cornua* angulos latera *Altaris*. *Vinctæ* fuerunt hostiæ, cùm *in atrium adducerentur*, mactationem ibi exspectantes, sive *homines tenuerint funes*, sive *hi parietibus fundoque annexi fuerint*. *Multitudinis* verò *argumentum fuit*, *si alia atrii loca animantibus tam referta essent*, *ut ad aræ quoque latera ea admoveri oporteret*, *quo Israëlis vulgus raro admit-*

mittebatur. Neque *id locum habuit nisi in Festis*, unde *Sacrificia ista* חג Festa *appellat. Tum verò ista hortari non frustra fuit, quia Deus* τοῖς ἑορτάζουσι *certum victimarum numerum non præscripsit, sed ipsorum pietati liberalitatique reliquit*, uti bene monuit *Doct. Cramerus* de *Ara Exter. Cap* v. §. III. Laudavit hanc explicationem *Bucerus. Ebræi ad hostias referunt quibus altare Domini circumdederit, & non abs re. Nam ut ardebat studio Dei ardentissimè, ita crebris id hostiis testari summa voluptate studebat.* Verum sic *Circumdatio* Altaris ipsi *meditate* rursus per hostias tribuitur, cum ἀκολουθία membrorum textus potius suadeat, ut utrumque Davidi *immediatè* attribuamus. Deinde commendatior evaderet hæc exegesis, si *Votivè* dixisset, *lavabo* manus, & *Circumdabo* Altare, solenni illo lætitiæ die scilicet, quo Tibi pro Liberatione meâ ab hostibus publicas referre gratias constitui. Atqui *Votivé* non putem eum hæc protulisse verba, sed *Narrativè.* In sinceritatis enim Argumentum adducit cultum Deo ex animo & Fide Messiæ, non semel, vel aliquando, solenni occasione, sed *frequenter* à se præstitum & fieri solitum in Tabernaculo.

XXV. Quæ Observatio militat quoque adversus illorum Expositionem, qui cum *Jarchio*, (loquente heic de לולב *Lulaf ramorum fasciculo*, quem furtum vel raptus faceret profanum, a quo crimine se immunem heic testaretur David, *innocentiam* suam commemorando) respexisse Davidem autumant ad *solennitatem Festi Tabernaculorum*, quando ramis salicum elevatis ad latera Altaris, ita ut extremitates inclinatæ essent super altare, hoc quadantenus *circumdabant*; & præterea cum *Lulaf* manu gestato singulis diebus Atrium ingrediebantur, & (non promiscuè plebeji, sed maximè Viri muneribus spectabiles, vel etiam sapientiâ eruditione & pietate insigni celebres, qui in *hac Lætitiâ* Festi *prima*, æque ac in *Saltationis tertiâ* illâ, uti videtur, Actores fuere præcipui), quolibet die *circumibant* altare semel, septimo autem die septies, *Hosanna* ex *Psalm* CXVIII. occinentes.

tes. Vide Tractatum Mischnicum סוכה / & *Othonem* in *Lex Rabb.* de *Festo Tabernac.* aliosque. Huc Locum nostrum spectare verosimile judicat *Clar. Altingius* in *Deut.* XVI. 13. *Habuit hoc Festum* (Tabernaculorum) *triplicem lætitiam propriam. Prima est, quam* Hosanna *vocant. Quæ Levit.* XXIII. 40. *mandantur de ramis accipiendis, intelligunt Judæi non pertinere ad tabernacula conficienda (quod tamen factum Neh.* VIII. 16.) *sed quatuor illas species gestant, ramos palmarum, myrti, & salicis colligatos in fasciculum, manu dextra, sinistrâ autem pomi citreæ; atque sic* circumiverunt altare semel *singulis diebus, moventes ramos illos sæpius quaquaversum; dum recitabatur Psalmus* CXVIII. *exclamabant autem gestantes ex eodem Psalmo vers.* 25. Hosanna Hatslichanna; *die septimo autem eodem ritu* circumibant altare *septies, & ingeminabant eadem verba*; unde Hosanna rabba *appellatur.* חוּג *affine* (sc. τῷ חג) circulum *notat, unde* חגג *redditur* circulum obivit, *huc forte spectat illud Ps.* XXVI. 6. *obeo altare tuum.* Procul omni dubio Lætitia hæc prima Festi Tabernaculorum à Talmudicis descripta serioris ævi est, quam ut David ad eam omnem respicere potuerit, pars aliqua tamen hujus Lætitiæ, nempe *Circuitus Altaris*, isto Festi tempore, solennior cum saltatu & tripudiis forte obtinuit. Verùm David hîc non ad *solennia* adeo quàm *ad quotidiana* potius Sacra respexisse videtur.

XXVI. Scilicet in *Atrium* Tabernaculi admissi quoque fuere privati, hostiam Deo Offerentes. Hanc enim adducere debebant ante ostium Tabernaculi conventus, & constituere לפני יהוה *coram facie Jehovæ*, id est, in Atrio, eique ibi manus suas imponere, *Levit.* I. 3, 4. Imo & mactationi ejus, & excoriationi atque dissectioni interesse, operamque ipsimet dare poterant, quemadmodum Judæi haud inepte colligunt ex *vers.* 5. *Et mactabit filium bovis coram facie Domini, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem, & spargent sanguinem super altare circum; &c.* Adeo ut erret *Le Blanc*, quando scribit, in *Atrium Levitarum*

non licebat Laicis ingredi. Maximè verisimile est, pios Israëlitas permansisse aliquantisper in Atrio, oculatos testes eorum quæ a sacerdote peragebantur in Altari, imo hoc, ut melius omnia contemplari possent, etiam *circumivisse*, quod utique Lege nullâ prohibitum erat. Rectè *Amesius* in Locum hunc, ad Quæstionem, *Quid est circumire Altatare?* respondit: *Cultum præscriptum diligenter & alacriter celebrare. Populo enim non licebat attingere altare, sed spatio quodam interposito contemplari, quæ ibi agebantur: qui autem maximo cum zelo hoc agebant, ut possent omnia quæ ibi fiebant diligentius observare, non stabant ab una parte, sed circumcirca movebant sese, ut suis oculis eò plenius usurparent illa quibus tantopere afficiebantur. Simile quid significatur cum eo quod David fecit in deportatione Arcæ 2 Sam.* VI. 14. Apud Gentes varias hoc etiam in usu fuisse, ut sacrificantes Deorumque præconia canentes *Circumcurrerent aras*, breviter adnotavit *Isidorus Hisp. Orig: Lib.* XIX. *Cap.* XXX. *Nomen* coronæ *hac ex causa vocatum quod initio* circum aras curreretur, *atque ad imaginem circuitus vel chori est formata & nominata corona*, sed fuse docuit *Le Blanc* ad Locum nostrum; qui quidem *Circuitum Altaris* à Davide ipso pedibus corporeis conficiendum recte intelligit, sed male extra Atrium collocat Davidem, dum ita commentatur. *David non poterat altare holocaustorum ex omni parte circuire, quia erat in Medio atrii Levitarum, in quod non licebat laicis ingredi, sed poterat tantum à parte orientali, meridionali & septentrionali hoc facere. Nam tabernaculum erat in parte occidentali.*

XXVII. Quando itaque dicit David se *circuire Altare*, testatur; se manus lavare ut Victimas Deo offerret, lotasque eis imponeret; se porrò non statim abire ex Atrio, sed permanere aliquantulum, atque adstare non modò Altari, sed & illud successive Circumire, atque omnia quæ in Altari fiebant attentis oculis contemplari. Nimirum I. ut fidem suam in Messiam sponsorem moriturum ut Victimam

Vicariam pro Electis hoc amœnissimo spectaculo pasceret, sacrificiis nempe in Altari oblatis, quæ figuræ erant Messiæ offerendi olim, & sacramenta gratiæ Dei in Christo erga Fideles: confer *Psalm.* xxvii: 4. II. Ut *audire faceret Vocem* תודה *Confessionis*; *tum* peccatorum suorum, quæ dignum se effecerant, ut igne iræ divinæ æternæ consumeretur: *tum* Virtutum divinarum Justitiæ inprimis & Misericordiæ, in substituto Sponsore divino conspicuarum, cum *laude* illarum, ebuccinandâ à Cantorum Choris a se assumtis, quibus ipse immistus foret, imo quos præiret lætus; & cum *gratiarum actione* humili pro gratiâ in Christo accepta, & reliquis beneficiis omnibus inenumerabilibus, vers. 7. III. Et tandem ut sic laudando Deum eique gratias agendo, *enararret omnia mirabilia Jehovæ* vers. 7. id est; *Opera* ejus Naturæ non modò sed Gratiæ præcipuè, in Electorum mirabili Redemtione per Mediatorem Divinum, ejusque sanguinem fundendum certò; & *Mysteria* fidei quoque captum humanum superantia, decentissima tamen & necessaria ad salutis peccatoris procurationem, quale est Mysterium Trinitatis & Incarnationis Filii futuræ; *&c.* & denique *Veritates latentes* sub Cerimoniarum Leviticarum involucris, atque Tabernaculi Mosaici umbris.

XXVIII. Undeapparet & confirmatur valide, Davidem aliosque pios probè scivisse atque tenuisse Typicam in Sacrificiis Leviticis, omnique Cerimoniarum choragio fuisse Christi sponsoris, & morituri pro Electis, præfigurationem. Deinde & Scopo Davidis hæc cuncta optimè militant. Etenim vult probare *sinceritatem suam* Domino. Producit aptissime hunc in finem manus, non modo physicè vel cerimonialiter, sed moraliter mundas, cum mente purâ conjunctas. Deinde ne videretur dolosè suam innocentiam legaliter imperfectam loco perfectæ justitiæ se velle obtrudere Deo sanctissimo, testatur de Fide sua in Christum moriturum, quam ut exerceret magis vividè cum abnegatione omnis justitiæ propriæ; *circumibat* altare, ut Typi-

Typicos Victimarum in eo oblatarum sensus scrutaretur, illasque ut Sacramenta misericordiæ Dei in Christo erga se oculis usurparet suis. Atque adeo ostendit, se quidem externas cerimonias religiosissimè observare, in iis verò non hærere, sed Deum spiritu etiam & magis colere, eumque amare ἐκ πίστεως ἀνυποκρίτου. In quibus utique signa sinceritatis in Religione præcipua comparent.

XXIX. Tandem quia hoc nemini præter semet ipsum nisi soli Deo notum esse poterat, idcirco *Provocat* ad Jehovæ omniscientiam, dicendo & addendo in fine versus יהוה *Jehova*. Sic invocat Jehovam solum Adorabile Numen. Sic testatur se illi soli, ut decet, offerre holocausta & victimas suas omnes. Sic videtur restipulari gratiam Mediatoris omnem in Fœdere Abrahamico promissam credenti in semen ejus. Sic tandem Jehovam omniscium Testem suæ sinceritatis esse vult, quod facere ausus non fuisset, nisi integritatis animi sui habuisset conscientiam. Est itaque quasi dicat: Jehova! Tu scis animum meum fraude vacuum; Tu nosti me ita lavare manus cum innocentia, & circumire Altare tuum, meditando sacrificium Messiæ tui certissimè futurum, credendo in illum ad justificationem meam coram Te, laudando denique Misericordiam tuam infinitam erga me, & tandem me Tibi vicissim offerendo in hostiam gratitudinis humillimæ; atque adeo Te minime latet *me ambulare in integritate mea* בתמי coram Te.

XXX. Sic clarissimè, ut hoc Coronidis loco addam, in Davidis Exemplo apparet: Veteres mysteria Tabernaculi & Altaris Levitici probè intellexisse: Fideles puritati morali simul cum observatione externorum rituum studere, ex Fide in Messiam, nitentes unicè hujus justitiâ sola coram Deo: Pios denique se præparare ad cultum Dei publicum & solennem decenter, & non nisi puris cordibus & manibus, lacrymis pœnitentiæ, sanguine Christi, & Spiritus sancti flumine lotis, se conferre ad preces, ad Verbi Auditum & Lectionem, & imprimis sacræ Cœnæ Usum.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA

DE

AMOENITATIBUS SEU MYSTERIIS TABERNACULI LEVITICI, A PIIS VETERIBUS INTELLECTIS AC CREDITIS.

AD

PSALM. XXVII: 4.

I.



Ide in Deum, & quæ ferebatur modò in generale gratiæ & favoris Divini promissum, vitâque juxta Dei voluntatem sincerè compositâ, justificatos fuisse Patres ante Christum, tenent *Remonstrantes* in *Confessione Cap.* VII. §. 8. Fidem autem justificantem illam, quâ creditur, Messiam moriturum esse ut victimam piacularem, & morte suâ redemtionem populo suo impetraturum, ex *præcepto* fuisse *necessariam* ad salutem illis, & *exercitam*, aut etiam simpliciter *viguisse* sub V. T. ex Scripturis *probari* posse negant *Iidem* in *Apologiâ* pro *Confessione Cap.* VII. Etsi Fidem historicam in Christum venturum, non salutarem, & in Samaritanis quoque locum habentem *Joh.* IV. 25. in multis, serioribus inprimis temporibus viventibus *Luc.* II. 38. vel etiam si ita placet in Christum simpliciter moriturum, in nonnullis obtinuisse concedant, *Ibidem*, ut & in *Respons.* ad *Specimen decimum Calumniarum*, uti vocant. Nempe obscurissimas esse, quæcunque sint, de Christo *Morituro* *pro*

pro peccatis mundi, & Resurrecturo, Regnoque ejus spirituali, prophetias, atque adeo *vix ulli intelligibiles* fuisse, contendunt, atque probare conantur: *tum* ex *Typo Jonæ* à Domino adducto verisimiliter quia apertiora prædictionum de morte & resurrectione Messiæ verba non extabant, vix tamen ab ullo pro *Typo prophetico* habendo, nisi Christus ipse id explicuisset: *tum* ex *Apostolis* Christi, qui Jesum Dominum suum pro Messia ac Filio Dei habebant quidem, at de Morte & Resurrectione ejus, etiam post iteratam utriusque pædictionem à Domino factam, & prōvocationem ad Prophetarum Vaticinia, dubitabant non modò, sed & sermone ejus offendebantur, eumque à periculo mortis subeundæ dehortabantur: *tum* ex *Judæis hodiernis* præfractè negantibus Messiam fore moriturum, aut ex morte resurrecturum, atque Christianam Religionem pertinaciter eo solùm nomine respuentibus quòd Messiam sive Auctorem ejus mortuum ac crucifixum tradat atque agnoscat: *tum* denique ex *Lege*, quam *umbras* habuisse rerum *futurarum* Paulus non uno in loco affirmat, quæ dicta ejus *colorem non haberent*, si clara de morte Christi expiatoria in *Lege* & *Ceremoniis Leviticis* extaret prædictio. Dicunt porro se quidem præfractè negare nolle has ceremoniales de Morte Christi piaculari prophetias, ut & verbales alias, intellectas fuisse; verùm addunt, *Fidem* in Christum *moriturum pro peccatis mundi*, ejusque *Cognitionem*, Deum ab ipsis non efflagitasse, neque ipsis ad salutem necessariam fuisse, cum Deus gratiam Christi, sub generali favoris Divini promisso comprehensam etiam, & figuris typisque adumbratam & velatam, ipsis applicare potuerit, sive *eam per typos illos ac umbras respexerint*, *sive eam non respexerint*, *sed extra Legis literam nihil ulterius cogitarint*, uti loquitur *Limborchius Theol. Christ. Lib.* III. *Cap.* IX. §. XXIII. imo ajunt, quod, si forte obtinuerit hæc *Fides* & *Cognitio* Christi *morituri* & se *oblaturi pro peccatis mundi*, ea in *paucis* tantùm locum

 ha-

habuerit, & *sapientioribus*, cæterum & *hoc ipsum*, quòd nonnulli *intellexerint* tales Prophetias, & speciatim *cæremonias Legales* de *morte* Christi *vicariâ vaticinantes*, ex Scripturis *difficulter admodum probari* posse contendunt. Ipse *Arminius* in *Apologia* sua *adversus Articulos* XXXI. ipsi objectos, ut in quibus essent ἑτεροδοξίας ejus specimina, ad *Articulum* XI. qui ita se habebat; *Dubium esse, an Fideles in Veteri Testamento intellexerint, ceremonias Legales fuisse Typos Christi & beneficiorum ejus*, hunc in modum respondit. *Non memini me unquam id dixisse, imo non dixisse scio, quia necdum ausim dicere: sed dixi, quousque Veteres intellexerunt* ceremonias legales *Christi* Typos *fuisse, non inutiliter inquiri posse: saltem non intellexisse prout jam patefacto Euangelii mysterio intelligimus, mihi certum est, nec puto esse, qui negare ausit. At* velim fratres nostros operam sumere probandi, quod fideles in V. T. id intellexerint. *Sciunt enim id ipsum, non modò in dubium vocari à nonnullis, sed & fidenter negari. Experiantur & videbunt quam* id futurum sit difficile. *Loca enim quæ id probare videntur tam speciose ab adversariis ipsis eripiuntur, ut qui non solet assentiri nisi bene probatis, facile ad dubitandum induci possit, an fideles sub V. T. istius rei notitiam habuerint: præsertim si cogitet, totam* veterem Ecclesiam in infantili ætate fuisse, *Gal.* IV. 3. *ideoque ut* infantem *sapuisse, cui an competat in istis corporalibus videre* spiritualia, tanquam per ea significata, *dispiciant, qui norunt id dictum;* Quum essem infans, ut infans sapiebam. *Inspiciantur & ipsa loca, quæ nos dicimus* typicam *habere* significationem *jam à Christo & Apostolis edocti, an tam sint plana, ut absque Messiæ prævia interpretatione ea intellecturi fuerimus secundum spiritualem intelligentiam?* post nonnulla ad rem hanc spectantia inserta, ita de *Davide* ipso porrò loquitur. *Quis plures de* Messia promissiones *accepit, quam* David, *aut plura de illo vaticinatus est? attamen*, non immeritò quis dubitet, *an* David intellexerit Messiam *fore* Re-

gem

gem ſpiritualem & cæleſtem (*qui* ſcilicet *ſuis bona dat cæleſtia, paſſione & morte ſua impetrata*) *quum ille, ubi cor ſuum effudiſſe videtur ad Dominum* (2 Sam. 7.(*ne verbo quidem* ejus ſuæ intelligentiæ *indicium præbeat, quod tamen magnopere ad magnificandum Jehovam, & fiduciam ſuam confirmandam pertinebat, &c.*

II. Quando ita ſentiunt cum *Socinianis* & *Anabaptiſtis*, atque loquuntur *Arminiani* de *Fide* in Chriſtum moriturùm pro peccatis mundi *ſub V. T.* nec *neceſſariâ* ad ſalutem, nec *præceptâ*, nec *exercitâ*; ut & de ingenti *obſcuritate* Prophetiarum de Morte Meſſiæ piaculari, ac de *Typis Legalibus* haud olim *intellectis*: (nam intellectas fuiſſe non poſſe ſolidè probari exiſtimant:) *Primò* tollunt præcipuum Unionis noſtræ myſticæ cum Chriſto ſponſo & ſponſore Vinculum, quòd eſt *ſola Fides*, quæ ceu *Conſenſus conjugalis* connubium cum Chriſto ratum facit, & introducit communionem omnium bonorum ejus, cum quo facti ſumus *una caro*, *coll. Epheſ.* v: 31, 32. quod neque *Amor ejus*, neque *Pœnitentia*, neque *Obedientia* mandatorum Dei efficere poteſt; *Amor* enim & *Obedientia* alteri præſtita non faciunt conjugium, ſed *Conſenſus*. Hæc cum Chriſto *Unio arctiſſima* & inprimis *conjugalis*, neceſſaria eſt omni peccatori ſalvando ad remiſſionem peccatorum & jus vitæ æternæ obtinendum. Euangelium enim non perimit Legem *Rom.* III. 21. 31. nec Gratia juſtitiam Dei *Exod.* XXXIV. 6. 7. *Rom.* III. 24. 25. 26. *Heb.* II. 10. Et quia juſtitia Dei pœnam peccati exigit æternam ſecundum Legem, & Lex conſummatiſſimæ obedientiæ addicit vitam *Gal.* III. 10. 12. inde neceſſarius peccatori electo factus eſt ſponſor, qui pœnam æternæ æquivalentem pro eo ferat, & perfectiſſima obedientia Legis δικαίωμα impleat. Unde quoque eſt neceſſaria Unio cum Sponſore conjugalis, qua evadit is una cum illo caro. Non patitur enim juſtum Dei Judicium, ut juſtum cenſeat aliquem qui Juſtitiam non habeat. Non habet verò juſtitiam ullam peccator, niſi in Chriſto, & per

per mysticam arctissimamque illam Unionem cum Christo *Jer.* XXIII. 6. 2. *Cor.* V. 21. 1. *Cor.* I. 30. Quæque ideo tantopere inculcatur in Novo Testamento, ubi Fideles sexcentis in Locis dicuntur esse *in Christo*; & celebratur pariter in Veteri Testamento, in *Psalmo* XLV. *Cantico Canticorum toto*, *Jes. Liv.* 5. *Hos.* II. 18, 19. quia scilicet in eâ est fundamentum justificationis peccatoris coram Deo. Vinculum verò hujus Unionis præcipuum, absque quo Unio hæc nullatenus consistit, est *Fides* actualis in Christum moriturum olim nunc mortuum in Adultis, vel *Spiritus fidei* in Infantibus electis. Uti igitur Veteres electi justificati fuère propter justitiam Sponsoris certò adducendam *Rom.* III. 25, 26. *Heb.* II. 10. IX. 15. ita etiam necesse est ut Unionem cum eo habuerint per *Fidem.* Si vero hanc Fidem justificantem non habuerint, neque etiam verè justificati nec salvati fuerunt. Unde liquet Remonstrantium ex Socinianorum lacunis haustum hoc dogma fundamentum salutis peccatoris penitus evertere. Fide enim in Deum modo & generalium ejus promissorum, vitâque Sancta Unio hæc mystica cum Christo confici nequit, sed solo assensu amplexuque fiduciali oblati Sponsoris & Sponsi, sive in Promissione Typisque & Imaginibus Legalibus, sive in Veritate Evangelii impletionis. Et frustra omnino hanc suam perniciosam hæresin Remonstrantes palliare student, dicentes cum *Arminio* duce, fidem generalium divini favoris promissorum & quæ ferebatur in umbras & Typos Christi, potuisse censeri pro fide in Christum, & si Veteres haud intellexerint Umbras illas esse & Typos Christi, quia hæc revera est *umbra* modò Fidei justificantis, quâ nec Deus Judex nec Sponsus ipse & Sponsor sibi illudi patiuntur. Et temere admodum in *Apologia* pronunciarunt iidem: *sufficit Christianis iisque qui sub N. Testamento vivunt, ut fidem in J. Christum necessariam esse ad salutem intelligant, & an iis qui sub V. Testamento vixerunt & mortui sunt necessaria fuerit, Deo relinquant.* Frustra quoque & ad fallendum com-

composito animo hanc perniciosam sententiam suam tueri quodammodo conantur in *Apologia Cap.* VII. adducto scilicet consensu Patrum nonnullorum *Justini*, *Clementis Alexandrini*, & inprimis *Chrysostomi*, statuentium *sine Christi notitia confessione & fide salvari potuisse & salvatos esse complures ante natum & revelatum Christum*, quorum Patrum *dicta prolixe recensuit Isa. Casaubonus*, *Exercit.* I. ad *Apparatum Annalium Baronii*, & *hac eadem ratione interpretanda esse fideliter monuit*. Silent enim de eo quod *Casaubonus* præmiserat: *Neque enim negari videtur posse*, *Doctrinam de justificatione peccatoris*, *& caussâ meritoriâ salutis*, *primis Ecclesiæ temporibus*, *& fere ante divini ingenii Virum B. Augustinum*, *vix satis dilucidè fuisse expositam.* Quia igitur Euangelium æternum denuo est promulgatum, & justificationis Doctrina, à quâ incepit opus Reformationis, dilucide exposita est ex Vèrbo Dei, haud certe absque gravissimâ culpâ nunc temporis in hoc stantis & cadentis Ecclesiæ articulo errari potest. Callidè quoque dissimulant ea quæ *Casaubonus* subjunxit, nempe hæc *dicta duriora interpretatione commodâ mollienda esse*, & intelligenda de *clara & perspicuâ*, *atque ut Scholastici loquuntur*, *explicitâ Christi notitiâ*, (cujus intuitu ipse Paulus dixit *Fidem* nunc *venisse*, *Gal.* III. 23.) *non de obscura*, *ænigmatica & figuris involuta*, *qualem Adamus*, *Patriarchæ*, *& pii deinceps omnes*, *vaticiniis de venturo Christo*, *& symbolis typisque legalibus*, *aut peculiari revelatione sunt consecuti:* & quæ ex loco uno atque altero ex *Chrysostomo* adducto evidenter probat Vir Eruditissimus; quibus addam nunc id quod habet idem *Chrysostomus Hom.* LIV. in *Joh.* ubi Abrahamum diem Crucis Christi vidisse docet: τὴν δὲ ἡμέραν ἐνταῦθά μοι δοκεῖ λέγειν, τὴν τοῦ σταυροῦ, ἣν ἐν τῇ τοῦ κριοῦ προσφορᾷ καὶ τῇ τοῦ Ἰσαὰκ προδιετύπωσε.

III. *Secundò*, *Inepti* sunt Remonstrantes; *negantes Locum ullum esse in V. T. unde appareat fidem in Christum moriturum* directe atque apertè *præscriptam*, *atque ex præscripto exercitam fuisse*, *Respons ad specimem* X. *Calumniarum*; si per

directum ac apertum *præceptum*, uti videntur velle, intelligant tale, *Credite in Jeſum Chriſtum*, *Filium Dei & Mariæ Virginis*, *Bethleemi naſciturum*, *& Hieroſolymæ moriturum*, *atque à Judæis ipſis Crucifigendum*, *ut Victimam piacularem pro peccatis mundi*, quia ejusmodi *apertum* præceptum in V. T. extare, vel convenienter divino Conſilio extare potuiſſe nemo ſanus & ſobrius unquam dixit aut cogitavit. Præterea *Iniqui* ſunt *Arminiani*, ſi in *Reſponſ: ad ſpecimen* x. *Calumn:* cum Veteribus ac Recentioribus Hæreticis *Conſequentias* innatas nolint hac in cauſſâ admittere, ſed poſtulent, ut controverſa ſibi totidem literis ac ſyllabis in ſcripturâ monſtrentur. Denique palam *Falſi* ſunt, ſi, quantum attinet *directum* & pro ratione Oeconomiæ Veteris *ſatis apertum* ac *intelligibile Mandatum fidei juſtificantis* in Meſſiam Redemtorem ſpiritualem; negent *ullum dari locum in toto Veteri*, & *in toto Novo Teſtamento*, ex quo tale mandatum datum fuiſſe appareat. Manifeſtè enim Præceptum fidei juſtificantis in Meſſiam datum eſſe Veteribus liquet ex *Jeſ.* XXVIII. 16. *coll.* cum *Rom.* X. 10. 11. 1 *Pet.* II. 6. & ex *Habak.* II. 4. *coll.* cum *Rom.* I. 17. *Gal.* III. 11., & ex *Act.* X. 43. & ex 2. *Tim.* III. 15. *Teque à puero* ἀπὸ βρέφους (quando ſcripta N. T. nondum extabant) *ſacras literas noviſſe*, *quæ te* poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: quæ poſtrema verba continent *Modum*, quo poſſunt ἱερὰ γράμματα illa σοφίσαι Judæum *ad ſalutem*, nimirum quia *fidem* tradunt atque præcipiunt in Chriſtum: & denique, ne plura adducam, ex illuſtri oraculo illo *Gen.* XXII. 18. והתברכו בזרעך כל גויי הארץ *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* In quibus verbis eſt *promiſſio* juſtificationis gratuitæ facta primò genti Iſraëliticæ ex Abrahamo, dein & reliquis, neutiquam per Legem poſtea ſuper ingreſſam irrita facta, & ſimul *præceptum fidei* in *Semen* promiſſum quod eſt *Chriſtus*, quà *uniantur* cum eo, ut Deus juſtus ſit juſtificans eum qui eſt ex fide Chriſti, *conf.* *Gal.* III. 8. 16. 19. *Gen.* XII. 3. *Act.* III. 25.

IV.

IV. *Tertio*, nimiùm quoque exaggerant *Obscuritatem* Legis umbratilis Verbique Prophetici, quod *Lumini*, quamvis minori & obscuriori, attamen *Lumini*, comparatur *Psalm:* CXIX. 105. 2 *Pet.* I. 19. quemadmodum & *Lex Jehovæ* dicitur *sapientiam afferre imperito Ps.* XIX 8. & tota *Scriptura V. T.* laudatur, ut in quâ est sufficiens instructio de Christo, salutis unica viâ, omni salvando, *Luc.* XVI 29. *Joh.* V. 39. 46. 47. 2 *Tim.* III. 15. 16. 17. *Deut.* XXX. 11-14. *coll. Rom.* X. 6. 7. 8. Et infeliciter hanc Prophetiarum Verbalium & Realium dè Christo morituro prò peccatis mundi obscuritatem probare conantur: *Tum* ex *Typo Jonæ*, adducto à Christo, certè non ex inopiâ prædictionum clariorum Verbalium, postea magno numero prolatorum *Luc.* XXIV. 27. verùm occasione *Signi* à Pharisæis postulati *Matth.* XII. 38-40. *Luc.* XI. 29. 30. *Tum* ex *Mortis* Christi *prædictæ ignorantia* in ipsis *Apostolis*, & reliquis *Discipulis* Domini, fascinatis opinione regni carnalis ab ipso in terris erigendi *Matth.* XX. 21. *Luc.* XXIV. 21. nec cogitantibus de Cruce à Christo subeunda, imo dehortantibus eum ab illâ, *Matth.* XVI. 21, 22, 23. à Domino meritò reprehensis; Si enim fuerit in ipsis *Ignorantia* mysterii Redemtionis per mortem Messiæ, hæc minimè ex Oraculorum Propheticorum obscuritate, sed ex temporis, quo vivebant infelicitate, coll. *Joh.* III. 10, 12, 14, 15. & ex communi tunc gentis Judaicæ per divinum Judicium Occæcatione *Jes.* VI. 9, 10. XXIX. 10. II. 12, 13. repetenda est; unde *aperuisse* scripturas Christum dicunt Emauntici, quando *Mentem* eorum *aperuit*, quia Scripturæ non erant clausæ in se, sed instar Libri clausi ob cæcitatem eorum; Petrus verò non magis ex defectu intelligentiæ Scripturæ obscurius scilicet prophetantis de Morte Christi, quam ex ignorantia clarissimæ prædictionis veracissimi Domini de morte sua violenta, nec non Johannis Baptistæ *Joh.* I. 29. dehortatus est eum, verùm ex incogitantia, & præcipiti impetu atque affectu amoris carnalis Domini abreptus dixit

ali-

aliquid tunc, ut & fecit sæpius, alienum ab eo quod satis compertum habebat: *Tum* denique ex *Judæorum hodiernorum* exemplo; hi enim divino judicio adhuc magis occæcati velamen cordibus in Lectione V. T. 2 Cor. III. 15. habent impositum, juxta Vaticinia supra laudata ex *Jesaia* Cap. VI. & XXIX., & crucifixio Messiæ ipsis grande offendiculum foret juxta Vaticinium *Zachariæ illud Cap.* XIII. 3, 4, 5, 6., quod explicavimus nuper in *Dissertationibus* nostris *Sacris*, *Dissert.* X: *Tum* tandem ex *Umbris Legi* adscriptis, quibus res futuræ adumbratæ vel potius velatæ fuerint; quia hæ *Umbræ* Legi tantum ceremoniali adscribuntur à Paulo, in quâ sunt *Prophetiæ* reales de *morte* Christi *expiatoria*, nullaque remissione sine sanguinis effusione expectanda unquam *Heb*, IX. 21. attendenti & conferenti *Legem* illam cum *Promissione*, satis *apertæ*; Deinde etiam ex *Umbris*, naturalibus inprimis ad quas Paulus *Coloss.* II. 17. *Heb.* VIII. 5. X. 1. alludit, corporis venturi qualitas & quantitas aliquatenus dignosci possunt; Ne dicam præter has reales prophetias etiam Verbales de *Messia* morituro pro peccatis extitisse satis claras pro illo tempore *Gen.* III. 15. *coll. Heb.* II 14. *Gen.* XXII. 14. (Vide *Dissert.* nostram in illum Locum) *Ps.* XXII. 16, 17, 18, 19. *Ps.* XL. 7, 8, 9. coll. *Heb.* X. 4—10. *Ps.* LXIX. 2, 3, 5, 10. *Jes.* LIII. *Dan.* IX. 24, 26, 27. *Zach.* XII. 10. XIII. 6, 7.

V. *Quartò* denique *Remonstrantes*, negantes *Fidem justificantem* in Christum *moriturum* & Redemtorem spiritualem *Viguisse* olim ac *Exercitam* fuisse, vel saltem hoc probari non posse inculcantes: concedere coguntur ut minimè absurdum, omnem Legis & Prophetarum de Christo morituro instructionem frustraneam tunc temporis planè fuisse, atque Deum *Scopum* Legis datæ & Prophetiarum harum, qui est *Christus ad justitiam cuivis credenti Rom.* X. 4. *Act.* X. 43. minime consecutum fuisse, ac populum Israëliticum tantopere per amplissima Legis Verbique Prophetici documenta exaltatum *Deut.* IV: 6, 7, 8. *Psal.* CXLVII: 19, 20.

Jes.

Jes. XLII: 21. *Hos.* VIII: 12. *Rom.* III: 2. IX: 4, 5. æque ac reliquas a Deo spretas & rejectas gentes *absque Christo* vixisse in Mundo *Ephes.* II: 12. atque simul violenter torquere debent tot loca Scripturæ, quæ justificantem Fidem in Christum Redemtorem spiritualem, etiam per passiones & mortem, in Veteribus locum habuisse perspicuè & irrefragabiliter docent. Huc pertinent illa: Quæ *Abrahamum* perhibent esse *Patrem omnium credentium*, *Hæredem Mundi* factum per *justitiam fidei Rom.* IV: 11, 12. & *exultasse ut videret*, clariusque cognosceret *diem Christi* incarnati patientis ac morientis, eamque *vidisse* ac *gavisum fuisse Joh.* VIII: 56. Quæ *gentes* per communionem primò fidei justificantis in Christum, dein & gratiæ omnis ac gloriæ cælestis, *accubituras cum Abrahamo & Isaäco & Jacobo in regno cælorum* pronunciant *Matth.* VIII. 11. & *Jobum Goëlem* suum incarnandum, qui *invenit expiationem* cognovisse, *Job.* XIX: 25, 26, 27. XXXIII. 23, 24. & *Mosen* non tantùm *probrum Christi*, id est, populi Israëlitici afflictiones passiones Christi præfigurantes *coll. Hos.* XI. 1. *Matth.* II. 15. *majores duxisse divitias quàm in Ægypto Thesauros*, verùm etiam per *fidem pascha peregisse*, & *effusionem illam sanguinis. Heb.* XI. 26, 28 *coll. Joh.* I: 29. 1 *Cor.* V: 7. asserunt: Quæ porrò *Patres omnes eandem escam spiritualem edisse*, & *eundem potum spiritualem bibisse* docent; *Bibebant enim ex sequente Petra spirituali: Petra verò illa erat Christus*, 1 *Cor.* X: 3, 4. non ab omnibus quidem *coll.* ℣. 5. *Heb.* IV. 2. attamen a quibusdam cognitus & Fide receptus: Quæ præterea affirmant *multos Prophetas Reges* & *justos desiderasse*, & *cupivisse videre ea quæ videbant* discipuli, Domini nimirum incarnati & exinaniti facta illustria & fata adversa ac tristia, nimirum quia ea cognoscebant futura & credebant, nam ignoti nulla cupido, etiam ex interpretatione *Chrysostomi* apud *Casaubonum Exercit.* 1 *Matth.* XIII. 16, 17. *Luc.* X: 24. confer *Luc.* II: 25, 38. *Malach.* III. 1. *Quæ* amplius Veteribus nobiscum τὸ ἀυτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως tribuunt 2 *Cor.* IV: 13. *Psalm.* CXVI:
 10.

10. ut & preces in Nomine Messiæ intercessoris fusas *Dan.* IX: 17. *Psal.* LXXXIV. 10. *coll. Job.* XXXIII: 23, 24. omnesque *mortuos* resuscitandos ad vitam æternam olim in die illo, *in Christo mortuos* 1 *Thes.* IV: 16. id est, in *fide ejus*, ajunt; atque adeo Abrahamum Isaäcum Jacobum Jobum Davidem omnesque pios, *eminus promissa conspicatos*, *Heb.* XI: 13, &*resuscitandos* ad vitam æternam *Matth.* XXII. 31, 32. *Job.* XIX: 25, 26, 27. *Ps.* XVII: 15. *Dan.* XII. 2, 3. in *Christo* ejusque *Fide* esse *mortuos* confirmant; Salvandos enim in die illo distribuit Paulus tantùm in *mortuos* in *Christo* atque in *vivos* superstites futuros in Loco illo ad *Thessalonicenses*: Præsertim huc pertinet insigne illud Petri dictum *Act.* XV: 10, 11. *Nunc ergo quid tentatis Deum*, *ad imponendum jugum cervici discipulorum*, *quod neque* Patres nostri, *neque nos portare valuimus. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri*, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι *quemadmodum* & *Illi* crediderunt per gratiam Christi se servatum iri, & servati sunt, nimirum *Patres*, de quibus proximè ante actum erat, non *discipuli*, de quorum salute absque circumcisione quæstio hactenus movebatur: Tandem huc etiam spectare puto *Locum Gal.* IV. 1. ab *Arminio* objectum supra, in quo *Hæres*, Ecclesia V. T. dicitur *infans*, non in cunis vagiens, sed *Pædagogo* subjectus, & *Elementari* Legis institutione fruens, atque adeo non omni cognitione sensus & præfigurationis quæ in Lege est destitutus; imo quia infans hic *Hæres* fuit, necesse est ut ei tribuamus *Fidem justificantem* in *Christum*, quia absque hac Fide nulli data est nec dari potuit *hæreditas*, uti ipse Paulus manifeste docet *Rom.* IV: 13, 14, 16. *Gal.* III. 18, 29.

VI. *Quintò* quia tandem *Arminius* provocavit nos speciatim ut *probaremus Fideles in V. T. intellexisse Ceremonias Legales* fuisse *types Christi & beneficiorum ejus*, & quia addidit *non immerito dubitari posse*, an *David intellexerit Messiam* fore *Regem spiritualem* & *cælestem*, ac consequenter per passiones & Mortem vicariam introiturum in gloriam cælestem: ope-

operam dabo in reliquâ hujus Dissertationis parte, ut probem eum, non modò extraordinaria revelatione atque Spiritu Prophetico novisse Christum Moriturum & Resurrecturum *Act.* II: 30, 31. sed etiam Mysteria Tabernaculi & Cultûs Levitici sacrificalis, Christumque moriturum ut Victimam in locum Electorum omnium & suum substitutam cognovisse, atque fide justificante cum gaudio & consolatione animi sui credidisse, non ex revelatione Prophetica extraordinariâ adeò, quam quidem ex ordinariâ Spiritus fidei operatione salutari, junctâ cum propriâ figurarum Leviticarum scrutatione atque investigatione sedulâ ac continuâ, ita ut hoc studium cum aliis fidelibus commune habuerit, atque id, quod ex eo ac Spiritus revelatione & simul illuminatione per Verbum didicerit, etiam ut fidelis & propheta cum aliis communicaverit. Atque in hunc finem Locum ex *Psalmo.* XXVII: 4. mihi illustrandum sumsi, cui unum atque alterum ex Psalmis Davidicis in fine Dissertationis hujus jungam, ut ex quibus constabit ipsum Mysteria cultus Levitici probè perspecta habuisse.

VII. Locus autem hic ita in Hebræis fontibus extat; אחת שאלתי מאת יהוה אותה אבקש שבתי בבית יהוה כל ימי חיי לחזות בנועם יהוה ולבקר בהיכלו. Quæ ita transtulerunt LXX. *μίαν ᾐτησάμην παρὰ κυρίου, ταύτην ἐκζητήσω τοῦ* (Alii *τὸ*) *κατοικεῖν με ἐν οἴκῳ κυρίου πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς μου, τοῦ θεωρεῖν με τὴν τερπνότητα κυρίου, καὶ ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν αὐτοῦ*; *Vulgatus; unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam voluntatem* (in Edit Sixti V. & Clem. VIII. *Voluptatem*) *Domini, & visitem Templum ejus. Hieronymus* verò; *Unum petii a Domino hoc requiram, ut habitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam pulchritudinem Domini, & attendam templum ejus.*

VIII. *Auctor* Psalmi *David est.* Ita enim habetur in Inscriptione לדוד *Davidis.* Haud æque certa sunt *Occasio* & *Tempus* compositionis ejus. Hoc tamen ut certum sumi

 po-

potest esse illum compositum post liberationes varias ex ingentibus periculis *coll.* ℣. 1. 2. 3. 9. & simul cum inter magna hactenus discrimina versaretur, & in tribulatione atque exilio constitutus esset, *coll.* ℣. 6. 9. 10. 11. 12. Non sequor igitur *Amyraldum* sequentem *Judæos* quosdam, existimantes Psalmum hunc esse conscriptum a Davide *Sene*, occasione periculi ipsi in Bello cum Philistæis quodam ab *Jischbi Benob*, uno ex gigantibus, illati, quod feliciter ope Abischai evasisse legitur 2 *Sam.* XXI. 15. 16. 17. Alii referunt tempus conscripti Psalmi ad *Exilium Absalomicum*; ob *similia* quædam in *Psalmo* III. composito *cum fugeret à facie Absalomi Filii sui*, reperta; & ob *Verba* Davidis prolata tunc 2 *Sam.* XV. 25. collata cum *Versu* nostro *Textuali*; & denique quia tunc *parentes ejus* eum *deseruerant*, uti conqueritur ℣. 10. id est, primi Consiliarii ejus ac Principes, ut *Amasa* & *Achitophel* 2 *Sam.* XV. 12. 31. XVII. 25. qui *Patres* in Scriptura vocantur *Gen.* XLV. 8. Videantur *Bugenhagius*, *Bucerus*, *Rudingerus*. Quæ tamen rationes minus ponderosæ videntur, præsertim postrema, tum ob mentionem *Matris* quoque, tum etiam quia primarii Principes & Sacerdotes Davidi constanter adhæserunt, 2. *Sam.* XV. 32, 35. XVIII. 2. Unum ex *Exiliis Saulicis* nominaverunt Alii, in quo Psalmum à Davide compositum arbitrantur. In *speluncâ Hadullami* conscripsisse eum Davidem, ubi ad eum accesserunt Parentes ejus, ab ipso deducti in Regionem Moabi, 1. *Sam.* XXII. 1—4. existimavit *Joh. Foord* Theologus Anglus. Verùm tempus præcisè indicare paulò difficilius est. Longè prudentius in Temporis generalioris adsignatione acquievit *Inscriptio Græca*, πρὸ τοῦ χρισθῆναι *priusquam ungeretur* vel *liniretur*, vel πρὸ τοῦ χρισθῆ, *antequam unctus esset*, uti in aliis Codicibus legitur; sive ab ipsis Interpretibus posita, sive ab Aliis postea addita fuerit, quia in aliquibus Exemplaribus modò extitisse eam monuit *Eusebius*, atque in ἐξαπλῷ se non invenisse testatur *Theodoretus*. Ter *Unctus* est David; primò in Domo Patris, in *Betleem* à *Samue-*

à *Samuele*, jussu Domini, 1. *Sam.* XVI. 4, 12, 13.; secundò in *Hebron*, *post mortem Saulis*, in Regem super *domum Jehudæ*, a *Nathan Propheta* juxta *Bedam*, 2. *Sam.* II. 4, 7. Regno in Israëlem reliquum auctoritate Abneris tradito *Isbosetho* Saulis Filio ℣ 8, 9, 10.; tertiò denique *ibidem*, post occisionem *Filii Saulis*, à cunctis Tribubus, unctus est in Regem *totius Israëlis* 2. *Sam* V. 1—5. Quoniam ante primam Unctionem nullos habuit hostes, nullumque conscripsit Psalmum, sequitur quod de *Secundâ* vel *Tertiâ* loquatur *Inscriptio Græca* illa. In Commentario, qui *Hieronymo* adscribitur, dicitur quòd ad *Mediam* Unctionem sit respectus: similiter *Beda hac Inscriptione monstrari* scripsit, quòd ante *secundam Unctionem, cum adhuc ob insidias Saulis exularet. Psalmum cecinerit.* Alii tamen de *Tertia* à Græcis *designata Unctione* cogitant, statuentes *post mortem Saulis* durante *Bello diutino illo*, quod fuit inter *Domum Saulis* & *Domum Davidis* 2 *Sam.* III. 3. conscriptum esse Psalmum hunc. Certè *ante Unctionem mediam* mirabiliter sæpius ex variis periculis & angustiis divinâ manu liberatus fuit, atque ex præteritis beneficiis spem de futuris jure concipere potuit, & canere, *Dominus Lux mea, & Salus mea, a quo timebo?* ℣. 1. 2. 3. Tunc imprimis quando exulabat è domo Patris sui non modò, sed & à *Domo Dei* procul remotus erat, atque inter *Philistæos Moabitas* aliasque idololatricas gentes, haud absque periculo seductionis ad Idololatriam 1 *Sam.* XXVI. 19. degebat, *ardentissimo* illo *habitandi* in *Domo Jehovæ* flagrasse illum *desiderio*, quod exponit ℣. 4. nemo mirabitur. Tunc sanctis panibus *cibatus* in *Tabernaculo Nobi*, 1 *Sam.* XXI. atque Latibula inveniens in *Speluncis*, *Rupibus*, ac *Collibus* 1 *Sam.* XXIII. 19. 25. XXIV. 4. allusive ad illa de Jehovæ protectione canere potuit, *Abscondet* vel *Abscondit me in Tugurio suo in die mala. . . in Rupem exaltabit* vel *exaltat me* ℣. 5. Tunc etiam naturalibus parentibus in Moabitidem deductis, atque ibi forte mortuis, vel uti Hebræi volunt, à Rege Moabi occisis, 1 *Sam.* XXII.
 1-4.

1-4. mortuo etiam *Samuele*, Patre Politico seu Ecclesiastico 1 *Sam.* XXV. 1. querulas istas ℣. 10. de se *à Patre* & *Matre deserto* voces apposite emisit. Tunc denique hostibus undique cinctus, & in *Nob* à Doeg Idumæo observatus, ejusque delatoris iniquitatem truculentam expertus 1 *Sam.* XXI. 7. XXII 9. 18. de *Observantibus se*, & *de Testibus mendacii* & *Spirante violentiam* conquerendi ℣. 11 12. justissimam accepit caussam. Tunc tandem in Speluncis ac Locis subterraneis ubi mortui degunt, atque inter gentiles, vera Luce Doctrinæ cælestis & vero Deo vitæ omnis fonte carentes, atque adeo spiritualiter mortuos, vivens sæpe, *Terram Viventium*, à Viventibus *hominibus*, & à *populo Dei*, inhabitatam, meritò anhelavit, in qua *Bonitatem Jehovæ* ex promisso *se visurum* fore certò *credidit* ℣. 13. In alienum planè sensum *Inscriptionem* hanc *Græcam* rapuit *Cl. Tillius*, atque existimavit Interpretes Græcos non respexisse ad *Unctionem Davidis*, sed, *Templi*, quod postea demum Jehovæ ædificare sibi proposuit 2 *Sam.* VII. 1. 2. atque *novorum vasorum* ejus ex Lege *Exod.* XXX. 25. 30. faciendam: quia scilicet simpliciter posuerunt τοῦ Δαυὶδ, πρὸ τοῦ χρισθῆναι, nec addiderunt pronomen relativum αὐτὸν: atque adeo putavit, *diu post* unctiones Davidis; cum pacatum Regnum atque confirmatum teneret, quando demum propositum cepit ædificandi *Templum* Jehovæ 2 *Sam.* VII. 1. 2. 1 *Chron.* XVII. 1-19. cujus ideo mentionem fecit in *Textu* nostro; hunc Psalmum ab ipso esse compositum, ut cantaretur ad solennitatem *Unctionis Templi* istius augendam. Nam nihil certius esse videtur, quàm quod *Græci* respexerint ad Unctionem *Davidis*, non verò *Templi:* si enim hoc in animo habuissent, nomen utique ejus apponere debuissent; quod certe magis necessarium fuisset, quam *pronominis relativi* additio, ubi expresse nomen *Davidis* præcesserat. Nec quicquam facit pro *Clar. Tillii* sententia, *Templi* mentio in Textu, quia nomine היכל *Templi*, *Tabernaculum* in *Silo*, una cum *ædificiis junctis* in usum Personarum &

Re-

Rerum Sacrarum, insignitum fuit 1 *Sam.* 1. 9. III. 3.

IX. Verùm non sufficit in rem nostram, scire Davidem esse Psalmi Auctorem, & generalius Tempus quo illum composuit, nisi & *Ipse* simul, vel *Fidelis* saltem *Veteris Testamenti*, *Subjectum* ejus constituatur. Nempe *David* in Psalmis nunc in Persona sua, nunc in Persona Christi, vel Ecclesiæ ejus loquitur. In Persona *Christi* vel *Ecclesiæ* N. T. Davidem loqui, Veteres nonnulli & Recentiores opinati sunt. *Est vox Ecclesiæ ad Christum* legitur in *Commentario Hieronymi*. Venerabilis *Beda* in *Commentario*: *Ante hanc vero Unctionem tertiam* dicitur *hunc Psalmum composuisse historialiter, non intendens ad historiam, sed mysticè agens in voce illorum qui* nunc *initiati Domino per geminam Unctionem olei & Chrismatis tertiam Unctionem perfectam, quæ tunc erit cum facie ad faciem videbimus, expectant*: *Ipse* tamen *Beda in Tituli explanatione* mentem suam uti videtur ita expresserat; *Cum frequenter ante regnum liberaretur ab inimicis suis acerrimis, per totum Psalmum loquitur Propheta.* Ex Pontificiis *Hieronymus Varlenius Sylvius*, *Sec.* XVI. *Ultrajecti apud Johannitas Sac. Literarum Professor*, de *Christo intelligendum esse* hunc Psalmum dicit; *verum sic ut omnia ad membra illius, sive mysticum Corpus, id est, Ecclesiam potius referantur: nam & illa ungitur in Baptismo, in Sacramento confirmationis, & in extrema unctione.* Sed fundamentum ejus est *Insriptio* Græca male intellecta & exposita, quasi Interpretes illi de *Christo* explicandum Psalmum sic voluissent. Similiter *Joh. Baptista Mantuanus. Sed quid ajo Vatem, aut quid mortalem regem mortalibus in Exemplum proponi credam. Amantissimus enim nostri Deus caro factus, hic est qui loquitur Dominus illuminatio mea* &c. Davidem tamen in Commentario non excludit prorsus. *Clar. Coccejus* putavit *Psalmum* hunc *exhibere aspectum Ecclesiæ N. T. anhelantis ad plenissimam Manifestationem Regni Dei*; atque Davidem hîc *uti sermone*, qui, *non sperantibus, sed annuntiationem veritatis audientibus convenit*; atque sic *testari* se

ſe *in ſpiritu prævidiſſe, quid Deus olim ad conſummationem lætitiæ populi ſui eſſet acturus & loquuturus, & quale Eccleſiæ gaudium futurum eſſet.* Verùm nullum Argumentum nullumque κελτήελον *Eccleſiæ N. T.* heic loquentis produxit, imò faſſus eſt, *potuiſſe Davidem propter promiſſionem dicere Jehova eſt ſalus mea.* Doct. *Gurtlerus Theol. Prophet. Cap.* IX. §. XX. de *ſubjecto* hujus Pſalmi hunc in modum ſcripſit. *Pſalmus* XXVII. *de David propterea vix poteſt intelligi, quia nunquam fuit à parentibus derelictus ſicut is queritur verſ.* 10. *qui Pſalmi hujus ſubjectum eſt; imò quum à Saule fugit, Pater, Mater, Fratres ac tota domus paterna ſecuti ſunt* 2 *Sam.* 22. 1—4. *Quare arbitror repræſentari hoc Pſalmo hominem ſtudio cultus divini ardentem & plenum amore Dei, quamquam ob puriorem religionem à parentibus ipſis deſeratur. Matth.* 10. 37. & 19. 29. *Atque quadrat in tempora Antiochi Epiphanis, Romanorum Imperatorum, Antichriſti. Nam Ægyptii, Aſſyrii, & Babylonii Judæos exercitio ſuæ religionis non interdixerunt.* Quamvis hæc ſententia Eccleſiam Veteris Teſtamenti quoque ſtatuens ſubjectum Pſalmi nobis non magnopere obſtet, *Ratio* tamen propter quam de Davide intelligi vix queat juxta *Clar.* Virum neutiquam ſtringit. Non uno enim eoque haud inepto ſenſu, verba illa *verſ.* 10. כי אבי ואמי עזבוני à Davide uſurpari protuerunt: nimirum; vel *hypotheticè, etſi deſerant* me *parentes mei, Jehova tamen me recipiet, coll. Jeſ.* XLIX. 15. vel *metaphoricè* de iis à quibus Paternos erga ſe & Maternos affectus expectaverat & expertus erat; vel *propriè* de *Parentibus naturalibus*, qui *deſeruerant* ipſum tunc temporis *morte ſublati*, (quod ſupponi debet contigiſſe, etſi in hiſtoria non legatur) ad quos ſe piâ morte congregandum ſperaret, *coll. Gen.* XXV. 8. *Luc.* XVI. 22. quando addit ויהוה יאספני *ſed Jehova congregabit me.* Dantur & aliæ interpretationes plures hujus dicti Davidici ſed minus uti puto commodæ, quales ſunt eorum, qui *Parentes* Davidis eum *deſeruiſſe* volunt; *Vel* quando ab eorum curâ diſceſſit ipſe, & ex proprio victum

ctum comparare debuit; *Vel* quia nullam ipsi opem ferebant nec ferre poterant, etsi vellent, imo magis oneri quam auxilio erant; *Vel* quia derelictus fuerat à Parentibus in pascuis & gregum custodiæ deputatus, cum unus ex filiis Isai ad regni fastigium evehendus ex decreto Jehovæ quæreretur à Samuele 1 *Sam.* XVI. 1, 11. Uti *Burgensis* in *Add.* 11. Post hæc omnia vix operæ pretium erit commemorare aliorum explicationem, qui sensum dicti hujus esse autumant; *Adam* & *Eva* per prævaricationem suam *dereliquerunt me*, id est, *exposuerunt me* & *exhæredaverunt*, & omni huic *miseriæ* subjecerumt, quemadmodum apud *Bedam* legitur. Itaque quoniam nulla occurrit Ratio statuendi *aliud* hujus Psalmi *Subjectum*, quàm *Davidem ipsum;* imo quia omnia dicta & prædicata in eum optimè quadrant, uti etiam supra aliquatenus visum est, fidenter concludo, Davidem non tantùm *Auctorem*, sed & *Subjectum* esse hujus Psalmi; ostensurus in Explicatione *Vers.* 4. *Textualis* contra *Bugenhagium*, qui scripsit, *quin & ipsa verba protinus nos ab historiâ avocant*, quod ejus etiam Verba omnia Davidi optimè conveniant.

X. Continet verò hic Psalmus *Tria. Primum* est læta *Certitudinis suæ* de *Dei* sibi *Propitii*, implentis & impleturi omnia promissa sibi data, ejusque *Favoris Communione Prædicatio vers.* 1—6. *Alterum* est *Petitio;* tum *exauditionis* omnium Votorum suorum, inprimis istius *vers.* 4. expositi, *vers.* 7. tum *Gratiæ* ac *Beneficentiæ* Divinæ corporalis & salutaris *Perseverantis*, *vers.* 9. *tum* denique *Gubernationis* benignæ & *paternæ* in omnibus viis suis, *vers.* 11. unà cum *Rationibus* singulis petitionibus subjectis *vers.* 8. 10. 12. *Tertium* est *Admonitio* directa ad unumquemque pium, post *Exemplum* suum propositum iterum *vers.* 13, 14. In *Prima* parte *Certitudinem* suam *Proponit vers.* 1. *Jehova Lux mea, & salus mea, Jehova fortitudo vitæ meæ* fuit est & erit; dein *Amplificat*. I. ab intrepidâ *Fortitudine* in Adversis, *à quo timebo? à quo pavebo vers.* 1. *si castrametati fuerint adversum*

 me

me castra, non timebit cor meum: si consurgat adversum me bellum בזאת אני בוטח *in hac re* vel *in hoc*, nempe quod Jehova sit salus mea, *ego confido vers.* 3. alii tamen ad præcedens *Bellum* מלחמה referre malunt: *in quo*, seu *quo nihil obstante, confideret* ille; II. ab adjuncta *Spe*, tum *Protectionis* suavissimæ & potentissimæ *vers.* 5. tum etiam *Victoriæ* certò reportandæ ab omnibus hostibus suis, atque à se lætis carminibus & sacrificiis Eucharisticis agnoscendæ ac deprædicandæ in *Tabernaculo vers.* 6. III. à *Fundamentis* ejus, quæ sunt; & *Experientia* Favoris divini præterita *vers.* 2. & *ardens Desiderium* Deum *colendi* in *Tabernaculo* ejus ad *Cognitionis* augmentum, ac *Fidei* suæ in Messiam moriturum ut Victimam piacularem corroborationem lætam; absque quâ fidei praxi & pietatis studio nulla salutis Certitudo esse potest; Quod Desiderium significanter exponit in *Textu* Nostro.

XI. In quo distinctè considerabimus atque illustrabimus OBJECTUM, MODUM, & denique FINEM *Desiderii* Davidici laudatissimi. Quantum OBJECTUM attinet, seu *Rem* quam desiderabat, illud exprimit hisce verbis, שבתי בבית יהוה כל ימי חיי / *Habitare me in Domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ*. In his verbis non exponitur *Finis* istius *Rei unius* petitæ. quando sensus esset, *Unum petii a Jehova, hoc requiram ut* hac re potitus *habitare* possim in *Domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ*; quemadmodum Nonnulli voluerunt, fortè quia legebant in Græca Versione τοῦ κατοικεῖν με, sicuti in sequenti membro habetur τοῦ θεωρεῖν με. Qui idcirco per *Unum* expetitum intellexerunt vel *Otium* à bellis & curis Civilibus, vel *Regnum pacatum*, ad posteros transmittendum, quo ipse haud interrupto cultu Deum prosequi, ejusque puritas etiam per posteros servari atque propagaai posset. Verùm ipsa *Res Una* petita indicatur, uti vulgò & rectè hoc capitur, sicuti etiam in quibusdam Codicibus Græcis legitur τὸ κατοικεῖν, & in Commentario Hieronymi, *Videamus quæ est una*

una petitio: ut inhabitem, inquit, in domo Domini.

XII. Notum est, quòd TABERNACULUM LEVITICUM, in Deserto extructum, DOMUS DEI & JEHOVÆ sæpius dicatur *Jud.* XVI. 1, 31. XIX. 8. 1. *Sam.* I. 7, 24, III, 15. &c., quia Deus ibi *habitabat Exod.* XXV. 8. XXIX. 45, 46. *Num.* V. 3. XXXV. 34. *&c.*, mensam ignem focumque suum ibi habebat, atque se Manifestabat populo suo per Symbola & Opera, & Gratiam suam communicabat, Oracula fundebat, adorari atque solenniter coli volebat. Hoc Tabernaculum in Terrâ Promissâ primò erectum fuit in *Gilgal* tempore Josuæ, ibique per aliquot annos mansit *Jos.* IV. 19. postea deportatum fuit in *Silo* ubi per plures annos hæsit *Jos.* XVIII. 1. unà cum *Arca Fœderis* 1 *Sam.* IV. 3, 4. quæ capta tempore Filiorum Heli à Philistæis nunquam postea Tabernaculo huic restituta fuit, reducta tamen in Terram Israëlis: Tabernaculum verò translatum fuit in *Nob.* 1 *Sam.* XXI. 1—7. civitatem fortè magis munitam, saltem Hierosolymæ propiorem, *coll. Ps.* LXXVIII. 60, 67, 68. & postea in *Gibeon* 1 *Chron.* XVI. 39, 40. XXI. 29. 2 *Chron.* I. 3. in quibus duobus Locis *Nob* & *Gibeon*. Tabernaculum fuit tempore *exulantis* & postea *regnantis* Davidis. Idem hoc Tabernaculum Testimonii dictum fuit tunc temporis etiam היכל *Palatium* sive *Templum Domini* 1 *Sam.* I. 9, III, 3. (ne Locum magis dubium 2 *Sam.* XXII. 7. nunc addam) quia in eo ut Magnus Rex ac summus omnium Dominus adorabatur solenniter. Nulli dubitamus quin hoc TABERNACULUM LEVITICUM heic respexerit David, illudque duplici hoc nomine DOMUS ac TEMPLI JEHOVÆ insigniverit, quemadmodum & alibi hæc duo nomina exegeticè junguntur *Ps.* V. 8. LXV. 5. *Neh.* VI. 10. Quod enim *Cajetanus* apud *Le Blanc* hoc exposuerit de *Tabernaculo Davidico*, in Monte Tzijon exstructo ab ipso prope palatium suum, in quo *Arcam* deposuit, 2 *Sam.* VI. 17. VII. 2. 1 *Chron.* XV. 1. XVI. 1, 2. 2 *Chron.* I. 4. id nullâ aliâ de caussâ factum ab ipso credo; quam

quia verbum ישב *habitavit* accepit eo sensu, quo sumitur sæpius, atque notat *fixum* alicubi *domicilium* habere; & quia *Lyranum* secutus τὸ *habitare in Domo Jehovæ* exponendum censuit per *habitare prope Locum cultus divini*; & denique quia Palatium Davidis fuit in *Tzijon*, non *propè Tabernaculum Leviticum* in *Gibeon*, sed *prope Tentorium illud*, in quo *Arcam* collocavit. Verùm uti non ausim affirmare cum *Cajetano*, quod David *jam id facere decreverat cum a Saule agitaretur*, & *hunc Psalmum caneret*; ita plane existimo, illum hoc *Tentorium*, in quo *Arca Fœderis* latitabat, & voluntariis sacrificiis Deus coli se patiebatur 1 *Chron.* XVI. 1. 2. pro parte haud exiguâ quoque implementi sui hujus Desiderii habuisse, uti etiam meritò haberi poterat: Eò magis quia tunc temporis simul Liberum accessum habebat ad *Tabercaculum* in *Gibeon*, *haud* adeo *procul* etiam ab Hierosolyma remotum, quodque Locus Cultus Divini quotidiani & solennis manebat 1 *Chron.* XXIII. 26—32. 2 *Chron.* 1. 3. 5. Interim puto Davidem cum hunc Psalmum in Exilio componeret de *Tabernaculo Mosis Levitico* cogitasse tantùm. Cæterum non est necessarium, ut τὸ HABITARE in *Domo* hac *Jehovæ* explicemus per *fixum habere domicilium propè* Domum Jehovæ, quamvis ita explicari posse præfixum ב per *prope* & verbum ישב per *fixam* & *stabilem habitationem* alicubi *habere*, minimè negem. Scilicet præfixum ב videtur eodem sensu debere capi in בבית quo capitur in בהיכלו. Deinde etiam Verbum ישב heic optime accipitur pro *conversari familiariter libere* & *tranquille* ingrediendo *quotidie* pro lubitu, uti sic de *Tyriis Mercatoribus* videtur sumi *Neh.* XIII. 16. & de Piis quibuscunque frequentantibus sedulò & quotidie Locum cultûs Jehovæ *Psalm.* CXXXIIII. 1. *Conf. Luc.* II. 37. Sicuti verò non *semel* adesse cupiebat in Templo Domini, sed sæpius, ita etiam non per annum unum atque alterum sed per *totam Vitam* suam *Terrestrem* istiusmodi Liberum & Quotidianum sibi patere accessum ad illud desiderabat, hinc addidit, OMNIBUS

DIE-

DIEBUS VITÆ MEÆ: Hæc Phrasis enim vix aliter in Sacris V. T. usurpatur quam pro *toto vitæ hujus terrestris curriculo*, quæ non tota simul, sed per partes succedentes possidetur: *Gen.* III: 17. *Deut* XVII. 19. 1 *Sam.* I. 11. 1 *Chron.* XV. 15. *Prov.* XXXI. 12. *Jes.* XXXVIII. 20. *Jerem.* LII. 33, 34. *&c.* Davidem nominasse *Hyperbolice omnes* dies vitæ pro *maximâ* eorum *parte* existimavit *Joseph Albo* apud *Coccejum* ad *Excerpta Gem. Sanh. Cap.* XI. §. 36. *Nota.* 18. Sed absque magnâ caussâ, quia *Omne* reliquum Vitæ terrestris tempus præ vehementiâ desiderii sic exprimere recte potuit. Hunc puto esse sensum hujus pericopæ, in quâ *Objectum* desiderii sui exponit David: est enim facilis ac planus atque accommodatus; *tum* Verborum *propriæ* ac *usitatæ* in Sacris significationi; *tum* etiam Davidis aliorumque piorum V. T. circa idem *Objectum* declarato sæpius *Studio: Psal.* XXIII. 6. XXVI. 8. XLII. 3. LV. 15. LXIII. 2, 3, 4. LXV. 5. LXVI. 13, 14, 15. LXXXIV. 2, 3, 4, 5, 6, 11. CXXII. 1, 2, 9. *&c. tum* denique *Statui* ejus calamitoso, in quo per continuas vagationes & exilia, procul à *Tabernaculo Jehovæ* ipsum removentia, constitutus tunc erat quando hunc Psalmum composuisse Illum supra probavimus: quodque *Jehovæ Tabernaculum* sic opponere videtur, & *Impiorum Tentoriis coll. Ps.* LXXXIV. 11. & *Idolorum Templis* apud Philistæos & Moabitas, inter quos exulabat, haud absque sollicitatione ad cultum eorum *coll.* 1 *Sam.* XXVI. 19.

XIII. Absque ullâ itaque Caussâ ad *figuratum mysticumque* sensum, rejecto etiam *proprio*, (dum alii minus inconvenienter Literalem & Proprium sensum cum Mystico conjungunt, uti cum aliis *Gejerus*) Veteres pariter ac Recentiores confugiunt: intelligentes per DOMUM JEHOVÆ; vel *Ecclesiam Militantem*, ejusque communionem in Officiis & Beneficiis Fœderis Gratiæ salutaribus, quos sequitur *Bugenhagius*; vel *Triumphantem* in *cælesti patriâ*, quos sequitur *Bellarminus*, qui hunc sensum *Literalem* esse dicit: vel *Utramque* cum *Estio* conjungentes: quia scilicet lo-

loquitur; *tum* de *Domo*, non *Tentorio*, & de *Habitatione stabili*, qualis est in *Cælo*, dum hic *ambulamus* potius; tum de *omnibus* diebus *vitæ* suæ, nimirum *futuræ* etiam, dum dies vitæ præsentis *mortis* potius *dies* dicendi sunt quàm vitæ, peccati scilicet & miseriæ respectu; *tum* porro quia maxima *Amoenitas* & perfectissima *Delectatio* illa, quam respexit David datur in cælestis gloriæ fruitione; *tum* amplius quia *ipsa verba protinus nos ab historia avocant: nunquam enim habitavit David in Tabernaculo Domini, imo hoc ipsi non licuit*; *tum* denique quia communio cum Ecclesiâ militante, & magis cum triumphante *Unum* illud est *Necessarium*, de quo *Luc.* x. 42. *Philipp.* III. 14, 15. & quia *nunquam Vir Sanctus & perfectus rem aliquam temporalem tanto affectu peteret, ut diceret*, unam petii, hanc requiram, *quasi nihil aliud petendum sit*. Videantur inprimis *Ven. Beda*, *Bugenhagius*, & *Bellarminus*. At verò quis non videt, harum omnium Rationum vim atque momentum admodum esse exiguum, citoque disparituras esse, dummodo illa quæ supra diximus in animum revocentur. Loquitur quidem de *Domo* & *Habitatione* in illâ; verùm non de Domo *Spirituali* vel *Cælesti*; nec vocabulum *Domus Dei* ad Cælum vel Ecclesiam militantem cogitata nostra restringit, cum de Tabernaculo Levitico usurpetur sæpius; neque *Habitandi* vox perpetuam ubique ac æternam Mansionem infert, quemadmodum supra visum est. Agit porro de *omnibus* diebus vitæ suæ, sed *terrestris* tantùm quo sensu phrasin hanc continuò occurrere in Sacris, nec de futurâ vita fortè usurpari unquam, monuimus. Est præterea *summa* in cælo *Delectatio*, sed & *aliqua* ejus prægustatio in *Terris* datur, de quâ hìc agere Davidem etiam ex *Vers.* 13. haud malè colligitur; ubi *hanc* quoque *Amœnitatem*, quam in Tabernaculo videre desiderabat, complectitur sub טוב יהוה *Bonitate Jehovæ*, quam *credidit se Visurum* esse בארץ חיים *in Terra viventium*, quæ non est *Cælum* & *Vita gloriæ*, uti cum *Judæis* nonnulli ac cum *Chaldæo Christiani* putant,

tant, sed est *Locus vitæ præsentis* ac *Ecclesiæ terrestris*, oppositus tum terræ *oblivionis* *Ps.* LXXXVIII. 13. *tenebrarum* ac *umbræ mortis* *Job.* X. 21, 22. tum *Terræ abalienatorum* à Deo & Christo; uti manifestum est ex inspectione Locorum *Job.* XXXVIII. 13. *Psal.* LII. 7. CXVI. 8, 9. *Jes.* XXXVIII. 10, 11. LIII. 8. *Jerem.* XI. 19. in quibus ita sumitur *Terra viventium*; nec aliter capitur *Psal.* CXLII: 6. quia ibi non est *Votum*, sed potius *Affirmatio*, *Tu portio mea* es *in Terrâ Viventium*. Denique non *habitavit* quidem David, id est, fixam sedem habuit in *domo Jehovæ*; attamen *prope* Arcæ Tentorium Palatium suum habuit in TZijon, nec adeo longè dissita fuit ejus habitatio à *Gibeon*, libertatemque habuit continuò Jehovam ibi colendi in Tabernaculo Levitico, quam liberam familiarem ac quotidianam in Domo Jehovæ conversationem voce *Habitationis*, alibi etiam hoc sensu usurpatâ, merito appellavit ille. Tandem ejusmodi *Habitatio* in Tabernaculo Domini ut cognitio Dei & Christi, fidesque in eum ac pietas continua ibi incrementa capiant, minimè est *res terrena* tantùm, uti *Bellarminus* loquitur, sed spiritualis ac cælestis, actus interni connexi, finis & fructus respectu,. quæque cum æterna salute nexum habet, imo est *unum* illud *Necessarium* quod Dominus *Marthæ* commendavit: Neque etiam *Habitationem* hanc in *Tabernaculo*, prætulit illi quæ obtinebit in Regno Gloriæ, sed omni Rei corporali ac terrenæ caducæ etiam splendidissimæ, quam tanto desiderio & conatu quærunt cæci mortales, quando illam vocavit UNUM vel UNAM REM quam petiit a Domino.

XIV. Sic transimus ad MODUM desiderii Davidici אחת שאלתי מאת יהוה אותה אבקש *unum petivi* vel *peto* à *Domino*, *hoc requiram*. Ex iis quæ §. X. monuimus constare potest attendenti, quod hæc pericopa non per se subsistat, nec *Rem petitam haud determinatam* contineat, uti cum *Bucero* volunt nonnulli, sed quod præmissa sit, ut *Modus* desiderii exprimatur, atque *Res* desiderata generalius

qui-

quidem ſed & notanter admodum deſcribatur. Atque adeo alienæ ſunt gloſſæ de intelligendâ heic; vel *Una Die æternitatis*; vel *Una Manſione* quacunque inter plures illas quæ in Domo Patris eſſe perhibentur à Chriſto, *Joh.* XIV. 2. vel *Una virtute*, *Charitate* ſcilicet aut *Perſeverantiâ*, quæ apud *Ugonem Cardinalem* leguntur; vel *Confirmatione promiſſionis Divinæ ſibi de ſucceſſore*, inprimis *Meſſia*, atque de *Regno* & *Domo* extruendâ facta 2 *Sam.* XXIII. 4. uti contendit *Bucerus*. Scilicet אחת fœmininum pro neutro quo carent Hebræi heic eſſe poſitum dudum eſt monitum, & rectè, *coll. Jer.* X. 8. quamvis Alii, *nomen verbale* ſupplentes ex *verbo appoſito*, ut *Pſ.* XIII. 4. vertant cum LXX. *Unam* שאלה *petitionem*, *coll. Jud.* VIII. 28. 1 *Sam.* II. 20. 1 *Reg.* II. 20. vide *Gejerum*; imo quamvis haud incommodè *Adverbialiter* ſumi poſſet אחת pro *ſemel*, *coll. Job.* XXXIX. 28. *Pſalm.* LXXXIX. 36. *Hagg.* II, 7 ut ſenſus ſit *Semel petii*, & *continuo petam*. Cæterùm neutraliter ſumtum אחת & UNUM ſignificare poteſt, & PRIMUM, *coll. Job.* XLII. 14. &c. Meritò vocare potuit, τὸ *Habitare in Domo Jehovæ*, UNUM quod petiit, quia in eo erat *Votorum* pro *Bonis hujus Vitæ Summa:* dum in ſe continebat hoc Bonum reliqua ſpiritualia, & poſt ſe trahebat ex Divinâ promiſſione Fidei & Pietati factâ 1 *Tim.* IV. 8. ſi ſaluti conducerent, reliqua etiam corporalia *Matth.* VI. 33. Sed & *Primum* nominando innuit, ſe Hoc Bonum *præ* omni terreno theſauro corruptibili, ſceptro etiam & corona, æſtimare, & ante omnia deſiderare, uti decet *Matth.* VI. 33. *Phil.* III. 14. *Pſ.* LXXIII. 25, 36. Quemadmodum etiam æſtimationem ac deſiderium hujus Boni oſtendit fervidis precibus: שאלתי *Petii* vel *Peto*, nimirum fervide atque enixè, *coll.* 1 *Sam.* I. 28. מאת יהוה à *Jehova*; ut pote qui invocationis religioſæ Objectum eſt unicum; & Dominus Domus ſuæ, qui admittere poterat vel excludere quemcunque vellet: cujus denique gloria promovebatur per cultum ſolennem ibi præſtitum. Pia itaque Petitio erat hæc Davidis

dis Objecti invocati & Rei petitæ intuitu, atque ideo Deo grata; & eò magis quia non modo erat fervida, sed & *perseverans*: unde addit אותה אבקש. *Hanc* vel *Hoc requiram*, h. e. studiosè quæram, omni occasione, modo, zelo, viribus, opere & inprimis *precibus*, sæpe ardenter & indesinenter fusis, *coll. Dan.* IX. 3. *Zach.* VIII. 21. quales Deo gratæ sunt, & efficaces esse solent, *Hos.* XII. 5. *Rom.* XII. 12. 1 *Thess.* V. 17. *Luc.* XVIII. 1. *Conscientia* enim Davidis hoc ipsi *Loco Dei* dictabat *Vers.* 8. & ipse *promissionibus* Dei sibi factis firmâ innitebatur fide, *coll. Vers.* 13.

XV. At verò quis FINIS erat tam fervidè & indesinenter expetitæ *Habitationis* in *Domo* Jehovæ? An ut ibi ut in *Asylo* tutus viveret ab hostili gladio? Non: nam Asylum istiusmodi continuum in Dei protectione validissimâ experiebatur, ac si esset in ipso Sancto Sanctorum, vel Loco secretissimo Tentorii alicujus Divini, & nunquam sibi defututum sciebat, *coll. Vers.* 5. *Nam abscondet* (vel abscondit) *me in Tabernaculo suo in die* mala, *abscondet* (vel abscondit) *me in abscondito tentorii sui*, *in Rupe exaltabit* (vel exaltavit) *me*. An verò ut ibi de *Altari* cum *Sacerdotibus* viveret? Neutiquam: semel necessitate coactus de panibus Sanctis comederat *Matth.* XII. 3. 4. sed postea nunquam hoc fecit, nec facere voluit, sed potius in usus Sacros etiam suas opes conferre, *coll. Ps.* LII. 2. 10. 11. An denique ut in *carnali cultu* Dei per sacrificia ibi præstito *acquiesceret*, & justitiam operum cum *Filiis Maritatæ Jes.* LIV. 1. id est, justitiariis Judæis plurimis erigeret coram Deo? Minimè: nam probè sciebat ex operibus Legis nullam carnem justificari posse coram Deo *Psalm.* CXLIII. 2. *coll. Rom.* III. 20. *Gal.* II. 16. & *Psalm* XXXII. 1. *coll. Rom.* IV. 5. 6. An tandem itaque ut juxta Legem sacrificia offerat, preces fundat, gratiarum actiones addat, laudes Jehovæ extollat Creatoris & Benefactoris sui, & Verbum Legis audiat? Imo verò etiam ob has caussas cupiebat *habitare* in *Domo Jehovæ* pius pro cæteris Homo, *Psal.* XLVIII.

 10.

ic. L. 14. 15. c. 4. cxxii. 5. *&c.* sed quoniam nulla pietas Deo grata esse potest, sub quacunque etiam Oeconomiâ vivant homines, absque *Fide* in Christum *mortuum* vel *moriturum* pro Electis ut *Victimam piacularem*, ideo David insignis non tantum Propheta, sed & Fidelis, *habitare* tantopere desideravit in Domo Jehovæ, ut *Typos* Christi *morituri* ibi *videret* atque *investigaret* in Cognitionis suæ & Fidei incrementum & stabilimentum.

XVI. Sic enim pergit, *Finem* tandem à se intentum exprimens: לחזות בנועם יהוה ולבקר בהיכלו / *ut videam amœnitatem Jehovæ, & inquiram* in Templo ejus. Præfixum ב in בנועם heic designat *Objectum* contemplationis, perinde ac *Vers.* 13. non *Locum* in quo, sicuti in sequenti בהיכלו/ quod contra *Bucerum* notandum est, qui נעם & היכל pro eodem accipit, scilicet *Tabernaculo.* Vox נועם notat in genere id quod pulchrum est, atque menti ac sensibus delectationem creat. Hinc *Symmachus* per τὸ κάλλος; *Hieronymus* per *pulchritudinem*, Alii per *Suavitatem*, *Jucunditatem*, *Amœnitatem* reddiderunt. Quænam *hæc* AMOENITAS sit ex *Videndi* & *Inquirendi* actu optimè intelligitur. Verbum חזה significat primò oculis corporis aspicere *Exod.* xxiv. 11. *Dan.* iii. 24. dein & mentis *Jes.* xxxiii. 17. Prior illa significatio heic directe intenditur, quamvis & posterior dein non excludatur. Distinguenda enim significatione sunt vocabula *Videndi* & *Inquirendi* non frustra heic ambo posita. Posterius ad mentis aciem meditando & attente considerando operosæ heic refertur *coll. Ezræ.* vii. 14. 10. Ergo Prius ad oculos corporis referri debet. Præterea in domo *sua*, in deserto, & in exilio poterat amœnitatem Jehovæ hanc per Prophetiam videre, meditari, cognoscere, eâque frui, sed *videre* eam *oculis corporis* tantum in *Templo* poterat. Consequenter Vox hæc נעם non notat heic ipsam delectationem seu *Delectationis internum Actum*, uti sumitur *Prov.* iii. 17. sed *Rem* pulchram Voluptatis & Delectationis Caussam & *Objectum*

exter-

externum. Itaque *Amœnitas hæc* in genere eſt omnino aliquid *Viſibile* oculis corporis, Templo ſeu *Tabernaculo* Jehovæ *alligatum*, in quo ſimul *Menti* aliquid *ſpirituale inquirendum* diligentius proponitur, & quod eſſe poteſt *cauſſa delectationis* & *gaudii* homini peccatori, imo & Jehovæ, ut ita dicam, hinc etiam *Amœnitas Jehovæ* dictum.

XVII. Hæc porro ſpecialius nunc à nobis determinanda, non conſtituitur, eleganti & ornatâ Tabernaculi ſtructurâ, aut imaginibus affabre & artificioſe in aulæis ejus confectis, neque enim ſapientiſſimus & ſanctiſſimus Vates hæc contemplari pro omnium ſuorum deſideriorum ſummâ habuiſſet. Verùm conſiſtit in *Apparatu* CULTUS LEVITICI, quatenus ab *Iſraëlita non Sacerdote conſpici* poterat *oculis corporis.* Dabantur enim Sacra Vaſa & Inſtrumenta in Sancto & Sancto Sanctorum, quæ oculis uſurpare nulli Jſraëlitæ licitum erat. Verum quæ in *Atrio* gerebantur, ab Iſraëlitâ quolibet, ſive ibidem adſtante, ſive foris ſtante per tapetes ocellatos, conſpici poterant. Hæc igitur intendit David, nempe *Mactatas Victimas*, eaſque in *Altari* oblatas per *Sacerdotem*, earumque *ſanguinem* quandoque *intra Sanctuarium* illatum. Hic ſacrificandi ritus erat primarius in toto Cultu Levitico in Tabernaculo & Templo, quod hinc בית זבח DOMUS SACRIFICII vocatur. 2 *Chron.* VII. 12.

XVIII. Hic Altaris Sacerdotum & Sacrificiorum ſanguiniſque fuſi atque in ſanctiorem & altiorem Locum illati Apparatus id eſt, quod David vocat AMOENITATEM, & quidem JEHOVÆ. Primo intuitu res admiratione digna videtur, quòd in jugulatione pecudis, effuſione ſanguinis innoxii animalis, & crematione carnis ejus, amœnum ſpectaculum conſtituerit David. Ita eſt; foris ſpectatum hoc nec Deum *Pſ.* L. 13. nec homines niſi ſemiſeros delectare poteſt. Sed alio reſpectu omnino in Sacerdotio & Sacrificiis Leviticis erat AMOENITAS. I. Quia in iis ut *Typis* erat *Typica præfiguratio* Chriſti, *Sacerdotis*

dotis pro nobis constituti, & simul ut *Sacrificii* expiatorii pro nobis *offerendi* cum *sanguinis* effusione *sub dio*, & postea ingressuri in cæleste *Sacrarium* & apparituri coram facie Dei pro nobis. Hæc sunt *Cælestia illa*, à Paulo ita dicta quia Sacerdos noster nunc in cælis est, quæ per cultum hunc Leviticum in Tabernaculo fuêre *præfigurata*, uti disertè docet Apostolus *Heb.* VIII. 5. IX. 23. X. 1. Quâ substitutione summi Sacerdotis pro nobis, & quâ Victima Vicariâ Loco peccatoris electi mactanda certò vel mactatâ nunc, nil Suavius Amœnius & Desiderabilius peccatori mortis æternæ reo, iræque divinæ filio dari potest, *coll. Cant.* I. 16. II. Quia præterea in iis erant *Sacramenta*, tum *obsignantia* translationem peccatorum ab Electis & Credentibus in Christum Sponsorem, & Remissionem peccatorum propter sanguinem ejus certo fundendum, in quâ vera *amœnitas Ps.* XC. 17. tum *conferentia* etiam actu *per fidei corroborationem* & Spiritus Sancti operationem augmentum vitæ consolationis & gaudii spiritualis ac tranquillitatis conscientiæ, *coll. Psalm.* LXXXIV. 11, 12. CXXXIII. 1, 2, 3. III. Quia denique habebant *Significationem* & Institutionem *Moralem*, & cultus spiritualis per carnalem illum egregie adumbrabatur, *coll. Ps.* L. 14, 15, 23. LI. 19, 20. *Malach.* I. 11. *Rom.* XII. 1. *Heb.* XIII. 15, 16. 1. *Pet.* II. 5. Hæc sunt illa quæ AMOENITATIS nomen jure meritò SACRIFICIIS LEVITICIS conciliabant.

XIX. Verùm & rectè *Amœnitas* JEHOVÆ dicuntur eadem a Davide. Erant enim à *Jehovæ* instituta. Deinde id quod præfigurabant, quod erat Christus moriturus ad demonstrationem justitiæ Divinæ, & ad decens exercitium Misericordiæ erga peccatorem Electum, *gratum* & *amœnum* est *Jehovæ Jes.* XLII. 1. *Matth* III. 17. *Luc.* II. 14. & simul נֹעַם AMOENUM AMABILEM efficit *Jehovam* peccatori *Psalm.* XXXVI. 7, 8, 9. CXXXV. 3. CXLVII. 1. ut & peccatorem *Jehovæ*, sicuti etiam Spiritualis cultus, quem adumbrabant, idem præstabat *coll. Psalm.* XVI. 6.

XX.

XX. Hæc verò nisi respexisset David, nunquam profectò SACRIFICIORUM APPARATUM, externo aspectu nil jucunditatis præ se ferentem, vocasset AMOENITATEM JEHOVÆ, neque tantopere illum in Tabernaculo VIDERE desiderasset oculis primò corporis, & dein mentis acie investigare ac INQUIRERE. Verbum בקר significat studiosè & tempestivè inquirere id quod oculis non obversatur, mediante Luce, quæ singulis mane oritur, unde Hebræis בקר Boker *mane* significat, quia tunc primùm depulsis tenebris requirimus ea quæ latebant, uti haud malè *Bellarminus* observavit. Plures Interpretes *Objectum Inquisitionis* hujus aliud constituunt quam *Amœnitatem*, quæ est objectum *Visus* expetiti; sed malè. Eadem Amœnitas quæ est objectum *Visus* corporalis etiam est objectum *Inquisitionis* spiritualis, sed diverso respectu. Illud enim quod amœna effecit sacrificia est spirituale aliquid, mente conspiciendum, meditatione, *coll. Ps* XXVI. 6. CXIX. 99. 100. & collatione Legis Ritualis cum Verbo Promissionis & cum Lege Charitatis attenta mente eruendum, ope Spiritus illuminantis, a Davide ideo expetiti, ut *intueretur* MIRABILIA hæc LEGIS ejus. *Psalm.* CXIX. 18. *coll. Psalm.* XXVI. 6. 7.

XXI. Cum itaque hic fuerit *Finis* desideratæ Habitationis in Tabernaculo Jehovæ, nemo mirabitur Davidem in hoc desiderio *Primarium* imo *Omnium Votorum* suorum pro hujus Vitæ Bonis *Summum* constituisse; *coll.* 1 *Cor.* II. 2. Enimvero cupiebat ea *Videre* & ad Visum *Inquirere*, ut in *Cognitione* Christi Sponsoris morituri cresceret, *coll.* 1. *Pet.* I. 10, 11, 12. *Fides* sua in illum corroboraretur, *Amor* exardesceret, *Dei* admirabiles *Virtutes* ex hoc Opere Redemtionis per mortem Vicariam Filii conspicuas *Ps.* LXIII. 3, 4. *deprædicaret*, & *Gratitudinis* sinceræ sacrificia spiritualia edisceret, Deo offerenda ex corde puro, atque adeò in *spirituali Vita* gratiæ, connexâ cum illâ gloriæ quotidie magis magisque proficeret, ad gloriam Dei & Ecclesiæ ejus ædi-

ædificationem. Quod Omne sanè *Unum* illud *Necessarium* a Christo commendatum complectitur, & quod Votorum nostrorum debet esse *Primum* imo *Summum.*

XXII. Longe itaque rectius atque altius sapuit David hac in parte quam Judæi jam per tot secula occæcati, qui Naturæ & Mundi Imaginem quidem in Tabernaculo, neutiquam verò Mysterii Redemtionis per mortem Messiæ ut piacularis Victimæ, reperiunt. Majores eorum ante Nativitatem Christi rectius hæc Mysteria intellexerunt. Nullum est dubium enim quin David ad exemplum Abrahami *Gen.* XVIII. 17, 18. omnisque Fidelis Doctoris 2 *Cor.* 1. 4. ea quæ in Sanctuario didicit cum aliis etiam communicaverit: *coll. Ps.* LI. 15. 17. Unde etiam hæc Doctrina in Populo Dei semper conservata fuit, quamvis pauciores eâ imbuti fuerint, nam *Filii desolatæ* & *sterilis*, id est, credentes in Christum moriturum ad justificationem numero pauciores fuere *Filiis Maritatæ*, id est, *Justitiariis*, Ancillæ servientis liberis, inde a Monte Sinai ortum trahentibus. *Jes.* LIV. 1. *Gal.* IV. 22—30, sed valde auctis tempore *Pharisæismi*, quando Doctrina hæc penitus ferè obsurata est inter Judæos: uti hodie hæc cognitio ablata est prorsus ab ipsis, restituenda, cum Legem Mosis *converterint* ad Christum Crucifixum, Finem & Scopum ejus *coll.* 2. *Cor.* III. 16.

XXIII. Coronidis loco lubet appingere ea quæ Viri Clarissimi Coccejus & Gussetius ad Loca *Psalm.* XXVI. 6. LI. 9. & LXIII. 6. commentati sunt, quia plurimùm ad firmandam nostram Thesin conducent. *Coccejus* ad *Psalm.* XXVI. *vers.* 6. ita translatum, *Lavo in innocentia palmas meas. & circa altare tuum versor, Jehovah*, hæc inter alia adnotavit. *Allusum est ad ritum ablutionis, quo utebantur sacra facturi. Exod.* 30. 19. *Hinc apparet, veteres non ignorasse mysticum sensum ceremoniarum. Simile Psal.* 51. 9. Ubi ita David: *Expiabis me hyssopo, & purus ero; lavabis me, & præ nive exalbescam*; & ubi *Coccejus* in Commentario suo ad

hunc

hunc Locum ita ab se translatum scripsit. *Maxime insignis ritus lustrandi erat, quum sanguine hostiæ aspergebatur expiandus, quod fiebat hyssopi aspergillo.* Quod cum descripsisset, ejusque usum in Mundatione Leprosi *Levit.* XIV. 4, 5, 6, 7. aspersione aquæ lustralis *Heb.* IX. 13. *Num.* XIX. & superliminarium in Ægypto *Exod.* XII. notasset, atque hoc loco maximè respectum esse ad purificationem a Leprâ, quia David se peccatorem *immundum* profitetur, *Remissionem* peccati *purgationem* vocat, & *Leprosus* post *aspersionem lavabatur*, ac in *Christo utramque figuram implementum habere*, observasset; ita pergit. *Hyssopi solius meminit, cætera subintelligens. . . . . Nam per Hyssopum tota illa ceremonia sacramentalis innuitur. Tamen non subsistit in Sacramento: sed ad Veram & internam purificationem Conscientiæ, quæ fit ab ipso Deo penetrat. Non enim dicit, Sacerdos filius Aharonis me expiabit hyssopo: sed* Tu *me expiabis hyssopo. Deinde in lege hæc purificatio sacramentalis pro leprosis est posita, non pro adulteris & homicidis: sed David intelligit, in lepræ plaga notari omnem corruptionem humanæ naturæ, & justificationem nostram per lepræ purgationem significari. Quo admonemur, Patres Veteris Testamenti & bene intellexisse mentem divinarum Ceremoniarum & per illas ad Christum, tanquam unicum fidei scopum, deductos esse. Planissimum enim est, si David non cogitasset de aliquo sacrificio hilastico, quo peccata sua purgarentur, nihil de hyssopo & expiatione per illam dicturum fuisse.* Optime. Audiamus nunc *Gussetium.* Ita ille in *Comment. Ling. Ebraicæ* ad Verbum חטא *Ps.* LI. 9. תחטאני באזוב expiabis me hyssopo; *adhibetur* (חטא in Pihel) *eo sensu quo solet in sacrificiorum applicatione ad propitiationem Dei erga reum designandam. Hoc nemo non cernit, sed aliud est quod volo. David non potuit hoc dicere sensu Legis Mosaicæ corporeo. Nam peccata alia eluebantur sanguine victimæ hyssopi ope adsperso. Adulterium vero & homicidium non erant de illorum numero, quæ erant Davidis crimina, ut nec idololatria. Tribus enim illis expiatio-*

tionem nullam Lex suppeditat. Itaque David verbis utens Legalibus cogitat expiationem specie diversam: nimirum eam quæ in Christi sanguine residet, retroque vim suam ad Davidem usque & ultra exporrigebat. Quam enim aliam? Quare ostendit suo exemplo Patres Veteris Testamenti intellexisse typos remque ipsis significatam. Hac data occasione, indicabo & exemplorum par, in quibus pariter David utens locutionibus à Lege desumtis, non potuit tamen significare res Legales, sed proinde assurgit ad alias res quarum illæ erant symbola, Ps. 26. 6. ואסובבה את מזבחך & circuibo altare tuum. *Sacerdotis erat circuire aram. Videlicet prius debebat lavare ad mare æneum, & inde redire ad latus altaris, unde spectaret tabernaculum, quod non poterat fieri nisi circuitione magnæ partis altaris. . . . Non erat ergo cur David hoc de se diceret, nisi quòd se spectaret ut fidelem, nôritque fideles adumbrari sacerdotibus, ac horum functiones corporeas adumbrare certos fidelium actus in spiritu & veritate exercitas. Deinde Psal.* 63. 6. (ut adipe & pinguedine exsatiatur anima mea) *non potest convenire Davidi ad Legis amussim* (David enim non comedisset adipem חלב contra Legem *Levit.* VII. 24, 25.) *& hoc unum superest ut ei conveniat res lege depicta, quam ipse cognitam vendicaverit sibi ut fideli: qua de re nos ad nomen* חלב *dicemus quod satis est. Juvat autem his tribus argumentis evicisse Patrum cognitionem sublimiorem quam nonnulli velint & ad res Evangelicas lumine Legem superante emicantem.*

DIS-

DISSERTATIO SEXTA

DE

LINGUA VATIS CALAMO SCRIBÆ VELOCIS COMPARATA.

In *PSALMO.* XLV. *v.* 2.

I.



HAUD esse hunc Psalmum quadragesimum quintum Vulgare Epithalamium de Rege aliquo terreno, sed singulare omnino de Rege Divino, Messiâ, Filio Dei, non modò Auctoritas N. T. & totum Psalmi Argumentum docent; sed etiam *Titulus* præfixus, & floridum *Procemium* clamant. Appellatur enim in *Titulo*, *v.* 1. משכיל *Erudiens*, vel *Eruditio.* Si ulli, certè huic Psalmo competit hoc Elogium plenissimo sensu. Docet enim, præ Aliis; Pluralitatem Personarum in Unâ numero Essentiâ divina; Veramque *Regis*, Messiæ nempe de quo loquitur, etiam ex Consensu Judæorum, Deitatem *vs.* 7. 8. *Heb.* 1. 8. 9. quæ est fundamentum Religionis Christianæ & salutis miseri peccatoris *Jer.* XXX. 21. *Act.* XX. 28. 1 *Joh.* 1. 7. & simul Humanitatem Ejus, *vs.* 3. ex Patribus *vs.* 17. assumendam ab Ipso. Docet præterea Regni Ejus Æternitatem *vs.* 7. *solium tuum, Deus, in æternum:* ut & Sponsæ Ejus mysticæ, quæ est Ecclesia; tum Invisibilitatem quoad Essentialem ejus formam, *vs.* 14. *Tota gloriosa est*

 Fi-

Filia Regis פנימה *intro*, *intus*; tum Perpetuitatem in terris usque ad finem mundi, *vs.* 17. *Loco Patrum tuorum erunt filii tui*, ex spirituali hoc Conjugio continuò prodituri; tum Dignitatem magnam: *vs.* 17. *Constitues eos Principes in totâ tera.* Appellatur porro שיר ידידות *Canticum: Vel Amorum*; & Filii Dei æterni erga Electos peccatores; & horum erga divinum illum Sponsorem ac Sponsum, quem ostendunt abnegatione omnium in hoc Mundo, etiam Charissimorum pignorum, juxta id quod legitur *vs.* 11. *Audi filia, ac vide, & inclina aurem tuam; oblivifcereque populi tui & domus paternæ tuæ:* Vel potius *Dilectarum*, a Dilectis Ecclesiæ Membris canendum, sive de illis agens, sive etiam in usum Singulorum Fidelium perpetuum compositum. Hi sunt præ cunctis aliis mortalibus *Dilecti*, quia Electi ab æterno ad salutem 2 *Theff.* II. 13. atque ex amore incredibili proprio hujus Divini Regis sanguine Redemti 2 *Cor.* V. 14. 15. & ex eodem æterni Amoris fonte Vocati ex præsenti sæculo malo *Jerem.* XXXIII. 16. quosque amat Ille ut pupillam oculi sui, & curat & conservat, quibusque delectatur valde *vs.* 12. *Psalm.* XVI. 3. *Jes.* LXII. 3, 4. *Zach.* II. 8. *Ps.* CXXVII. 2. Indicat denique *Titulus* hoc Canticum esse Unum eximium ex *Psalmis Israëlis* 2 *Sam.* XXIII. atque ex *Canticis Tzijónis*, *Psalm.* CXXXVII. 3. utpote cultui Dei publico in Templo, ac Ecclesiæ Institutioni & Consolationi destinatum; cum dicitur; *Præcentori super Schoschannim Filiorum*, vel *Filiis*, *Korachi*, ab his conservandum & cantandum solenniter in Sanctuario, *coll.* 1 *Chron.* VI 33—37. XXV. 4—8. &c.

II. Post Titulum non minus hoc clamat Magnifica *Præfatio vs.* 2. in quâ Tria Enuntiata distincta occurrunt, ad commendandum hoc Canticum ut Singularissimum ac Excellentissimum comparata. Primum respicit ad *Argumenti Qualitatem.* Est nimirum *Verbum Bonum*, ac suave Euangelium de Unico Mundi Servatore *Gen.* XLIX. 21. *Jes.* LII. 7. *Heb.* VI. 5. *Ebullit*, inquit Propheta, non Deus Pater, uti

uti Augustinus cum Aliis Veterum, *Cor meum Verbum Bonum:* sic simul indicans esse hoc Verbum Bonum, ex corde erumpens, *in corde suo*, in Intellectu, Voluntate, Memoriâ, Se sensum ejus intelligere, fide amplecti Regem hunc, eâque Connubium stabile cum eo contraxisse, amore præterea ardentissimo se Eum prosequi, & vehementer gaudere in communione Ejus, ut & de salute multarum Gentium olim futurâ per Eum. Quomodo *in corde* habuerunt Prisci Vates Prophetias, quas de Christo *ex corde* suo, igne Spiritus Sancti accenso ac ebulliente, protulerunt olim 1 *Pet.* I. 11. *Matth.* XIII. 16. 17. Alterum Enuntiatum extollit *Objecti Principalis*, de quo agitur, *Dignitatem: dicens Ego Poëmata mea de Rege;* Maximo nempe, Cœli & Terræ, Tzijonis *Psalm.* II. 6. Israëlis Veteris *Psalm.* CX. 1. *Jerem.* XXX. 21. & nunc Gentium quoque *Psam.* II. 8. & Excelsissimo *Apoc.* XVII. 14. & Singularissimo, Deo & Homine simul, cujus Regnum in sanguine proprio olim fundendo nunc fuso fundatum est, qui Leges suas præscribit & simul inscribit Potenter cordibus hominum, pœnasque & præmia dat Æterna, & cujus denique Regni nullus unquam erit Finis *vs.* 7. *Jes.* IX. 6. *Dan.* II. 44. &c. Qui adeo dignus est, ut omnium Mortalium aures audiant Ejus laudes, *recitandas* publice a Vate, cum admiratione, fide, amore & obsequio absolutissimo. De quo proinde quia tam magna & multa dici possent, quibus omnibus recitandis tempus nullum sufficeret, & quæ millena volumina vix caperent si scriberentur omnia, *coll. Job.* XXI. 25. ideo subjungit tandem Tertium hoc Enuntiatum, quod nostræ tractationis nunc erit subjectum, לשוני עט סופר מהיר LINGUA MEA CALAMUS SCRIBÆ VELOCIS.

III. In Versione *Tremellii* & *Junii* ita connectuntur hæc Verba cum præcedentibus, ut *duplicem modum*, quo recitaret Vates hæc sua Poëmata, significent. *Dicturus sum Ego Poëmata mea* de *Rege: Linguâ meâ* & *stylo*, ut *scriba*

 prom-

promtus. Non nego Prophetas ſtylo ſeu calamo ſuo quoque nobis *dicere* & *loqui*; juxta phraſin Scripturæ frequentem *Matth.* I. 21. 11, 17, 23. IV, 14. XII. 17. XIII, 35. *Act.* II. 16. 2 *Pet.* I. 21. &c. Neque inficior Præfixum ב, cauſſam inſtrumentalem aut modum actionis indicans, ex conſuetudine Linguæ Sanctæ abeſſe poſſe, *coll*, *Pſalm.* XLIV. 3. LX. 7. &c. Sed difficulter mihi perſuadere poſſum, ſi hoc voluiſſet Propheta, eum omiſiſſe in voce עט, & affixum pronomen primæ perſonæ, quod eſt in לשוני Lingua *mea*, & præfixum ו; quamvis & hujus præfixi ellipſis non careat exemplo apud *Glaſſium*, *Grammat. Lib.* IV. *Tract.* I. *Obſerv.* VII. ubi allegat 1 *Sam.* IV. 8. *Pſalm.* CXXXIII. 3. *Jeſ.* LXIII. 11. Interim res hoc Enunciato ſignificata eodem redibit, ſive *Linguam* ſuam duntaxat, quâ recitaret hoc Canticum, ſive etiam *Stylum* ſuum, quo ſcriberet illud *Calamo ſcribæ velocis*, vel *ſemet ipſum* in recitando & ſcribendo pariter, comparet *prompto* ac *celeri ſcribæ*. Simplicius tamen eſt ut in hoc Enuntiato Tertio *Lingua* Prophetæ ſit *Subjectum* Ejus, de quâ dicit, Eam eſſe *Calamum Scribæ velocis*, id eſt, ei ſimilem. Sic ferè omnes Interpretes Veteres & Recentiores. Chaldæus, ממלל לישני מוחי היך קולמוס ספרא רגיל *Verbum linguæ meæ feſtinans ſicuti calamus ſcribæ expediti.* LXX. ἡ γλῶσσά μου κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου. Symmachus apud Euſebium, ἡ γλῶσσά μου γραφεῖον γραφέως ταχινοῦ, Aquila, γραφεῖον γραμματέως ταχινοῦ. Vulgatus, *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.* Hieronymus ad Principiam, *Lingua mea ſtilus ſcribæ velocis.* Piſcator, *lingua mea* erit *ſtylus ſcribæ celeris.* &c.

IV. Loquitur de LINGUA SUA, quâ *Sermonem* hunc *Bonum*, *in corde* conceptum, intellectum, creditum, *ex corde*, igne Spiritûs ſancti accenſo, & *ebulliente*, pro concione proferret atque recitaret Propheta, quæque etiamnum reſonat in ſcripto hoc Cantico. Sic *recitaſſe* Davidem, alioſque Prophetas, quandoque opera ſua, haud abſ-

abſque ratione colligitur ex 2 *Sam.* XXIII. 1, 2. *Jerem.* XXXVI. 4, 5, 6.

V. Loquitur porro de CALAMO SCRIBÆ VELOCIS. Per סופר מהיר *Scribam velocem*, *celerem*, *expeditum*, non intelligit *impropriè* dictum Scribam. *Scriba ipſe Chriſtus eſt*, inquit *Hieronymus* in Commentario, *unde dixit in Euangelio*, *omnis ſcriba doctus in Regno cœlorum ſimilis eſt patrifamilias* (*Matth.* XIII. 52); velociter ſcribens: *Quia nullus tam citò ſcribit*, *ſicut ipſe Dominus in cordibus ſanctorum ſcribit. Quid ſcribit*, *niſi fidem ſpem & charitatem ſuam?* Γραμματεὺς ὢν τὸ πνεῦμα, nempe ἅγιον Θεοῦ ζῶντος, inquit *Baſilius*, *quoniam ſapiens eſt & omnes docens &c.* Hoc ſequutus eſt cum Aliis *Dan. Feſſelius* in *Adverſariis ſacris*, *Lib.* 1. *C.* 1. §. 12. *Metaphoricé* γραμματεὺς, סופר, ſcriba *Pſalm.* XLV. 2. *vocatur* Spiritus ſanctus, *quia non ſolummodò Scripturæ ſacræ autor eſt*, *verum etiam lingua Prophetarum & Apoſtolorum tanquam calamo uſus*, *verba illa quæ cordibus ipſorum inſpiraverat*, *protulit ad Eccleſiæ ſalutarem ædificationem.* Addunt Alii; Spiritum ſanctum eſſe *Virum* illum, indutum veſtibus lineis cum *atramentario ſcribæ* ad lumbos ſuos *Ezech.* IX. 2, 3. Illumque eſſe *Digitum Dei*, per quem olim Lex inſcripta Tabulis lapideis *Exod.* XXXI. 18. *Deut.* IX. 10. quia *Spiritus Dei* & *Digitus Dei* alternant *Luc.* XI. 20. *coll. Matth.* XII. 28. & quia *Spiritui Dei* inſcriptio Legis in Tabulis cordis carneis tribuitur 2. *Cor.* III. 3. Imo & hoc obſervant, quòd emphatica ſit hæc comparatio Spiritus ſancti cum סופר מהיר, quatenus denotat, vel *Eruditum* quemvis, vel *Legis Doctorem*, vel etiam *Amanuenſum*, quia Spiritus ſanctus, eſt Sapientiſſimus *Jeſ.* XI. 2. 1 *Cor.* II. 10, 11. & Eccleſiæ Doctor Efficaciſſimus *Joh.* XIV. 26. XV. 13, 14. & quaſi Amanuenſis Chriſti *Joh.* XVI. 13, 14. & quidem *velox* admodum, utpote qui unico momento multa ſcribit in animis eorum quos convertit, ut patet in Paulo, Aliiſque magno numero in Feſto Pentecoſtes converſis.

VI. Verùm si hoc intendisset Vates, & *Christum* ipsum, vel *Spiritum S.* intellexisset, Excellentiæ aliquod signum vel Epitheton adjecisset, uti autumo; ex quo clariùs constare potuisset Unam vel Alteram ex Adoranda Trinitate Personam heic intelligi debere; non ita simpliciter, Ipsum Divinum *Regem*, modò nominatum, de quo tot præclara in sequentibus enarrat, aut *Spiritum sanctitatis Ejus*, nominasset *scribam celerem* & *expeditum*. Et præterea sic difficilior redditur sensus totius hujus Enuntiati. Quis *calamus* esset hujus Scribæ Divini? An Lingua Prophetæ? *Pluribus placet*, ita scripsit *Lorinus*, *scribam esse Spiritum sanctum*, Linguam *Prophetæ* calamum, *per quam linguam dum illam movet Spiritus sanctus* scribere *idem spiritus censeatur*, *non solùm in corde Prophetæ*, *sed etiam aliorum ad quos Prophetæ Scripta vel Verba perveniunt*. Durus hic est sermo qui Linguam hominis in calamum scribæ transformat. Sed, ajunt, *Calamus* pro *Organo* ponitur, & sensus est, *Lingua* mea est *Organum* Spiritûs S. quamadmodum *Eusebius* hoc explicat in Commentario. Respondeo: Calamus est organum scribentis, lingua loquentis. Quis sibi facile persuadeat distincta hæc organa confudisse Vatem, & ut indicaret *Linguam* suam esse *organum Spiritus Sancti*, hoc ita expressisse, *Lingua mea est calamus scribæ velocis?* Quapropter etiam Interpretes notam similitunis hîc subaudiunt, Lingua mea est vel erit *ut* calamus scribæ velocis. Quod si probes, iterum rogo; Quis *calamus* est hujus scribæ *Divini*, cui comparet Vates *Linguam* suam, ab isthoc calamo Sp. S. verè distinctam? An *Virtus Sp. S. Flexanima*, quâ Legem Christi cordibus inscribit? Sed hæc à Spiritu sancto non est essentialiter distincta, nec separabilis ab eo, uti Calamus a Scriba Humano est. Et quomodo *Linguam suam* diceret hoc sensu David vel Propeta alius quispiam, *huic Calamo Spiritus S.* similem? *Verbum* enim Prophetarum & Apostolorum a *Virtute* Spiritûs vorticordiâ diversissimum est naturâ & operatione suâ 1 *Cor.* II. 5, 6, 7.

6, 7. Conjuncta esse, fateor, *Verbum* & *Spiritum sanctum* *Jes.* LIX. 21. quoniam Hic ad præsentiam istius Verbi, sed potentissimâ, & a Verbi operatione distinctissimâ, operatione fidem producit in cordibus Electorum. Quare etiam *Euangelium* dici δύναμιν εἰς σωτηρίαν vulgò volunt *Rom.* I. 16. Alii vero *Christum* ita vocari â Paulo contendunt. An ergo ad hanc *Conjunctionem* Linguæ suæ cum virtute vorticordia Spiritûs respexit Psaltes, quando dixit, *Lingua mea* est, vel erit, vel sit, *Calamus scribæ periti:* hoc sensu scilicet, Lingua mea erit, vel sit, *conjuncta* cum Flexanima illa Virtute Dei ad salutem Electorum? Non videtur: Nam non dicit, Lingua mea erit CUM *Calamo* scribæ velocis, sed UT Calamus Ejus. Videmus ergo hæc verba vix commodum sensum habere posse, si *Scriba velox* heic sit *Spiritus sanctus.*

VII. Est itaque longè commodior & facilior Via eruendi genuinum hujus Enuntiati sensum, a nobis calcanda, ne *Spiritum sanctum Dei pro* SCRIBA *huc* MODÒ *avocemus*, uti sonant Verba *Mantuani* in Commentario. Nempe intelligit Propheta *scribam propriè dictum.* Non tamen *Politicum*, Regis alicujus aut Civitatis, qui enumerat, scribit, recenset, custodit, Decreta, Judicia, Res gestas, Generationes, Reditus, Milites, Operarios, *Turres* seu Machinas Bellicas quascunque, 2 *Sam.* VIII. 17. 2 *Reg* XXII. 3. 1 *Chron.* XVIII. 16. 2 *Chron.* XXXIV. 16. *Esth.* III. 12. *Jes.* XXXIII. 18. &c. Neque *Ecclesiasticum*, Sacrarum Literarum Peritum, Legisque Divinæ Interpretem, aut Exercitatum in Schola vel Academiâ Doctorem: quo sensu *Esra* vocatur סופר מהיר בתורת משה *Esdr.* VII. 6. & de *Scribis* legitur *Matth.* VII. 29. XIII. 52. *Marc.* XII. 28. *coll. Matt.* XXII. 35. Neque etiam *Oeconomicum* illum, qui privatorum Contractus & Instrumenta describit, quales fuisse videntur *Kinæi* 1 *Chron.* II. 55. *coll. Jer.* XXXII. 11. quos hodie appellamus *Notarios.* Neque tandem *Virum* aliquem *Literatum* & *Eruditum*, qui סופר 1 *Chron.* XXVII. 32. & γραμματεὺς 1 *Cor.* I. 20.

I. 20. appellatur, unde *Illiterati* ἀγράμματοι dicuntur *Act.* IV. 13. Ad quorum Scribarum tamen Unum aut Alterum heic esse respectum judicant Aliqui; ac si sensus esset: *Vel*, Lingua mea eloquetur *Regis* Messiæ Decreta, Præcepta, Res gerendas, Generationes, Arma; instar Calami Scribæ *Politici*, quo ista omnia perscribuntur: Vel, Lingua mea non nisi erudita, sublimia, & mihi probè cognita proferet, uti Calamus Scribæ *Ecclesiastici*, aut *Docti* cujusvis *Viri*, non nisi docta, & quæ certè scit, chartæ mandare solet. *Quòd si scribam sumamus pro Doctore*, inquit *Lorinus*, *qui sit velox in Lege*, *ut Esdras*, *indicabitur summâ Doctrinâ constare Psalmum istum*, *esse de rebus altissimis.* Alius apud *Viccars*, ut *Calamus scribæ*, *qui legit scribitque cum intelligentiâ*, *sic ego scribam* (dicam) *quæ certè scio.*

VIII. Verùm intelligit *Amanuensem*, qui excipit & describit verba liberè loquentis, vel potius dictantis ad calamum, qualis *Scriba* fuit *Baruch Jerem.* XXXVI. 26. *coll.* cum *vs.* 16, 17, 8, 32. Etenim ejusmodi Scriba, qui ad volubilis linguæ dictamen scribit, *velox* in scribendo & *celer* esse solet. Quomodo & heic occurrit scriba מהיר. Quod vocabulum Hebræum, origine ex מהר *festinavit*, *celerem* notat atque *expeditum*, uti sumitur *Prov.* XXII. 29. איש מהיר במלאכתו *Vir celer*, *expeditus*, *in opere suo.* Quem sensum heic expresserunt *Chaldæus*, LXX. *Symmachus*, *Aquila*, *Vulgatus*, *Hieronymus*, Aliique Veteres & Recentiores. Quæ scriptionis celeritas cum supponat Exercitationem & Peritiam, non mirum est hanc vocem מהיר in aliis Linguis Orientalibus cognatis notare *Peritum*, *Doctum*, uti adnotatum est à *Muisio*, & à *de Dieu*, qui tamen exinde notionem celeritatis heic non attendendam esse minus rectè inferre videtur.

IX. Quia porro de Scriba *Celeri* loquitur, per Vocabulum עט; quod est generale, quodlibet γραφεῖον & instrumentum scriptorium acutum & acuminatum notans, à

עטה

עשה *acuit;* hoc in loco non intelligit Vates *Stylum ferreum*, aut ex aliâ durâ materiâ confectum, quo fiebat apud veteres literarum incisio, sine affusione coloris, in saxis, lignis, plumbo, tabulisque gypsatis ac ceratis *Job*. XIX. 24. *Jer*. XXVII. 1. Nam ejusmodi stylus ad velociter scribendum parum aptus est. *Hoc loco* inquit *Lorinus*, *cujusmodi intellexerit David instrumentum*, *satis videtur intelligi ex epitheto Scribæ* velociter scribentis; *velocius enim sine dubio scribitur in charta*, *calamoque seu stylo ex penna vel canna*, *quam ex ferro vel osse*, *similive alia materiâ*, *quæcunque sit materia in qua scribatur*, *aut lapidea aut plumbea* &c. Sed intelligit: vel *arundinem* seu calamum arundineum proprie dictum, Chaldæo קולמוס, Aquilæ χοῖνον dictum, quales dabat *chartis habiles Memphitica tellus*, juxta *Martialem Lib*. XIV. *Epigr*. XXXVIII: vel *pennam* avium; quo utroque instrumento, humore atri vel rubri coloris tincto, scribebant veteres in *Pergamenâ*, ex ovinis aut hædinis aliisque pellibus paratâ, aut in *papyro* & *charta;* etiam Judæi *Jerem*. XXXVI. 18. *Ezech*. IX. 2. 3. quorum libri ab antiquis temporibus מגלות *volumina* dicti sunt *Psal*. XL. 8. Ex quo probabiliter colligitur; *Membranas* seu pelles, quia ex pecudum membris detractæ sunt, uti *Isidorus* loquitur *lib*. VI. *c*. XI. non demum *Pergami* ab *Eumene Rege* esse *inventas*, uti *Plinius* scribit *lib*. XIII. *c*. XI. quamvis fortè tunc majori copiâ factæ fuerint, & hinc *Pergamenæ* dictæ. Certè Græcis de re antiquissimâ usurpatum fuit proverbium, *Diphterâ* (id est, membranâ) *antiquior*; sicuti hoc quoque ab *Hugone* annotatum est. *Probabiliter* dixi, ex *voluminis* vocabulo posse colligi membranarum usum apud Judæos veteres, non *certò:* quia *Plinius* etiam de *plumbeis voluminibus* loquitur, ex quibus monumenta publica confici cœpta sunt, *lib*. XIII. *c*. XI. Quem tamen plumbi *laminam* sic intellexisse contendit *Hermanus Hugo*, modò laudatus, de *primâ scribendi origine* &c. *cap*. X. *p*. 94, 95. *Sed e plumbo volumen diuturnum nullum fieri potest*, *plumbum enim*, *semel*,

iterum, tertiumque convolutum & evolutum, facillimè rumpitur. Inde enim nomen volumini datum à crebrâ convolutione, ut refert Isidorus Lib. VI. *c.* XIII *Igitur per volumen Plinius laminam intellexerit: sicut Sueton. Neron. c.* XX. chartam plumbeam *vocat, quam eandem Plinius, Lib.* XXXIV. *c.* XVIII. (*referens de Nerone eandem rem cum Suetonio*) *appellat* plumbi laminam*: & certum omnino videtur, cum publica monumenta, quæ vulgò publicè spectanda proponuntur, nihil opus sit instar voluminum posse convolvi.* &c. Utrumque ergo Scriptorium instrumentum, *calamus* & *penna*, cum aptum sit ad celeriter ac festinanter scribendum in chartâ vel pergameno, alterutrum eorum intellexit Propheta, loquens de Scriba *velociter scribente.*

X. Dicit denique Propheta, Linguam suam *Esse*, vel *Futuram* esse, Pennam, aut Calamum Scribæ Velocis. Quod propriè intelligi nequit. Disparatum enim de disparato prædicatum in casu recto nunquam sumitur vel sumi potest sensu proprio. Est itaque heic Ellipsis notæ similitudinis, aliàs familiaris, *Psalm.* XXII. 7. *Eccles.* VII. 26. *Hos.* VII. 8. Et plenè verba Hebræa ita sonant Latinè: *Lingua mea* (est, erit, sit) UT *Calamus Scribæ Velocis.*

XI. Non conveniunt Interpretes: quâ in re *Similitudo* inter Linguam Psaltis & Calamum Scribæ Celeris sit posita juxta mentem Ejus. *Alii* ad *Efficaciam* hujus Boni Sermonis in animis Auditorum ac Legentium hoc referunt, *votivè* inprimis capientes verba: Lingua mea *sit* UT *stylus* Scribæ Velocis, quo *stylo* inciduntur literæ in ære saxo ligno, ita scilicet penetrent verba mea, adjuvante Divina gratiâ, in animos mortalium, eosque aperiant, flectantque ad Obsequium Regis hujus, & forment eos in *Epistolam meam*, & *Christi* 2 *Cor.* III. 2, 3. iisque firmiter inhæreant. Sed Vocabulum עט heic non sumitur pro עט ברזל *stylo* ex *ferro*, aliâve materiâ durâ confecto; quemadmodum antea à nobis observatum fuit.

XII.

XII. *Alii* ad *Elegantiam* & *Claritatem* Sermonis hujus Boni reſpiciunt. Scriba enim *Peritus* eleganter nitideque ac ſplendidè literas, facile legibiles, pingit. *Simeon de Muis* in Comment. *Poſſunt hæc verba hanc habere ſententiam, lingua mea nitidè ac terſè elocutura eſt, ſicuti quis ſcribendi peritus nitidè literas pingit.* Hoc etiam inter alia adduxit Clar. *Coccejus* noſter: *Ut Scriba exercitatus eleganter pingit literas, omnibus legibiles, ita lingua mea, à Spiritu Dei agitata, verbum bonum, quod eſt in corde meo, πρὸς πᾶσαν συνείδησιν exponit, ut verba in tabula eleganter ſcripta,* למען ירוץ קורא בו / *ut non offenſet, ceſpitet, hæreat, ſed currat, qui legit Hab.* II. 2. Uterque, & Muiſius & Coccejus, laudavit *Jarchium.* Sic diceret Hieropſaltes ſe eleganter & clarè elocuturum eſſe, pro ratione Objecti digniſſimi & capacitate Auditorum ſuorum, viviſque & exquiſitis coloribus ac imaginibus depicturum eſſe glorioſum *Regis* Sponſi & *Reginæ* Sponſæ myſticæ ſtatum. Quod & fecit omnino in hoc Cantico Vates. Sed vox מהיר derivatâ & *ſecundariâ* quâdam notione *Peritum* & *Exercitatum* ſignificat; *primâ* & *propriâ* indicat *Celerem.* Quâ ſignificatione heic ſumi, ex veterum Interpretum conſenſu quoque, maximè veroſimile videtur. Non enim סופר מהיר nominando ad καλλιγραφίαν, præciſè ita dictam, ſed ad ὀξυγραφίαν & ταχυγραφίαν & βραχυγραφίαν, reſpexit Vates; ſi Veteres Interpretes ſequamur.

XIII. *Alii* Cantici hujus *Originem Divinam* ſic indicari autumant. Ut calamus dependet & movetur à Scriba, eique inſervit ad ejus verba & cogitata ſignanda: ſic Ego ſpontè quidem & voluntariò, ſed non *proprio motu* dicam, neque *propria verba* & *inventa cordis mei* referam, verùm *Dei Verba* mihi inſpirata, ut & reliqui omnes Prophetæ fecerunt, 2 *Sam.* XXIII. 3. 2 *Tim.* III. 15, 16. 2 *Pet.* I. 21. Huc ſpectare exiſtimo verba *Theodoreti*, οὐδέν, φησί, οἰκεῖον φθέγγομαι. οὐδὲ τῆς ἐμῆς διανοίας ὠδῖνας προσφέρω. ἑτέρου δὲ ὑπουργὸς ἐνεργείας ἡ γλῶττα. καὶ αὕτη μὲν μιμεῖται κάλαμον, ἡ

δὲ χάρις τοῦ πνεύματος γραμματέα ταχὺν, διὰ ταύτης ἃ βούλεται γράφουσα. Quæ ex interpretatione *Antonii Carafæ* ita Latinè sonant. *Nihil, ait, proprium loquor, neque meæ mentis partus affero. Alius verò efficaciæ lingua ministra est, & ipsa quidem calamum imitatur; gratia verò spiritus velocem scribam, per hanc quæ vult scribens.* Sed hæc Interpretatio hoc habet incommodi, quod planè prætereat *Epitheton* Scribæ, qui מהיר *velox* notanter dicitur in Textu.

XIV. *Alii* rursus ad *Perpetuam Permansionem* hujus Cantici hoc trahunt. Nempe litera scripta manet, vox prolata perit. Ex quibusdam *Augustini* ad hunc locum verbis Nonnulli ansam ceperunt cogitandi de *Verbi Scripti Æternitate* heic notatâ. Ita *Bellarminus. Vel, significare voluit, prophetiam hanc non abituram in ventum, ut quæ ore pronunciantur; sed perpetuò mansuram, ut quæ calamo exarantur.* Ita quoque *Corderius. Aut ideo quoque calamo Scribæ linguam suam similem dixit, quia voces ejus, non ut verba, quæ fusa in aëre solvuntur, erant interituræ, sed ad memoriam æternam duraturæ.* Verùm tunc potiùs linguam suam *stylo ferreo*, de quo Jobus loquitur *cap.* XIX. 24. comparasset, quo verba sua *in rupe inciderentur* in *perpetuum:* neque *Velocis* Scribæ meminisset, qualis non est, qui *Ferreo* utitur stylo.

XV. *Alii* ad *Veritatem Ethicam*, seu ad *Fidelitatem* suam in Recitatione hac suâ hoc referunt. Quasi diceret: sicuti Scriba *fideliter* cogitata & dictata excipit & chartæ imprimit: ita Ego dicam omnia *fideliter*, quæ mens mea linguæ meæ, aut etiam Spiritus Sanctus ei, dictabit. Lingua mea erit fidelis mentis meæ a Spiritu Sancto afflatæ Interpres. Non aliud dicam quàm quod mente, a Spiritu agitatâ, concepi. *Musculus: Linguam suam comparat calamo velociter scribentis, id est, ejus qui* ex animi sententia *scribit. Calamus enim ei, qui libenter & animo prompto scribit, obsequentior est ac properantior, quam ei qui non ex ani-*

animo scribit. Ita qui ex corde loquitur obsequentissimam habet linguam. Quibus verbis tamen videtur *Musculus* hoc referre, & ad *Veritatem Ethicam*, & ad animi *Affectum*, amoremque suum erga Regem, de quo caneret Vates.

XVI. Alii denique, ad notionem *Celeritatis*, quæ est primò & propriè in voce מהיר, respicientes, & considerantes, quòd, qui celeriter aliquid agit, expeditè & absque hæsitatione agat ac interruptione, atque simul cum ardore & zelo; horum alterutrum vel utrumque heic notari credunt. Nempe sic diceret Psaltes: *Vel*; se *non tardè composuisse* hæc Poëmata, utpote a Spiritu S. sibi inspirata, qui *tarda molimina nescit*, nulloque *ad meditationes & conceptus formandos indiget tempore*, se *ungues non demordisse, quod solent facere Poetæ, tum in inventione rerum, tum in earum dispositione laborantes atque sudantes*, ut loquitur *Amyraldus* in Paraphrasi: *Vel*; se *celerrimè* & *absque hæsitantia* ulla carmen hoc recitaturum, uti *Dathenus* in Rhytmo

Myn tong sal syn lof melden over al
Snelder dan een schryver die 't schryven sal:

Vel; se magno cum *ardore animi* ac *zelo*, in citata oratione conspicuo, hoc Carmen Nuptiale pronunciaturum, ex ebulliente & igne Spiritus S. accenso corde suo. *Significare vult*, inquit *Muisius*, *quisquis est Author hujus Psalmi, magnum dicendi & scribendi ardorem, qui non patitur moras.*

XVII. Ut tandem dicam sententiam meam: cum iis facerem doctissimis Interpretibus, qui per *Scribam celerem* intelligunt talem, qui verba loquentis simpliciter, vel *dictantis* potius, celeriter excipit & chartæ mandat, quia utitur *abbreviationibus*, scripturæ compendiis, literarum furtis, & Notis, & qui ideo proinde erant ταχυγράφοι quia βραχυγράφοι & σημειογράφοι, atque εἰς τάχος διὰ σημείων scribebant. Hi incredibili celeritate scribebant, &

 ma-

manus eorum sæpe velocior erat linguâ dictantis. Unde *Martialis* in noto Egigr. CCII. Lib. XIV.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Quare Hieronymus ut insolitum quid enarrat quod linguâ sua celerior fuerit manu Notariorum, in Epistola de *Vitando suspecto contubernio*, in fine: *Hæc ad brevem lucubratiunculam celeri sermone dictavi, volens desiderio postulantis satisfacere, & quasi ad Scholasticam materiam me exercens. Eodem enim die mane pulsabat ostium, quâ profecturus erat. Simulque ut ostenderem obtrectatoribus meis, quod & ego possem quicquid veniret in buccam dicere. Unde & de scripturis pauca perstrinxi: nec orationem meam, ut in cæteris libris facere solitus sum, illarum floribus texui. Extemporalis est dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profusa*, ut notariorum manûs lingua præcurreret, & signa ac furta verborum volubilitas sermonum *obrueret. Quod idcirco dixi, ut qui non ignoscit ingenio, ignoscat vel tempori.* Aliquando illis *Litera Verbum* erat, ut loquitur *Manilius, Astron.* IV. quales literas *siglas* fuisse dictas, quasi *singulas* volunt Nonnulli. Aliquando autem *Notas* adhibebant, hinc σημειογράφοι dicti, quas *Manilius* l. c. à *literis* distinguit. *Hic & Scriptor erit fœlix, cui littera verbum est. Quumque notis linguam superet, cursumque loquentis, Excipiens longas nova per compendia voces.* Quæ *Notæ* non erant literæ, sed *compendia literarum*, quas alii volunt *sigla* esse appellatas, quasi dicas *sigilla*, parvasque *incunculas*. quibus literas obsignabant quasi, & plus esse intelligendum, quam expresse scriptum erat, indicabant. Has enim *Notas* vocabant Figuras, Imagines, Signa, Σημεῖα ἐν μικροῖς ἢ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα, ut *Plutarchus* in *Catone* loquitur: Referunt a Cicerone conscriptum fuisse *Dictionarium*, quod à Cypriano postea auctum esset, *cujus singulis verbis signa quædam ipse præfixit, significantia id verbum cui præfixa sunt*: v. g. ר *Tempus* signat &c. Qui de his plura

cu-

cupit, adeat *Lipsium*, *Cent.* 1. *Epist. ad Belgas*, *Epist* XXVII. & *Matth. Raderum* Scholiastem *Martialis* doctissimum, in *Lib.* XIV. Epigr. CCII. *Salmuth* ad *Panciroll. p.* 11. *Tit.* XIV. *Hermannum Hugonem* de prima scribendi Origine & universæ Rei litterariæ Antiquitare *c.* XVIII. *J. Nic* de *Siglis Veterum c.* III. VII. &c. *Alios.*

XVIII. Ad hujusmodi *Scribam*, *Notarium* dictum, heic fieri allusionem haud dissimulavit *Hieronymus*, quando in *Epist.* ad *Principiam* ait, *nos posse* per scribam velocem *intelligere Notarium*, *qui quodam signorum compendio breviatum sermonem* exarat. Et scripsit *Rivetus*: *Est tamen semper Metaphora sumta à Notariis illis*, *qui celeriter aliorum dicta excipiebant per notulas quasdam*, *aut abbreviaturas quas vocant*, *& scripturæ quædam compendia.* &c. Et huic sententiæ calculum suum adjecerunt *Lorinus*, *le Blanc*, *Ferrandus*, Alii.

XVIII. Apud Romanos *Primi* hujus artis scribendi per *Notas literatas* & *illiteratas*, ut vocant, Authores, qui eas vel invenerunt vel auxerunt, nominantur *vilissima mancipia* a Seneca, *Mæcenas* ejusque libertus *Aquila* à Dione, Cicero à *Plutarcho*, *Tiro* libertus Ciceronis ab Eusebio, *Ennius* ab Isidoro. Videantur *Hermannus Hugo*, c. XVIII. *Lipsius*, l. c. Aliique plures. Apud Græcos vero laudatur *Xenophon*, qui floruit *Olymp.* XLIV. ut qui πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τά λεγόμενα εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν. *Primus notis excipiens dicta* (Socratis) *in homines protulit*, uti est apud *Laërtium* in Vitâ Ejus *lib.* II. p. m. 45. Apud Ægyptios mos notis hieroglyphicis res & animi sensa significandi ab antiquissimis temporibus invaluit. Apud *Judæos* denique ab ævo *Abbreviaturæ* obtinuerunt. *Tantopere*, inquit *Buxtorfius* de *Abbreviat. Heb.* p. 2, 3. *hoc scribendo Hebræi gaudent*, *ut nullus Liber*, *nullum Scriptum*, *nulla Epistola*, *nulla pagina aut scheda eo ferè careat.* Caussa fortè est, quia hic scribendi modus in gente Hebræa inde à primis sæculis in usu fuit. Nomen *Maccabæorum* usitatis

tis apud Judæos istiusmodi *Abbreviaturis* suam originem debere volunt. Apud *Sixtum Senensem* in *Biblioth.* S. *Lib.* 1. *p.* 23. legitur. *Cæterum quia hæc duo volumina ab illustri* Maccabæorum *cognomine titulum accepere, libet hic breviter subnectere, quæ de origine hujus cognominis ipse legi in commentariis Rabbi* Isaac Benschola, *id ita se habet:* JUDAS *Mathathiæ filius, cum adversus Antiochum, Judæorum hostem, esset prælium initurus, dedit militibus, ceu belli tesseram, sententiam illam Mosis Exodi cap.* 15. 11. מי כמכה באלים יהוה *Mi Chamocha Baelim Jehova, hoc est,* Quis sicut tu in fortibus Domine? *jussitque eam singulis ordinum vexillis, tanquam certæ victoriæ omen, inscribi per quatuor has literas* מכבי *hoc est* M. C. B. I. *quæ initiales sunt prædictarum quatuor dictionum, & earum sensum ex integro significant. Sed cum vulgus militum quatuor has literas brevitatis gratia pronunciare cœpisset, non juxta integram quam referunt sententiam, sed secundum unicam duntaxat dictionem, quæ primum ex earum combinatione resultat, videlicet* MACCABÆI: *paulatim militaris consuetudo obtinuit, ut hujus tesseræ author Judas, & eorum Posteri,* MACCABÆI *cognomine appellarentur.* Inter Theoreticæ Cabbalæ species apud Judæos est quoque illa quam vocant נוטריקון *Notarikon*, per quam ita exponunt sacram Scripturam, ut scribit Menasseh in *Conciliatore*, *Quæst.* L. *ad Exod.* 34. 27. Exempli gratiâ, cum in Psalmo Tertio, vs. 2. dicitur רבים *Multi* insurgunt adversum me, *Kabbalistæ exponentes hoc de populo Judaico, quærunt, qui sunt* רבים Multi *qui insurgunt adversus populum Israël? & respondent: isti sunt illi quatuor populi, quos* DAVID SIGNIFICAT *per quatuor dictionis literas* רבים *hoc est,* ר *Romani,* (רומיים) ב *Babylonii,* (בבליים) י *Iones sive Græci,* (יונים) מ *Medi sive Persæ,* uti legitur apud *Hackspanium* de *Cabbala Judaicâ* §. XIII. Hæc Cabbalistarum opinio, quod existiment, Spiritum Sanctum, quo afflati scripserunt oracula Divina Vates, *singulas* vocum *literas* pro *integris aliis vocibus* posuisse, originem fortasse duxit

duxit ex antiquissimo hoc scribendi more, in gente Hebræa usitato, juxta quem *Litera verbum* erat, uti loquitur *Manilius*. Quod sanè non minus est probabile quàm quod existimant Alii, hunc Cabbalisticum interpretandi modum acceptum fuisse a Daniele, qui cœlesti digito exarata illa verba, מנא מנא תקל ופרסין *Mene*, *Mene*, *Tekel*, *Upharsin*, *Dan.* v. 25. ita interpretatus fuit, ut singula verba integras sententias expresserint. Vide *Pererium* in locum illum. Ita *Raderus*, ab *Hermanno Hugone* etiam exscriptus l. c. *Multis annis ante Ciceronem Judæa notarum videtur artem invenisse; captatâ ex Danielis interpretatione hujus compendii occasione. Daniel enim illa cœlesti digito exarata verba*, Mane, Thecel, Phares, *sic est interpretatus*, *ut singula verba singulas observarent orationis sententias. Magistri ergo & Divinarum literarum interpretes genus inde interpretandi novum invenerunt*, *quod Cabbalisticum appellarunt; quâ non tantum sententias & integras Scripturæ Divinæ orationes explanant*, *sed etiam syllabas*, *& singulas quasque literas separatim expendentes*, *quasi lateat in singulis aliquid mysterii*, *excutiunt*, &c. *& conjectura est hinc* a Judæis *manasse rationem hac methodo non interpretandi tantum*, *sed & scribendi*. Ipse *Hermannus Hugo*, ex Jesuitarum Societate vir Doctus l.c. ex hoc ipso Textu nostro colligit priscum hunc Hebræorum per Literarum compendia & Notas scribendi morem. *Ego*, inquit, *postquam expendere cœpi illum versiculum Davidis Psal.* XLIV. Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis: *postquam excutere cœpi antiquitatem Hieroglyphicarum notarum*, *non aliud potui suspicari*, *quàm longè antiquius notarum originem esse indagandam. Neque tamen primus id audebam apertè affirmare*, *donec comperi Patrem nostrum Raderum*, *& ex eo Patrem etiam Lorinum in Psal.* XLIV. *id docuisse*.

XIX. Atque adeo, ut applicemus hæc tandem ad dictum nostrum, *Lingua mea* erit ut *Calamus Scribæ Velocis*, hoc vult dicere Vates: Eloquar Poëmata mea de *Rege* Maximo, Excelsissimo, Singularissimo, Potentissimo, Æterno,

no, de quo tam multa tam ingentia tam miranda cum mihi dicenda essent, si singula deberem exprimere, Ego Scribæ ὀξυγράφου & βραχυγράφου morem sequar, & Regni Messiæ mysteria per paucarum literarum compendia, ac imagines quasi exponam, & si non omnia huc pertinentia, *multa* tamen breviter, & per *Notas* quasi ac *Imagines* dicam, & sic saltem aliquid hujus Rei intelligentibus & attendentibus clarè satis exponam.

XX. Quomodo indicare noluit Propheta *Obscuritatem* Cantici hujus & Scripturæ Divinæ. Fatemur quidem quod βραχυγραφία ista fuerit quædam κρυπτογραφία. Cicero Lib. XIII. ad Atticum, *Quod ad te de legatis scripsi, parum credo intellexisti, quia* διὰ σημείων *scripsi.* Unde & ejusmodi *Notas* a legum Codicibus abolendas censuit *Justinianus*, quia errori ansam dabant, non uno modo explicari cœptæ. *Ne autem per Scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio: jubemus, non per signorum* (sigillorum, siglorum) *captiones, & compendiosa ænigmata, quæ multas per se,* & *per suum vitium* ἀντινομίας *induxerunt: ejusdem codicis textum conscribi* &c. *Cod. Lib.* I. *Tit.* XVII. §. 13. Sed omne simile est etiam dissimile. Est quoque in scriptura per *notas* & *literarum compendia* quædam *obscuritas:* sed ideo ad illam quoque respexisse Vatem non sequitur, dum alia sunt quoque, ad quæ in hac comparatione respicere potuit. Interim fatemur, comparatè ad lumen gloriæ, lumen gratiæ, in Verbo resplendescens, esse ut *Speculum* & *Ænigma* 1 *Cor.* XIII. 12. & in Scriptis *Propheticis* comparatè majorem esse *obscuritatem* quàm in Apostolicis: quæ tamen in se satis *perspicua* sunt in omnibus ad salutem necessariis, *Psalm.* CXIX. 105. 2 *Pet.* I. 19.

XXI. Sed docere mihi videtur I. Hoc suum *Canticum Amorum* sive *Dilectarum* esse modò *Compendium* rerum; quæ in *Cantico Canticorum* Salomonis de Spirituali *Connubio* animæ fidelis cum Christo, in quo est fundamentum justificationis peccatoris per solam fidem, propter justitiam

tiam Christi imputatam fide apprehensam; atque in *aliis Scripturæ locis*, latius diducuntur. II. *Modum*, quo mystici hujus Connubii *Arcana* exponit, in hoc Psalmo, nimirum per *Notas* quasi *Figuras* ac *Imagines*. Quorsum faciunt; *Pulchritudo* Sponsi laudata *vs.* 3. *Gladius* memoratus *vs.* 4. *Tela* penetrantia *vs.* 6. *Thronus*, *vs.* 7. *Oleum* lætitiæ *vs.* 8. totusque ornatus *Vestimentorum* Regis & Reginæ descriptus *vs.* 13, 15. &c. III. *Magnitudinem* & *Multitudinem* Rerum *infinitam*, quæ in Rege Messiâ sunt reconditæ *Coloss.* II. 3. quæ si plenis verbis efferrentur aut scriberentur, tempus deficeret, & vix æternitas sufficeret, imo mundus vix caperet libros conscribendos de hoc Rege, *Joh.* XXI. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros.* Sunt illa ἄῤῥητα ῥήματα cœlis reservata, ibique olim resonatura, nec tamen adæquate unquam à finitâ creaturâ intelligenda 2 *Cor.* XII. 4. De *Mysterio* Dei *ac Patris & Christi* loquitur Paulus *Coloss.* II. 2. Est Nomen *Filii Dei* Nomen *Mirabile Jud.* XIII. 18. *Prov.* XXX. 4. *Jes.* IX. 5. Ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα *Phil.* II. 9. ὄνομα διαφορώτερον *Heb.* I. 4. In Deo incarnato est *Magnum Mysterium* 1 *Tim.* III. 16. Sic quoque de spirituali Connubio Christi cum Ecclesia dicit Paulus; *Mysterium hoc Magnum est, loquor autem de Christo & Ecclesia Ephes.* V. 32. De quibus *Mysteriis* cum acturus esset Vates, haud mirum est ipsum per modum Excusationis sui subjecisse, quod pro dignitate tam sublimis Argumenti de eo dicere nequeat; & quòd ideò *Lingua* sua futura sit *instar Calami Scribæ*, qui per *Compendia* literarum, *Notasque* ac *Imagines* Res multas latentes breviter complectitur: Prohibet enim Magnitudo & Multitudo rerum harum, ut de iis κατὰ μέρος & καθ' ἓν *nunc* dicamus, *coll. Heb.* IX. 4. *Joh.* XXI. 25. *Videmus nunc per speculum* & per *ænigma* 1 *Cor.* XIII. 11. Veniet beata Æternitas, quando hisce oculis

lis Deum incarnatum *Job.* XIX. 25, 26, 27. cernemus, & *videbimus* Eum *sicuti est* 1 *Job.* III. 2. & juxta Oraculum *Jes.* XXXIII. 15. *intuebimur* REGEM illum in omni PULCHRITUDINE SUA.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA

DE

PULCHRITUDINE ET GRATIA LABIORUM MESSIÆ, PROPTEREA BENEDICTI IN ÆTERNUM.

AD *PSALM.* XLV. 3.

I.

Populus Christi est Populus *Spontaneus* *Psalm*. cx: 3. Non semper faciunt subditi ejus quod volunt *Matth*. xxvi. 41. *Rom*. vii: 18, 19. Sed semper *volunt* bonum quod faciunt, & delectantur eo *Rom*. vii. 22. Si fide amplectantur Eum ad Justificationem, *exsultant gaudio ineffabili & glorioso* 1 *Pet*. 1. 8. Si amoris erga eum indicia edant, in abnegatione bonorum terrenorum, derelictione charissimorum pignorum, ac perpessione flagrorum ac contumeliarum, *gaudent, quod digni habiti sint, qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur*. *Act*. v. 41. Si aliquid cum abnegatione voluntatis propriæ pravæ ac perversæ præstent quod Ipse jussit, & ei placet, magis de eo lætantur, quàm de *omnibus* mundi *opibus Psalm*: cxix. 14. Hujus rei caussa efficiens principalis est victrix regis Messiæ gratia. Non cogit ille subditos suos violenter ad obsequium, sed ex nolentibus volentes facit, tantâque perfundit animos eorum voluptate, ut *spontè* sequi velint trahentem Dominum. *Cantic*. 1. 4. *Jerem*: xxxi. 33. xxxii. 40. Nec desunt caussæ impulsivæ quibus rationaliter moventur illi ad fidem & amorem ejus. Non est cæca illorum obedientia, nec absque ratio

ne Eum volunt & colunt. Est enim in Ipso per consummatam *justitiam* & infiniti valoris *Passionem vicariam*, *roburque* divinum Spiritualis *Pulchritudo* incomparabilis, quæ, conspecta & cognita, peccatorem mortis æternæ Reum, & suæ miseriæ conscium, salutisque æternæ sitientem, vi quadam insita & blanda rapit, & facit ut pleno affectu ruat in amplexus ejus, partim per fidem in eum, partim per amorem ejus. Enimvero si illorum, qui corporis pulchritudine aliis præstant, amor naturæ nobis sit inditus, & libentius iis inservire quàm aliis imperare velimus: non minor sanè est vis spiritualis pulchritudinis Christi, divini Sponsoris nostri & Jehovæ Justitiæ nostræ; quem in Euangelio oblatum incredibili cum animi voluptate amplectuntur Electi, suumque omni affectu volunt esse sponsorem, atque *spontè* ipsum sequuntur per aquas etiam & ignes, neque ullo modo sese ab ejus amplexibus avelli patiuntur, coll. *Jes.* XXV. 9. XLIV. 24. *Apoc.* XIV. 4. Est præterea in Christo magna eloquii suavitas, *Labiorumque* ac sermonis *Gratia*: sive salutis mysteria, olim vel tacita planè, vel non ita perspicuè tradita, doceat: sive miserum peccatorem blandè ad se invitet, & loquatur verba, quæ solus Deus, solusque Immanuel & Servator mundi eloqui potest: sive legem regiam suam amoris Dei & proximi subditis præscribat, non ut *jugum importabile*, propriam ac perfectam legis obedientiam ab ipsis exigendo, ut caussam vitæ æternæ, sed ut *Jugum suave*, sinceram modo obedientiam flagitando, cum promissione remissionis omnium peccatorum & juris ad Vitam æternam propter Justitiam suam iis imputatam *Matth.* XI. 28. 30. Quâ *labiorum* suorum *Gratiâ*, corda mortalium furante & demulcente; tanquam fistulâ pastorali movet oves suas ut se *sponte* sequantur; imo tanquam aureâ catena trahit suos ad se, longè efficacius quam olim *Hercules* in *cujus ore finxerunt aureas catenas; quæ vulgus hominum auribus traherent*, uti adnotatum est â *Calvino*.

II. Hæc *Duo* itaque, PULCHRITUDO Regis Messiæ,

ſiæ, & GRATIA LABIORUM Ejus, quia ſpontaneum faciunt quoque populum ejus; â Vate, in hoc Epithalamio de laudibus Meſſiæ canente, meritò *præmittuntur*, non modò ut fundamenta fidei ſuæ & amoris in Meſſiam Redemtorem exponeret, ſed etiam ut validè moveret miſeros mortales, ut *ſpontanea* fide ſponſorem hunc & ſponſum divinum amplecterentur ad Juſtitiam, & *voluntariâ* obedientiâ ſe ſubjicerent quantocyus magno Regi. Quando poſt *inſcriptionem* & *præfationem verſ:* 1. 2. de quibus in *Diſſertatione* VI egimus, ſtatim in initio ipſius Cantici commendat Regem, â PULCHRITUDINE incomparabili, & â LABIORUM GRATIA ineffabili, ac denique â conſequente BENEDICTIONE divina interminabili, hunc in modùm יפיפית מבני אדם הוצק חן בשפתותיך על־כן ברכך אלהים לעולם *Multò pulchrior es filiis hominis* (vel *hominum*), *gratia effuſa eſt in labiis tuis: propterea benedixit tibi Deus in æternum.*

III. Vates ex Prævifione Propheticâ ſibi proponens Meſſiam *Exaltatum* ad dextram Dei Patris, *præmittit* lætus hanc ejus *Exaltationem* una cum Fundamentis & *Cauſſis* ejus in hoc noſtro *verſu* textuali. Deinde pergens *Prædicit: Tum* glorioſas ejus *Victorias*, quas reportaret ille in cœlum aſſumtus de hoſtibus ſuis; Judæis quidem cominus per *gladium*; gentibus verò, uſque ad fines terræ habitantibus, eminus per *ſagittas* confodiendis; partim ut hîc & poſthac in æternum pereant; partim ut vetus homo in iis occidatur, & novus reſurgat, ac vivant in æternum: *verſ:* 4, 5, 6. *Accinge gladium tuum ſuper femur, Heros, Majeſtatem tuam* & *gloriam tuam. Et* in *gloriâ tuâ proſperè equita ſuper verbo veritatis, manſuetudine juſta, & docebit te terribilia dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ* ſunt: *Populi ſub te cadent, in cor inimicorum regis* penetrant vel penetrabunt. *Tum* regni *Æternitatem, verſ: 7. Thronus tuus, Deus,* thronus *ſeculi & uſque,* vel in *ſeculum & ſempiternum.* Porro *Commendat* regem Meſſiam: *Tum* ut *Æquiſſimum verſ:* 7. *Sceptrum*

re-

rectitudinis est *sceptrum regni tui: Tum* ut *Legitimum*, qui jus habet ad regnum, fundatum in merito *justitiæ vicariæ* perfectissimæ, quæ *causa* est propter quam Pater summus in negotio salutis judex, *unxit eum*, seu constituit regem & declaravit, atque contulit ei *oleum lætitiæ*, seu dona Spiritus sancti supra omnes *socios* reges veteris Israëlis, cum amplissimâ *potestate* communicandi ea cum electis ex omni gente & lingua hominibus; *vers.* 8. *Dilexisti Justitiam & odisti improbitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ sociis suis: Tum* ut valde *Desiderabilem*, propter gratiæ divinæ *Media*, verbum & sacramenta, quæ *Vestimentorum* regiorum & sponsalium instar, a Rege verè distincta sunt, ipsumque in gloriâ suâ ostendunt, distinguunt, ornant, atque simul quodammodo obtegunt & involvunt, propterea ab ipso tandem deponenda in die æternitatis. Quæque *Vestimenta* Christi eodem *lætitiæ oleo* largiter perfusa, dona Spiritûs sancti cælestia, ex *eburneis* cæli tertii *palatiis* demissa, stillarent in accedentes ad ea propius, ad Vivificationem electorum, Confortationem credentium, Lætificationem ac Consolationem lugentium Tzijonis; idque majori copiâ quam olim; *ex quo tempore* scilicet, sive ipsa illa Dona, sive eburnea cæli Palatia ipsum regem Messiam glorificatum *lætificare* incepissent: *vers.* 9. *Myrrha & aloe casia omnia vestimenta tua, ex palatiis eboris, ex quo exhilararunt te.* Præterea *Promittit* ei Regiam *Conjugem* exoptatissimam, & spirituale ac stabile *connubium* cum ecclesia ex judæis & gentibus colligendâ; seu plurimos ex totius orbis terrarum Populis, etiam ditiores ac honoratiores, *dextram* Fidei conjugalis ei porrecturos, & fiduciali amplexu ipsum ut Sponsum & Sponsorem suum apprehensuros, eique sese ut Marito Domino ac Regi subjecturos cum abnegatione voluntatis propriæ, rerumque terrenarum omnium, & idcirco *Tyriis*, id est mundanis opem ipsorum imploraturis quandoque venerabiles & admirabiles futuros; Eum denique splendidis omnium virtutum Christianarum ornamen-

mentis oblectaturos; cum Perseverantiâ Singulorum ad mortem usque; qui singuli successive in die mortis, & omnes simul in die ultimo, intrarent in cæleste Regis palatium, in perpetuum cum ipso & ad ipsius gloriam victuri: *vers:* 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16. *Filiæ regum inter honoratas tuas: stat regina ad dexteram tuam in auro ophir. Audi, Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populi tui & domus patris tui. Et concupiscet rex pulchritudinem tuam. Quoniam ipse Dominus tuus, & procumbe illi. Et filia Tyri in munere faciem tuam deprecabuntur divites populi. Tota gloriosa* est *Filia regis intus, ex ocellationibus auri vestimentum ejus. In acupictis adducetur regi. Virgines post eam, sociæ ejus adductæ tibi. Adducentur in lætitiis & exsultatione, ingredientur in palatium Regis.* Denique *Promittit* regi Messiæ connubium *fœcundum*, multâ & insigni prole beatum, & *liberos* sanctis & credentibus ipsius *patribus similes*, & *principes* eminentiâ natalium cælestium ac spiritualis Dominii in tota terrâ futuros. *vers.* 17. *Loco patrum tuorum erunt filii tui, pones eos in principes in tota terra.* Tandem *Promittit Nominis* perennem celebritatem, & æternas *laudes. vers.* 18. *Commemorabo nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi celebrabunt te in seculum & in æternum.*

IV. Quoniam itaque glorificatus post passiones vicarias Messias menti Prophetæ in hoc Cantico obversatur, incipit ab *Exaltatione* ejus, cujus *Fundamenta*, *Caussasque duas* præmittit. Qui Salomonem in hoc Epithalamio celebrari existimant, ab *Effectis*, *Pulchritudinis* nempe & *Eloquii*, ad *Caussam* assurgere Vatem statuunt, *Benedictionem* scilicet Divinam; vertentes illud על כן *quia* vel *propterea quod benedixit tibi Deus in seculum.* Et hoc quidem necessarium est ex hac hypothesi; quoniam præstantia Salomonis & gratia labiorum ejus non fuêre caussæ benedictionis divinæ, sed benedictio Dei ex adverso caussa fuit omnis sapientiæ & gloriæ ejus, 1 *Reg.* III. 11, 12, 13. Quare mirari licet hoc sequutos esse etiam illos interpretes, qui solius Mes-

fiæ laudes heic decantari nobiscum judicant; cum nulla similis prægnans ratio ipsos ad hoc sequendum coëgerit, & cum omnia melius & facilius intelligantur, quando *Pulchritudo* & *Gratia labiorum* Messiæ statuuntur *Caussæ* & *Fundamenta* insecutæ *Benedictionis* ejus, uti ex dicendis in sequentibus patebit. Considerabimus itaque paulò propius & distinctius, primò *Caussas* exaltationis Messiæ præmissas: deinde *Exaltationem* ipsam. Caussarum prima est Eximia *Pulchritudo* ejus, Altera verò *Gratia labiorum ejus*, quam utramque nunc paulò latius tractabimus.

V. De Pulchritudine Messiæ ita canit Vates יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם *Multò pulchrior es filiis hominis* vel *hominum.* Haud absque ratione ante omnia Regio *Sponso*, cujus nuptias cum Ecclesia heic celebrat, tribuit *Pulchritudinem*: & quidem *eximiam*, utens verbo יָפְיָפִיתָ *formæ geminatæ*, *ad intendendum significationem* inquit *Piscator*. Compositum volunt nonnulli ex kal & pyhal, vertuntque ideo *multò pulchrior effectus es*: quod Alii improbant, nec absque caussa, quia nullum *dagesh* ex Pyhal heic occurrit in litera פ. *Malim* inquit doctissimus *Piscator*, *multò pulchrior es.* Verbum hoc potius est duplicatum *Kal*, vel compositum ex verbo in Kal יָפִיתָ & nomine adjectivo יָפֶה *japhe pulcher*, aut substantivo יְפִי *jephi Pulchritudo*: atque adeo idem sonat ac *pulcher es pulcher es*, vel *pulcher pulcher es*, vel *pulchritudine pulcher es*, id est *Pulcherrimus es* Filiorum hominis; qui *superlativus* latet in hoc geminato verbo, mox tamen abit simul in *comparativum* per præfixum מ, quod comparationi inservit in sequenti מִבְּנֵי אָדָם / *præ filiis hominis vel hominum:* qui sunt non homines plebeji tantum, ut *Psalm.* XLIX. 3. sed *omnes*, ex *Adamo*, & *singuli* ex *hominibus* quibusvis nati, qui בְּנֵי אָדָם dicuntur alibi *Psalm.* XXXI. 20. XXXIII. 13. &c, & hîc, ita ut ipse Adam primus homo neutiquam excludatur.

VI. Atque adeo *collocat* Messiam per *superlativum* latentem in verbo geminato יָפְיָפִיתָ in ordine & numero *hominum*,

num, atque *filiorum hominis*. Hoc enim per *comparativum* facere non potuit. Quemadmodum enim Deus per comparativum, quando dicitur sapientior hominibus, in horum ordinem non redigitur, sed per superlativum, si diceretur sapientissimus omnium hominum: & sicuti homo per comparativum, quando dicitur sapientior brutis hisce non adnumeratur, verùm si diceretur aliquis homo sapientissimus brutorum, eo ipso in horum ordinem referretur: sic quoque, quando Messias dicitur *Pulcherrimus hominum*, manifeste in horum numero ponitur; atque prædicitur de eo; ipsum fore hominem verum, & perfectum corpore & animâ humana constantem; imo fore eum Hominem ex hominibus prodituram, non immediatè a Deo creandum, sed semen mulieris *Gen.* III. 17. Abrahami *Gen.* XXII. 18. filium Judæ *Gen.* XLIX 10. semen Davidis 2 *Sam.* VII. 12. Hominem & Filium hominis *Psalm.* VIII. 5, 6, 7. LXXX. 18. *Dan.* VII. 13. Et quando hoc prædicitur de illo qui *vers.* 7. & 8. *Deus* appellatur, Mysterium illud magnum Incarnationis Filii Dei revelatur hic æque ac alibi *Jes.* VII. 14. IX. 5, 6. *Jer.* XXIII. 5, 6. XXX. 21. *Mich.* V. 1. &c.

VII. Sed & sic *Confert* Messiam cum hominibus in *Pulchritudine*, ut simul illum eis omnibus longissimè *Præferat* Huc enim nos ducit *comparativus* expressus per מ præfixum in מבני אדם. At verò ut rectè percipiamus quid per hanc *eximiam pulchritudinem* Messiæ, quâ omnes omnino *homines* superat, intelligat Vates; observandum est in genere eum per *Pulchritudinem* intelligere: non aliquid *generale*, quod in sequentibus per partes exponeret; verùm aliquid *speciale* â reliquis Messiæ laudibus in hoc Epithalamio repertis, in formali conceptu suo distinctum. Quemadmodum enim in regio sponso humano, ad quem heic alluditur, Pulchritudo formæ corporeæ differt formaliter ab ejus eloquio, fortitudine bellica, armaturâ tremenda, æquitate regiminis &c. Sic etiam hæc *Pulchritudo* Messiæ, ut ab iis omnibus in sequentibus illi tributis distincta, spectari de-

bet. Deinde speciatim præstruenda sunt fundamenta quædam & præmittendæ regulæ quædam, ut secundum illas Interpretatio hujus *Pulchritudinis* Messiæ componatur & feliciter instituatur. Nempe hujusmodi *Pulchritudo* heic intelligi debet: *Quæ* I. non movet & delectat oculos corporis, & carnalem appetitum excitare potest, sed *Amabilem* ac *Desiderabilem* Messiam facit peccatori misero iræ Divinæ æternæ obnoxio. Hic enim scopus est Vatis in hac descriptione Regis sui, ut Sponsam, seu multitudinem Electorum ex Judæis & Gentibus moveat ad eum fide amplectendum, atque ei obedientiam promptam ac sinceram præstandam. II. In *Quâ comparari* potest cum filiis hominum, & cujus Pulchritudinis aliquid in iis quoque reperitur, ita tamen ut longè eminentiori modo in ipso solo locum habeat. III. *Quæ* denique in Messia *ante Exaltationem* ejus fuit, hujusque Fundamentum ac *Caussa* extitit: nam dicit Propheta, *Propterea* benedixit tibi Deus in seculum; quomodo hebraicas voculas על כן vertendas esse censemus, quod nunc supponimus, postea verò demonstrare conabimur. Hac triplici Interpretationis clave adhibitâ facilè reserabimus hoc oraculum, & penetrabimus in verum ac proximum ejus sensum à Spiritu sancto intentum.

VIII. Certè si hæc Fundamenta solida sint, uti existimamus, hæc *Pulchritudo* Messiæ tributa non est *propriè dicta*, corporis; vel *glorificati* nunc in cælis, *Phil.* III. 21. de quo hoc intellexit *Irenæus*, *Lib.* IV. adv. *Hæreses. Cap.* XXXIII. vel LIII. §. 11. & de quo heic cogitavit etiam *Bellarminus*; vel *mortalis* quod secum gessit in his terris ante Resurrectionem suam. Nam si concedamus eum tunc formâ corporeâ pulcherrimum mortalium fuisse; hæc tamen Pulchritudo ejus *Caussa* exaltationis ad dextram Dei non fuit, neque eum peccatoribus æternæ damnationi obnoxiis & æternæ salutis sitientibus *Amabilem*, nec *Desiderium* omnium *gentium* efficere potest. Præteriit dudum corporis mortalis Pulchritudo; necquicquam *pro-*

desset

deſt peccatori *formoſa caro* Chriſti, ſed deformata tantum & crucifixa. Aberrat itaque magnopere a vero dicti hujus ſenſu *Joh. Fechtius*, Theologus Roſtochienſis in *Noctibus Chriſtianis*, *Excercit: de forma faciei Chriſti*, quando illud de *Pulchritudine* formæ corporeæ proprie dictâ interpretatur; & urget §. VI. *Cujuslibet vocis primum ac nativum ſenſum tamdiu retinendum eſſe quamdiu indubitatis rationibus ex proprietate haud depellimur.* Nam litera abſque ullâ temeritate deſeritur, ubi præmiſit auctor *linguam* ſuam futuram eſſe *calamum ſcribæ velocis*, id eſt *figuraté* ſe multa dicturum, ac per corporales *imagines* res ſpirituales breviter & compendioſe eſſe depicturum: quod uti certò fecit in *Gladio* memorato, & *Telis*, & *Throno*, & *Oleo*, & *Veſtimentis*; ſic etiam ipſum hoc facere in *Pulchritudine* hac regio ſponſo adſcripta, tutò aſſerere poſſumus. Deinde præter allegatas indubitatas rationes habemus etiam alias quæ prohibent heic de *propriè* dicta *pulchritudine corporeâ* cogitare. Qualis enim eſt pulchritudo ſponſæ laudata *verſ.* 12, talis & ſponſi eſſe debet. Sed illa Sponſæ ſeu Eccleſiæ ex innumerabili credentium multitudine conſtantis merè Spiritualis eſt, ergo & Sponſi heic laudata pulchritudo ejuſdem naturæ eſſe debet; uti patet quoque ex ampliſſima ejus deſcriptione, quæ extat *Cantic.* v. 10—16. Deinde non tacuerunt Euangeliſtæ de accidentali *Deformitate* faciei Chriſti patientis per maculas & livores, per ſputa, alapas, ſpinas & injurias patibuli, prædictâ *Jeſ.* LIII. 2, 3. De quo Loco aliquid inaudiviſſe *Celſum*, conjecit *Origenes Lib.* 6. p.m. 327. quando malitioſè ex eo finxit, quod Dominus noſter in terris quoad formam corpoream parvus, *deformis & humilis fuerit.* Verùm tacuerunt prorſus iidem Euangeliſtæ de inſigni illâ *formoſitate* corporis Chriſti. Cujus diverſitatis ratio eſt; quòd ab unâ parte inter *ſigna Meſſiæ* expreſſè erat memorata *deformitas* illa accidentalis corporis Meſſiæ per Jeſaiam Prophetam: & quòd ab alterâ parte nihil Prophetæ, nihil Vates quoque in hoc Pſalmo, de *ſpecioſiſſimâ* illa Meſſiæ *Formâ* corporeâ

prædixerant, nec illam inter *Signa* Messiæ posuerant. Quare Euangelistæ, quorum scopus fuit demonstrare, quod signa Messiæ prædicta in Jesu nostro impleta sint, nihil prorsus de Pulchritudine ejus corporeâ, quâ omnes homines superabat, memoriæ prodiderunt.

IX *Impropriè* dicta *Pulchritudo* ergo heic intelligenda est, eaque constituenda formaliter in eo quod præ aliis omnibus, quæ in Rege Messia sunt, *delectat* peccatorem, atque huic illum maximopere *Amabilem* ac *Desiderabilem* reddit. Sicuti enim Pulchritudo corporis proprie dicta illa est apta compositio membrorum, cum coloris quadam suavitate, quæ movet oculos, & *delectat*; sic impropriè per Metonymiam caussæ pro effecto, id pulchrum dicitur, quod *delectat*, animo placet, & amorem sui ac desiderium unionis conciliat. *Cicero* in *Tusc. Quæst. Lib.* v. *Num.* 22. *suum cuique pulchrum* est, *te tua, me delectant mea*. Quare etiam inter *Regulas*, secundum quas Interpretatio pulchritudinis instituenda esset, præmisimus hanc, quod intelligi debeat talis Pulchritudo quæ maximopere Messiam peccatori *desiderabilem* reddit. Cui primæ Regulæ si reliquas duas nunc jungamus, exinde apparebit quibus in rebus hæc *Pulchritudo* Messiæ constituenda sit.

X. Nempe consistit: I. In *Humanæ Naturæ Unione Personali* cum *Personâ* τȣ̃ λόγȣ. Hæc Eum *Desiderabilem* reddit Peccatori ut Redemtorem divinum, qui infiniti valoris redemtionis pretium pro infinitis pœnis nostris Deo judici solvere potest, & perfectè salvare omnes ad se accedentes. Nudus Homo, imo nec Angelus è Cœlo id præstare potuit, sed solus *Immanuel Psalm.* II. 7, 8. XLIX. 8, 9. LXVIII. 19, 20, 21. *Jes.* XXV. 9. *Jerem.* XXX. 21. *Act.* XX. 28. 1 *Joh.* I. 7. In hac *Comparari* quadantenus cum *filiis hominum* potest, & simul propter eam iis omnibus *præferri* debet. Unio enim quædam Deum inter & Prophetas locum habuit, sed ἀποτελεσματικὴ tantùm, quatenus hi *Spiritu Dei acti locuti sunt* & scripserunt, 2 *Pet.* I. 21. Sed hæc Unio Humanitatis cum Filio Dei est

Per-

Personalis & perpetua. De nullo Propheta propter illam Parastaticam cum Deo æterno ac creatore omnium Unionem dici potuit, quod fuerit ante Abrahamum, ante mundum, & quod hunc creaverit, atque conservet: quod tamen dicitur de Jesu Christo vi Unionis, *Joh.* VIII. 58. XVII. 5. *Heb.* I. 2, 3, 10. Hæc denique Unio Naturarum in Ipso fuit *ante* Exaltationem ejus, hujusque fundamentum & *causa* extitit, *Phil.* II. 6 - 11. *Heb.* I. 3. *Psalm.* II. 7, 8. II. In *Mediatoris Munere.* Non est *Internuntius* modò, sed Mediator *Propitiationis*, ἔγγυο͂ς *sponsor*, *Heb.* VII. 22. *Jer.* XXX. 21. qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro omnibus 1 *Tim.* II. 6. & *vicario sanguine* suo iratum Numen placavit *Heb.* IX. 15. XII. 24., & *vicaria obedientia* sua ut secundus Adamus vitam æternam pro peccatore Electo promeruit *Rom.* V. 18, 19. 1 *Cor.* XV. 22. Hoc facit Eum *Desiderabilem* Peccatori, cui summus Judex sine interventu hujus Mediatoris gratiam dare nequit *Joh.* XIV 6. *Hoc* reddit Eum *Desiderium omnium Gentium Hagg.* II. 8., & fecit *Delectabilem* Israëli, *Malach.* III. 1. *& repente veniet in Templum suum Dominus quem vos* quæritis, *&* ANGELUS FOEDERIS, id est Mediator Fœderis, *quo vos* DELECTAMINI. *Hujusque* respectu *comparari* aliquatenus potest cum *Filiis hominum*: cum *Mose Internuntio* Fœderis Sinaitici, *stante inter Jehovam* & *Populum Deut.* V. 5: & cum *Sacerdotibus* Aharonicis, ad Deum *pro Populo* appropinquantibus olim *Heb.* V. 1: imo & cum *Prophetis*, Divinæ Voluntatis *Interpretibus*: & simul iis omnibus *præferri* debet; ut Major *Mose*, non solùm infinita Personæ dignitate, sed & Muneris Mediatorii qualitate & efficaciâ; quia ut Verus *Pontifex Domum* Ecclesiæ, in *sanguine* suo *vicario* fundatam, *extruxit Heb.* III. 1, 2; ut Major quoque omnibus *Sacerdotibus* Leviticis; qui *sanguinem hircorum* & *taurorum* modò offerebant, *sanctificantem* ad *carnis puritatem*; ut *tantò melioris fœderis sponsor*, & *secundum Ordinem Melchisedeci Sacerdos*, qui *per proprium sanguinem ingressus est semel in Sacrarium*, *æternam redemtio-*

nem

nem nactus. *Heb*. VII. 21, 22, 23, 24. IX. 11-15. *Psalm*. CX. 4. *Jerem*. XXX. 21; ut Major denique omnibus *Prophetis*, qui doctrinam salutis proposuerunt, verùm occœcatorum hominum mentes pariter illuminare haud poterant ad agnitionem & fidem veritatis, quod solius Christi est, *Luc*. XXIV. 45. Qui ob hanc rationem, aliasque plures dicitur *Angelus Interpres unus ex mille Job*. XXXIII. 23, 24. *Unus Doctor Matth*. XXIII. 8. ac *Pastorum Princeps*, reliquis omnibus Prophetis ac Doctoribus præstantior. Hoc denique Munere Mediatorio functus est, quoad acquisitionem salutis nostræ *ante* Exaltationem suam, atque eo ipso ad hanc sibi viam paravit, *Phil*. II. 7, 8, 9, 10. *Heb*. XII. 2. III. In *Justitiâ* ac *Obedientiâ Vicariâ*, Activâ & Passivâ, de quâ *Jerem*. XXIII. 6. *Dan*. IX. 24. *Rom*. V. 17, 18, 19. &c. Hæc inprimis *Desiderabilem* Ipsum efficit peccatori omni, justitiâ propriâ, quæ coram justissimo Judice valeat, destituto, *Jes*. XLV. 24. *Matth*. V. 6. *Phil*. III. 8, 9, 10. *Hujus* respectu etiam quadantenus *Comparari* potest cum *Hominibus*, *Sanctis* nimirum ac *Magnificis* qui in terrâ sunt *Psalm*. XVI. 3., quorum *pulchritudo* spiritualis laudatur, *vers*. *seq*. 12., & *Cant*. IV. 1. 7. VI. 4-10. VII. 1; sed & simul supra mortalium Sanctissimos *extolli* debet, quia Ejus *Justitia* est *Perfectissima*, *Vicaria*, & infiniti Valoris, utpote *Justitia* DEI, Θεανθρώπου, *Rom*. I. 17. 2 *Cor*. V. 21. *Phil*. III. 9.; quæque propterea causa est omnis Pulchritudinis collatæ Electis peccatoribus 1 *Cor*. I. 30. *coll*. *Ezech*. XVI. 14. *Martyrum* passiones nobis utiles quidem sunt per modum *Exempli* & *Exhortationis Coloss*. I. 24. 1 *Joh*. III. 16., neutiquam verò per modum *Meriti* & *Redemtionis*. Unde Sponsa hanc Θεανθρώπου *pulcritudinem* per *Vicariam Justitiam* utramque considerans, ait; *dilectus meus candidus & rubicundus*, *Vexillarius*, (insignitus, splendidus) *ex* vel *præ myriade*: *Et totus ipse desiderabilis*, *Cantic*. V. 10, 16. Hæc denique fuit in Ipso *ante* Exaltationem Ejus. In Cœlo quidem est quà Homo, sapiens, sanctus, justus. Sed hæc ejus justitia non est *Vica-*

caria amplius. Obedientia Ejus cæleſtis hac in parte eſt alia quàm terreſtris fuit. *Hæc fuit* in Ipſo, quà Homo erat dependens à Deo non modò moraliter, ſed & *Fœderaliter*, ut ſecundus Adam. *Illa* verò *nunc eſt* in Ipſo quia tantum dependet *moraliter*; uti enim *naturaliter* a Deo dependet in æternum, ſic etiam *moraliter*, ſed *Fœderalis* illa *Obedientia vicaria* nunc ceſſat, ad acquirendam ſalutem neceſſaria. Conditio Fœderis de animâ ſuâ ponendâ pro peccatore Electo, & Lege implendâ omni, impleta eſt ab ipſo in diebus carnis, & cauſſa fuit gloriæ cæleſtis inſecutæ, ut docetur quoque a Pſalte *verſ.* 8. *Dilexiſti Juſtitiam & odio habuiſti improbitatem, propterea unxit Te Deus! Deus tuus oleo lætitiæ ſupra conſortes tuos.*

XI. Altera Exaltationis Chriſti *Cauſſa* conſtituitur â Pſalte in GRATIA LABIORUM Ejus, הוצק חן בשפתותיך *Effuſa eſt gratia in labiis tuis. Labia* tribuit Meſſiæ Regi, non ut *Deo*, *verſ.* 7, 8. ἀνθρωπομορφῶς, quomodo alibi de *oculis*, *auribus*, & *labiis* Dei quoque *Job.* XI. 5. legitur; ſed ut *Homini* vero & integro, cui cum reliquis membris corporeis etiam eſſent vera labia humana. Hæc porro *Labia*, non conſiderat nunc Vates; *in ſe*, forma & colore ſuo, ut membra humani corporis ejus pulchra ac decora, non enim appellat ea purpurea aut roſea; ſed conſiderat *relatè*: non tamen ad *oſcula* amoris danda ſponſæ ſuæ *Cant.* I. 2. verùm ad *loquelam*, ut hujus quoque neceſſaria organa, quæ voces ultimò formant, & abſque quibus homo vix articulatè loqui poteſt. Parùm autem intereſt quantum attinet ſenſum principalem, an ſumantur heic *propriè*, an verò *metonymicè* pro *ſermone* ipſo; quomodo aliàs uſurpantur *Gen* XI. 1, 7. *Zephanj.* III. 9. uti & *Lingua Prov.* XXV. 15. ac *Palatum Cantic.* V. 16.

XII. De hiſce vel *Labiis* ipſis, vel *Sermone* labiis efformato, teſtatur porro quod *Gratia in iis* ſit *effuſa*. Non dicit *Gratia* DEI effuſa eſt in labiis tuis, ſed ſimpliciter de *Gratiâ* loquitur. Non intelligit itaque vel *Gratiam Dei*

gratis dantem, quæ est immeritus ejus favor *Exod.* XXXIII. 16, 19. *Job.* IX. 15. *Jes.* LXIII. 9. *Rom.* III. 24; vel *gratiam gratis datam* Ejus, ut sunt dona Fidei Charitatis Spei Gaudii spiritualis *Psalm.* LXXXIV. 12. *Prov.* III. 34. *Heb.* XIII. 9. Atque adeo sensus hujus Dicti non est: Vel Spiritus Sancti dona in Humanitatem Christi haud ad mensuram collata esse *Jes.* XI. 2. *Joh.* III. 34: Vel *per Euangelium* Ejus magnitudinem favoris Dei erga peccatorem manifestari 2 *Cor.* V. 18. *Tit.* II. 11., & per illud tanquam *morale Medium* & *Euangelium Gratiæ* Dei *Act.* XX. 24, 32. conferri nunc Judæis ac Gentibus dona Spiritus salutaria longè majori mensurâ ac olim *Rom.* I. 16. *Jes.* II. 3, 4. *Ephes.* I. 13; Sed *Gratia* heic simpliciter nominata est *qualitas* favorem & benevolentiam excitans, ac Messiam *gratum faciens* Deo & Hominibus. Sic sumitur vocabulum חן χάρις *Gratia Prov* XIII. 15. *Intellectus bonus dat* gratiam. *Prov.* XXXI. 30. *Fallax* (est) gratia, *& vana pulchritudo. Coloss.* III. 16. ἐν χάριτι *cum* gratiâ *canendo in vestro corde Domino.* Inprimis חן χάρις de *labiis* & *sermone* usurpata est ejus *Amœnitas*, *Jucunditas*, *Suavitas*, *Lepor.* Sic occurrit in Sacris. *Prov.* XXII. 11. חן שפתיו gratia labiorum ejus, *amicus ejus Rex* futurus est. *Eccles.* X. 12. דברי פי חכם חן *Verba oris Sapientis* gratia (*sunt*) LXX: λόγοι στόματος σοφοῦ χάρις. *Luc.* IV. 22. *Et omnes . . . mirabantur* ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος super sermonibus gratiæ, *procedentibus ex ore ipsius. Ephes.* IV. 29. *Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor: sed si quis est commodus ad ædificationis usum*, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, *ut* gratiam *auditoribus adferat. Coloss.* IV. 9. *Sermo vester semper* ἐν χάριτι *cum* gratia (sit) *sale conditus. Syrac.* XXI. 16. vel 19. ἐπὶ δὲ χείλους συνετοῦ εὑρεθήσεται χάρις *in Labiis verò intelligentis invenitur* gratia. Similiter apud Auctores Græcos & Latinos χάρις & *Gratia* sumuntur, ut ostenderunt cum aliis *Priceus* in *Annotat* ad *Luc.* IV. 22 & *Raphelius* in *Annotat* ex *Xenophonte* & *Polybio* ad *Ephes.* IV. 29. Eodem modo & heic sumitur חן *Gratia*: quando sensus est;

si

si *Labia* sumas metonymicè pro *sermone*, *gratia*, amœnitas, jucunditas est in sermone tuo; si verò propriè sumas *labia*, *gratia*, id est, per metonymiam adjuncti pro subjecto, *sermo amœnus* est *in Labiis tuis*, seu λόγοι τῆς χάριτος, ut est *Luc.* IV. 22. fluunt ex ore tuo. Fluunt, inquam, nam dicit gratiam *effusam* esse in Labiis Messiæ.

XIII. Sic enim loquitur Vates, *gratia in labiis tuis* הוּצַק id est: Non *infusa* est, uti *Piscator* cum T. & I. quamvis verum sit; Eloquentiam esse donum Dei, *Exod.* IV. 10, 11. 12.; & ori Christi indita fuisse Verba a Deo mittente ipsum, *Deut.* XVIII. 18. *Jes.* L. 4. *Job.* III. 34. VII. 15, 16. VIII. 26. 28. 38. 40. 42. XV. 15.: Sed; Vel *diffusa* est *in* labiis tuis, uti *Vulgatus*, sic nempe ut se extenderit ad labia integra, ex quibus, loquelam formantibus, nil esset nisi *gratiosum*; Vel potius *effusa est per* labia tua, (ut ב præfixum heic indicet organum) id est *gratia*, seu *sermo amœnus* mediantibus *labiis* tuis, largiter ex ore tuo *defluxit*. Id enim quod effunditur per labia, fluit ex ore, non parcè sed copiosè. Haud malè posset verti, *Manat gratia de labiis tuis*. Secundum literam ergo huc redit sensus Enunciati hujus. Ex ore tuo, o Rex Messia, largiter fluent verba amœnissima, Deo pariter ac hominibus gratissima, melle dulciora, oleo molliora, (coll. *Psalm* LV. 12.) præ myrrha suavissimos odores spargentia (coll. *Cant.* V. 13.) limpidissimis aquis puriora, & præ iis delassatos peccatorum animos refocillantia. Quemadmodum verbum יָצַק in Kal, & in Hophal usurpatur de oleo fragrantissimo *Gen.* XXXV. 14. Fluvio *Job.* XXII. 16., & Aquis effusis 2 *Reg.* III. 11. quod bene â *Gejero* observatum est.

XIV. Quando verò hæc *Gratia* ac *sermonis Amœnitas* tribuitur Regi Messiæ â Vate nostro, intelligit talem Ejus sermonem, qui antecessit Exaltationis Ejus statum, & in quo meritum fuit *Benedictionis* cælestis, quæ memoratur in sequenti Enunciato ut *Effectum* hujus *Gratiæ* labiorum Ejus, quando dicit. PROPTEREA *benedixit tibi Deus in se-*

culum. Et proinde non respexit Vates adeò; vel ad suavitatem Vocis Messiæ; vel ad prompti ac blandi Eloquii dulcedinem; vel ad dicendi ornatum, etiam per figurarum troporumque lumina, quibus nonnunquam splenduit Domini oratio; vel ad sermonis in media simplicitate ac humilitate admirandam sublimitatem, in rerum ac conceptuum excellentiâ positam; vel denique ad illam incredibilem persuasibiliter dicendi vim, quâ Auditorum suorum etiam â se alienissimorum animos, sive convictos tantùm, sive etiam conversos, sibi potenter devinxit; quam experti sunt Judæorum Ministri, ad Dominum capiendum emissi, ut ipsimet fatentur, *Nunquam ita locutus est, Homo, sicut ille Homo*, *Joh*. VII. 46. nec non Nazaretani, qui *omnes ei testimonium dabant*, *ac mirabantur super sermonibus* (*plenis*) *gratia*, *procedentibus ex ore ipsius*, *Luc*. IV. 22. Eruditissimus *Beza* tamen in notis ad hunc Lucæ Locum huc respexisse Vatem nostrum existimat. *Neque enim*, inquit Ille, gratia *hoc loco declarat gratuitam reconciliationem sed vim illam plane divinam*, *quæ in Christi verbis totoque habitu inerat*, *ut qui illum audiebant*, *nisi qui plane erant* ἀναίσθητοι *non possent non illum amare*, *suspicere*, *complecti*: *quod etiam apparuit in illis quorum fit mentio*, *Joan*. VII. 49. *ut prædictum erat*, *Psalm*. XLV. 3. Referrem huc potius לשון למודים *Linguam Eruditorum* Messiæ attributam, *Jes*. L. 4. Hæc enim est *Lingua*; quæ non solum dicit, sed docet; & quidem sublimia necessaria atque utilia valde; idque facit more *Eruditorum Veterum* per parabolas atque similitudines aptissimas; & inprimis quæ *Vim persuadendi* habet, & profert ea quæ ad persuadendum maxime idonea sunt.

XV. Verùm respexit sic Psaltes noster vel solùm, vel præcipuè ad *Argumentum* sermonis Messiæ longe gratiosissimum Deo Patri Judici, miserisque peccatoribus; quo sensu etiam *Labia* Christo, *stillantia myrrham*, & *Palati dulcedines* adscribuntur, *Cantic*. V. 13. 16. *Argumentum* hoc porro *non* est *unicè* quærendum in iis *Verbis Euangelicis*, quæ

ut

ut *Propheta* ſimpliciter locutus eſt, & quæ alii prophetæ ac Apoſtoli, nudi Homines quoque, qui ex terra ſunt, loqui poſſunt, adeoque *Meritum Benedictionis* & Exaltationis ad dextram Patris per ſe non inferunt. Qualia ſunt illa: *Beati pauperes ſpiritu*; *Beati qui lugent*; *Beati qui ſunt mites*; *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*; *Beati miſericordes*; *Beati qui ſunt mundo corde*; *quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*, *ſolamen recipient*, *terram hæreditario jure obtinebunt*, *ſaturabuntur*, *miſericordia ipſis tribuetur*, *Deum videbunt*, &c. quibus viam ſalutis aperuit in monte, *Matth.* v. 3 — 10: Ut & illa: *Niſi quis ſit genitus iterum*, *non poteſt videre Regnum Dei*, quibus Regenerationis neceſſitatem inculcavit, *Joh.* III. 3. 5: Nec non illa: *Expletum eſt tempus*, *& appropinquavit Regnum Dei*: *reſipiſcite & credite Euangelio*, quibus ad fidem & reſipiſcentiam exhortatus eſt peccatores *Marc.* I. 15. Nam quamvis hæc Verba Euangelica non poſſint eſſe non amœna jucunda & grata miſeris peccatoribus, non tamen ita ſimpliciter prolata vim habent promerendi cœleſtem gloriam illam, quam huic *gratiæ labiorum* Meſſiæ heic tribuit Vates; quia Meſſiæ non ſunt propria, ſed talia quæ Prophetæ, Johannes Baptiſta & Apoſtoli locuti ſunt, vel loqui potuerunt, juxta Vaticinia, *Jeſ.* XL. 1. 2. 9. LII. 7. & juxta Oraculum Jacobæum *Gen.* XLIX. 21. *Naphtali cerva emiſſa*, *dans verba pulchritudinis*; ſi valeat ejus interpretatio, quam *Clar. Th. Haſæus* in Diſſert. de *Naphtalitide Apoſtolorum patriâ* adduxit; & quæ hæc eſt; *Naphtalitæ*, i. e. quidam ex Naphtali vel poſteris vel regionis incolis, Apoſtoli nempe, *erunt inſtar ablegatæ cervæ*, locuturi Verba *bona*, *pulchra*, id eſt, *Euangelium gratiæ pacis* ac *ſalutis*.

XVI. Sed *Argumentum* hoc Sermonis Meſſiæ conſtitui debet quam maximè in iis *Verbis* quæ Ille *ſolus*, ut Θεάνθρωπος & *Sponſor* melioris Fœderis locutus eſt & loqui potuit. Huc ſpectant omnia illa Verba Ejus, quæ ſummatim prædicta ſunt *Pſalm.* XL. 7, 8, 9. *ſacrificio & munere*

 non

non delectatus es, aures effodisti mihi: holocaustum & oblationem pro peccato non postulasti. Tum dixi, ecce venio: *in Volumine libri scriptum est de Me. Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector:* & *lex tua* est *in visceribus meis:* sed quæ singulatim in Historiâ Euangelicâ laudantur, quibus: vel Patri spondet pro nobis animam suam in sacrificium pro reatu ponendam: vel se eam spospondisse testatur: vel etiam lubentiam suam ad exsolvendam sponsionem illam suam declarat, nimirum per obedientiam suam vicariam activam & passivam perfectissimam: vel denique Semetipsum ut Sponsorem ac Jehovam Justitiam nostram offert peccatori salutis sitienti, illumque blandè ad se invitat: vel tandem Se plene satisfecisse, ultimumque quadrantem solvisse pro electis peccatoribus meritò gloriatur.

XVII Hæc sunt autem inter alia inprimis sequentia. *Matth.* III. 15. *Respondens autem Jesus dixit ad eum, sine nunc, Ita enim* decet *nos implere omnem justitiam:* Te quidem, qui mandatum baptizandi aquâ accepisti a Deo, sed Me ut *Sponsorem*, qui promisi Patri meo, in Consilio pacis, omnis legis ejus hominibus etiam peccatoribus latæ obedientiam plenissimam, ad quam cæteroquin ut *Sanctus Homo* obligatus non essem, ut hac vicariâ obedientiâ activâ præstitâ fiam electis peccatoribus caussa vitæ æternæ. *Matth.* XI. 29. 30. *Venite ad* ME *omnes qui laboratis & onerati estis*, qui Legem Mosis ut Legem Operum infeliciter suscepistis, quomodo est Jugum ἀβάσακτον; *&* EGO, qui Legem Operum in me suscepi ut Alter Adamus, & Sponsor melioris Fœderis, *refocillabo vos*, per obedientiam meam vicariam, vobis me recipientibus sponsorem vestrum imputatam. *Tollite Jugum* MEUM, Legem Charitatis ut normam gratitudinis & obedientiæ sinceræ vobis imponendam, *& discite a me, quod mitis sim & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim* MEUM *facile est, & onus* MEUM *leve est. Matth.* XX. 28. *Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam* SUAM IN REDEMPTIONIS PRE-

TIUM

TIUM *pro multis*, obeatque pro iis ut Victima piacularis Vicariam mortem. *Matth.* XXVI. 28. *Hoc enim est sanguis* MEUS, sanguis *ille novi fœderis, qui pro multis effunditur in* REMISSIONEM *peccatorum*, quam sanguis Victimarum Leviticarum nunquam efficere potuit. & *Vers.* 39. 42. *Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum hoc: verumtamen non ut Ego Volo, sed ut Tu. Si non potest hoc poculum abire à me quin bibam ipsum, fiat Voluntas tua:* sic sponte subjicit voluntatis suæ naturale desiderium Patris præcepto illi & stipulationi fœderali de anima sua ponenda in sacrificium pro reatu, & sponsionem suam renovat atque confirmat. *Luc.* XII. 50. *Baptismo oportet me baptizari*, multa & gravissima mala pati debeo, & mori & sepeliri, *& quomodo constringor usque quo* (hoc) *perficiatur*, desiderat pati & mori ut satisfaciat justitiæ divinæ pro peccatis nostris juxta sponsionem suam: ubi enim amor est ibi est angor, & in desiderio ipsa celeritas quoque mora est, quæ animi angustiam parit. *Job.* IV. 34. *Dicit ei Jesus, Esca mea est exsequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus. Joh.* VI. 35. 48. 51. 53, 54, 55, 56. EGO *sum Panis ille vitæ - quivenit ad* ME, *nequaquam esuriet; & qui credit in* ME, *non sitiet unquam.* EGO *sum panis ille vivificus qui è cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem* EGO *dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ. Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim* MEA *vere est cibus, & sanguis* MEUS *vere est potus* &c. quæ verba meritò Petrus *vers.* 68. vocavit *verba vitæ æternæ*, ut quæ non nisi Auctor & Caussa meritoria Vitæ æternæ loqui potest, & quæ fide recepta peccatori dant vitam æternam. *Job.* X. 11. 15. 18. 28, 29, 30. EGO *sum Pastor ille bonus: bonus pastor animam suam ponit pro ovibus. Et animam meam depono pro ovibus. Nemo tollit eam à me, sed* EGO *depono eam per me ipsum: potestatem habeo deponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Hoc mandatum accepi a patre meo.* EGO *vitam æter-*

ter-

ternam do eis:&c. *Joh.* XI. 25. EGO *sum resurrectio & vita; qui credit in* ME, *etiamsi mortuus fuerit, vivet. Joh.* XIV. 6. EGO *sum Via illa, & illa Veritas & Vita illa. Nemo venit ad Patrem nisi per* ME. *Joh.* XVI. 23. *Quæcunque petieritis a Patre in* NOMINE MEO, propter justitiam meam vicariam, *dabit vobis. Joh.* XVII. 19. *Et pro iis* EGO *Sanctifico* ME IPSUM, *ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Joh.* XIX. 30. *Quum autem accepisset Jesus acetum, dixit* τετέλεσται CONSUMMATUM EST quicquid Prophetæ de Me prædixerunt ex Trinitatis decreto; & Opus Redemtionis ac satisfactionis Vicariæ, quod Pater mihi mandavit, & Ego Θεάνθρωπος voluntariò in Me suscepi in *Consilio pacis* illo, de quo *Zach.* VI. 13.

XVIII. Hæc est illa GRATIA LABIORUM Messiæ. Hæc sunt illa *Amœnissima Suavissima* & *Jucundissima Verba*, melle dulciora, & oleo myrrhino fragrantiora, quæ *effusa* sunt per labia Christi, & manarunt ex iis; quæque nec Moses, nec Aaron, nec ullus Homo, nec Angelus è cælo loqui poterant *Jer.* XXX. 21. *Psalm.* XLIX. 8, 9: sed solus Θεάνθρωπος, & Mediator Dei & hominum; quæque summopere placuerunt Deo Patri Judici *Jes.* XLII. 1. *Matth.* III. 17; & & quæ Ipsum desiderabilem valde reddunt Peccatori; & tandem *Fundamentum* & *Caussa* fuerunt *Benedictionis* Ejus in æternum. Hinc sequitur in Textu, ut *Effectus* & *Consequens Pulchritudinis* Messiæ, & *Gratiæ Labiorum Ejus*, על כן ברכך אלהם לעלם *Propterea benedixit tibi Deus in æternum.* Continent hæc Verba *Prædictionem* de statu *Exaltationis* Messiæ. Quæ *Proponitur* ut ingens *Bonum*, & ut *Effectus* & Consequens *Pulchritudinis*, ac *Gratiæ labiorum* Ejus laudatur per על כן *Propterea.*

XIX. *Bonum* de Messia prædictum est *Benedictio, Divina, Æterna.* Ita ait Psaltes, *Benedixit tibi.* ברך *Benedicere* est: *Tum* Bonum agnoscere laudare celebrare, sive in Deo *Psalm.* CXLV. 10. 2 *Chron.* XX. 26, sive in Creaturâ *Job.* XXXI. 20: *Tum* Bonum sibi vel aliis promittere & appre-

precari; quomodo sibi ipsi benedicit impius *Deut.* XXIX. 19. & pius *Jes.* LXV. 16, & posteris suis Patriarchæ ex Divino afflatu benedixerunt *Gen.* XXVII. 27. 30, 31. XLVIII. 9. 15, atque Sacerdotes Populo *Levit.* IX. 22, 23. *Num.* VI. 23: *Tum* denique Bonum alicui conferre actu *Gen.* XXIV. 1. 35. *Deut.* VII. 13. *Job.* XLII. 12. Hujusmodi vero *Benedictio* est vel *Humana*, vel *Divina*. Homines Messiæ *benedicerent* quoque; Ipsum ut Θεάνθρωπον, Unicum & Perfectissimum Salvatorem *laudando* ac *celebrando* *Psalm.* LXVIII. 27. XLVII. 7, 8, 9. *Jes.* XXV. 9. XLV. 24; & Ipsi *apprecando* cuncta felicia & prospera in Regno Ejus *Psalm.* LXXII. 15. CXVIII. 25, 26. *Zach.* IV. 7. Sed heic intelligitur Benedictio *Divina*. Ita enim Psaltes ait, Benedixit Tibi *Deus*; nempe Deus Pater, coll. *vers.* 8, repræsentans in Oeconomiâ Salutis totam Deitatem læsam per peccatum, & hinc frequenter *Deus* dictus, cui Exinanitio & Exaltatio Mediatoris tribuitur. *Deus* verò *Benedicit* longè alio efficaciori & perfectiori modo ac Homines, non ore tantùm promittendo, sed & opere ipso conferendo omne id Bonum quod Homines modò apprecari possunt *Psalm.* CXXVIII. 4, 5, 6. Rursus; Alio modo *Benedicit* Deus omnibus creaturis, & præsertim Hominibus *Act.* XIV. 17; Alio modo Electis & Credentibus in Christo *Ephes.* I. 3, 4; Alio denique modo Benedicit Ipsi Filio suo Θεανθρώπῳ. De Hujus *Benedictione*, futurâ quidem, sed ob Prævisionem ejus Propheticam heic in Præterito propositâ, loquitur Vates. Intelligit autem per *Eam* Messiæ incarnati atque per Passiones Consummati *Glorificationem* Cælestem. Quæ aliàs *Exaltatio* *Jes.* LII. 13. *Act.* II. 33, *Collocatio* ad *Dextram Dei* *Psalm.* CX. 1. *Ephes.* I. 20. dicitur, heic verò *Benedictio*, non unam sanè ob caussam. Etenim Deus Pater *Glorificans* Jesum Crucifixum, reali testimonio Ipsum *declaravit* Filium suum naturalem ac æternum, & perfectissimum Salvatorem Mundi, & Regem Tzijonis *Psalm.* II. 7. *Heb.* I. 4, 5. *Joh.* XVII. 5. *Act.* II. 36. Deinde Ipsi *Contulit* actu omne illud *Bonum Regnum* ac *Gaudium*, quod

Ee ipsi

ipsi Fœderali Dispositione promiserat *Luc.* XXII. 29. *Hebr.* XII. 2. & quod *Benedictionis* nomine meritò exprimitur. *Vita* est *Benedictio* & Bonum ingens *Psalm.* CXXXIII. 3. *Job.* II. 4. Sed Deus *Vitam* Christo ex morte vicariâ, quam vi sponsionis suæ subierat, in immortali corpore felicem dedit *Act.* II. 24. 32. XIII. 34, juxta Vaticinia Prophetarum *Job.* XIX. 25, 26. *Psalm.* XVI. 10, 11. XXI. 5. LXXII. 15. *Jes.* LIII. 10 *Pax* est *Benedictio Psalm.* XXIX. 11. Sed Deus collocavit Christum post satisfactionem præstitam in Statu Beatissimæ *Quietis* & *Pacis*, qui ex omnibus malis nunc ereptus est, & semel *raptus* ad *Dei thronum Apoc.* XII. 5, *sedet* ibi tranquillè in Aulâ cælesti Patris sui *ad dextram* Ejus, absque ullo labore animæ aut corporis passione, & pugnâ cum potestate inferni, quam antea in Gethsemane & Golgotha sustinuit, nec amplius *contristatus ad mortem usque*, sed *gaudio* plenus in cælesti palatio *vers.* 8. *Psalm.* XXI. 7. In Statu præterea *gloriæ honoris* ac *imperii* est *Benedictio Psalm.* XXI. 4. 1 *Reg.* II. 45. Sed Deus Pater Θεάνθρωπον per passiones consummatum collocavit in Statu *gloriæ* & *imperii* in Ecclesiam, & in omnia, ut Ecclesiæ subserviant *Psalm.* VIII. 4-8. *Matth.* XXVIII. 18 *Act.* II. 36. *Ephes.* I. 20, 21, 22. 1 *Pet.* III. 22. Assumtus est in cœlum, Thronum Gloriæ 1 *Tim.* III. 16. Invocant eum omnes populi, orant Deum in nomine Ejus, & colunt Eum *Deum supra omnia benedictum in secula. Rom.* IX. 5. *Phil.* II. 6-11, juxta Oracula Veterum *Gen.* XLIX. 10. *Psalm.* LXXII. 8-10. *Jes.* XI 10. & inprimis *Psalm.* XXI. 4, 5, 6, 7. *Prævenis eum* benedictionibus *boni: imponis capiti Ejus* coronam ex *auro purgatissimo. Vitam petiit abs te, dedisti ei:* etiam *longitudinem dierum* in *seculum & sempiternum. Magna* (est) Gloria *Ejus per salutem tuam: decus* & Majestatem *posuisti in eo. Quin reddis Eum* Summè benedictum, *exhilaras Eum lætitiâ à facie tuâ.* In *Numerosâ* denique *Prole* est *Benedictio Deut.* XXXIII. 24. *Psalm.* CVII. 38. CXXVIII. 3, 4. Sed & sic *benedixit* Deus Christo, deditque Ei plurimam, in quâ glorificatur Ille, Prolem

San-

Sanctam ac Spiritualem *verf.* 17, 18. *Pfalm.* LXXXVII. 4, 5. CX. 3. *Jef.* VIII. 18. LIII. 10, 11. LIV. 1, 2, 3, 5. LXVI. 7. Tandem in *Donis Spiritûs Sancti* eft *Benedictio* eximia *Jef.* XLIV. 3. *Gal.* III. 14. Sed & hac benedictione *Benedixit* Deus Chrifto exaltato; dum *unxit* Eum *oleo lætitiæ* præ *confortibus verf.* 8., deditque Ei poteftatem Spiritus dona, majori copia ac menfura quàm unquam antea factum fuit, communicandi cum Electis ex Judæis & Gentilibus, *Pfalm.* LXVIII. 19. *Act.* II. 33. ut & hi fic *Benedicerentur* in Ipfo *Gal.* III. 14. *Ephef.* I. 3, juxta Oracula Prophetica, etiam antiquiffima *Gen.* XXII. 18. *Pfalm.* LXXII. 17. *Jef.* XIX. 24. 25. XLIV. 3. LXI. 9. LXVI. 23. Quod verò *Bonum* Meffiæ collatum maximopere commendat, eft non modò quòd fit *Benedictio Divina* hæc omnimoda, fed & *Æterna* & interminabilis; ficuti addit Vates לְעֹלָם *in æternum.* Sic tribuit huic Benedictioni Divinæ durationem longam, cujus terminus *occultus* eft, â עלם in Niph. נעלם *occultum abfconditum* fuit; non quia latet & certò non cognofcitur antequam exiftit, ut fumitur *Exod.* XXI. 6. *Deut.* XV. 17.; fed quia terminus *non eft, nec erit* unquam *coll. Gen.* III. 22. *Pfalm.* LXXII. 19. Sic æterna eft *Benedictio* hæc Meffiæ *Pfalm.* XXI. 7. *Vivit* ex morte redivivus in æternum *Apoc.* I. 18., juxta Vaticinia *Job.* XIX. 25, 26, 27. *Pfalm.* XXI. 5. LXXII. 15. *Jef.* LIII. 10. coll. *Joh.* XII. 34. Æternâ *lætitia* & *Pace* fruitur *Pfalm.* XVI. 10, 11. Sine fine erunt *Nomen Gloria* & *Regnum* ejus *verf.* 7. 2 *Sam.* VII. 12. 13. *Pfalm.* LXXII. 17. LXXXIX. 36, 37, 38. *Jef.* IX. 5, 6. *Dan.* II. 44. VII. 14. *Luc.* I. 33. *Liberi* Ejus fpirituales vivent, nec morientur in æternum *Joh.* XI. 25, 26. *Jef.* LV. 3. *Hof.* VI. 3. *Pfalm.* XXII. 27. LXIX. 33. Et *Spiritus* apud ipfos permanebit in æternum *Joh.* XIV. 16. donaque ejus falutaria funt ἀμεταμέλητα, *Rom.* XI. 29.

XX. Neque aliter quàm *Æterna* effe poteft hæc Meffiæ Benedictio. Etenim *Cauffa* ejus eft & Fundamentum *Pulchritudo* ejus, quâ fupra omnes Filios hominum eft, & *Gra-*

tia labiorum Ejus, modò laudata. Connectit enim hoc tertium Enunciatum cum duobus præcedentibus per עַל כֵּן, id est, *Propterea*; quo sensu hæ particulæ præponuntur centies *Effecto* & *Consequenti*, rarò autem *Caussæ* & *Antecedenti*. Indicatur itaque, Messiam Exaltandum fore & Exaltatum esse, quia est *Pulcherrimus* hominum, & *Gratia manavit e Labiis Ejus*. Certè Fundamentum omnis Gloriæ Ejus est infinita dignitas Θεανθρώπȣ. Æterna ac Naturalis Filiatio Ejus divina est fundamentum quo nititur datio gentium in hæreditatem Ejus & sessio ad dextram Dei, *Psalm.* II. 7. 8. *Hebr.* I. 3, 4, 5. Munus Mediatorium ab Ipso sponte susceptum, & obedientia ejus Vicaria, tantâ cum lubentiâ præstita, postulabant hanc Benedictionis *Mercedem*, & ita quoque in Scriptura consideratur illa ut ab Messia *promerita*, *Jes.* LII. 13. LIII. 10, 11, 12 *Phil.* II. 9, 10. Διὸ ϗ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε &c. Et *Sponsio* illa pro Electis peccatoribus; quam declaravit omnibus illis verbis *Amœnissimis*, quæ ex *Labiis* Θεανθρώπȣ effluxerunt, modò recensitis; quamque fideliter præstitit & exsolvit, non potuit non habere lætissimum illud Consequens ac Effectum *æternæ Benedictionis* Ipsius Sponsoris voluntarii, & mystici Corporis Ejus Ecclesiæ, *Apoc.* V. 12. *Jes.* LIII. 10. *Hebr.* X 10. *Qua* VOLUNTATE, (*sponsoris* scilicet, *coll.* ℣. 5, 6, 7.) *sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Hinc Ipse Sponsor, cum jam instaret ultimi quadrantis solutio, per modum *Restipulationis Fœderalis*, hujus mentionem fecit *Joh.* XVII. 4, 5. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem. Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temet ipsum eâ gloriâ quam habui apud te priusquàm mundus esset.*

XXI. Quæ cum ita verè sint, & facilem Oraculi hujus sensum exhibeant, analogiæ Scripturæ conformem; rogare vellem attentum & æquum Lectorem, num verum sit; *valde obscurari sensum ab iis, qui voculam connexionis* עַל כֵּן Διὰ τȣ̃το *aut* propterea *cum* Græcis & Vulgata *vertere instituerunt*, uti scripsit Clar. *Lampe*, addiditque; *Rectius ergo* ob-

observatum est aliis, על כן *designare interdum* quia, quandoquidem. Crediderim ego potius quod aliqui Interpretes nunquam vertere instituissent על כן per *quia*, *quandoquidem*, nisi hypothesi suæ de *Salomone*, ut subjecto hujus Cantici, sic inservire voluissent; cujus sanè dona sapientiæ & eloquentiæ non fuêre Caussæ divinæ Benedictionis, sed hujus Effecta 1 *Reg.* III 9. 12. Fons erroris Viri Clar. est, quod existimet Christum, (cum dicit Psaltes *gratia effusa est in labiis tuis*) simpliciter spectari in exercitio muneris Prophetici, quare subjungit; *sic enim benedictio Messiæ consequens Prophetici muneris Christi esset.* Cum spectetur potius ut loquens in his terris talia Verba quæ solus Divinus Sponsor Novi Fœderis eloqui potest. Caussa Gloriæ cælestis Christi & Regni Ejus non est Suavitas ac fidelitas Præconii, aut mors Martyris, sed Meritum Sponsoris. Propterea Deus ei Benedixit; quia Θεάνθρωπος liberè spospondit pro peccatore; & quia vi sponsionis suæ talia loquutus est, quæ testabantur palàm animi lubentiam, firmumque Ejus propositum exsolvendi sponsionem ad acquirendam salutem peccatori Electo, ut & Fiduciam Ejus in Deo Patre, quem certò sibi daturum esse in pacto promissam mercedem confidebat; & denique quia ex rei veritate, paulò ante mortem dicere potuit τετέλεσται CONSUMMATUM EST.

XXII. Non est dubitandum, quin Psaltes, Spiritu *Prophetico* prævidens omnem hanc *Pulchritudinem*, *Sermonis Gratiam*, ac *Benedictionem* Messiæ, per Spiritum *fidei* simul Eum in omni hac Ejus Amabilitate cognoverit, agnoverit, fide apprehenderit, atque præ gaudio in Ejus communione exsultaverit cum Abrahamo *Joh.* VIII. 56. in Exemplum omnium salutis æternæ sitientium. Longè clariùs nos hodie conspicimus, audimus, & percipimus omnem hanc Christi *Pulchritudinem*, & *Amœnissima* illa Prophetæ non solùm sed *Sponsoris Verba* in Euangelio resonantia, omnemque *Benedictionem* Ei collatam, dum cernimus Eum *gloriâ & honore*, quem per tot secula innumera gentium multitu-

do Ipsi detulit, *coronatum*, *Hebr.* II. 9. Vetus enim Testamentum in Novo revelatum est. O nos beatos, quibus datum est videre ac audire illa quæ Prophetæ & Justi & Reges videre & audire tantopere desiderarunt *Matth.* XIII. 16, 17. *Luc.* X. 23. 24. & propius intueri Rem promissam illam, quam non obtinuerunt Patres, sed eminus conspicati atque fide amplexi sunt *Hebr.* XI. 13. 39, 40! Jesus Christus est omnium filiorum hominum PULCHERRIMUS; quia solus ille θεάνθρωπος, Mediator Dei & hominum est, in quo solo est Justitia illa Vicaria, quæ coram Deo justissimo Judice valere potest *Jes.* XLIV. 22. 24, 25. *Jerem.* XXX. 21. Animadvertant hoc miseri peccatores per Euangelium vocati, osculentur Filium, Deum in carne manifestatum, dicantque cum Thoma, ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, & cum omnibus Fidelibus, *Ecce Deus noster hic* (est): *expectavimus eum, & servavit nos: hic* (est) *Jehova quem expectavimus: exsultabimus & lætabimur ob salutem ejus. Psalm.* II. 12. *Joh.* XX. 28. *Jes.* XXV. 9. *Psalm.* LXVIII. 20, 21. Desiderent pulchritudinem Ejus, Justitiam Ejus Activam & Passivam vicariam *Matth.* V. 6. *Phil.* III. 8, 9. Agnoscant grati Credentes in Eum, quod sit Caussa meritoria omnis pulchritudinis spiritualis ipsis collatæ, 1 *Cor.* I. 30. 31. VI. 11. XV. 10. *Ephes.* I. 3. 1 *Pet.* I. 3. & quidem per Passiones vicarias, per flagella, sputa, alapas, clavos & injurias crucis, quibus Ille deformatus fuit valde, ut nos mortalium pulcherrimos in oculis Dei & sanctorum efficeret, *Psalm.* XXII. 7. *Jes.* LIII. 2, 3, 4. 2 *Cor.* VIII. 9. Gaudeant illi in Communione pulcherrimi Sponsi ac Sponsoris sui *Jes.* LXI. 10. *Phil.* IV. 4. 1 *Pet.* I. 8. Æstiment Eam supra omnia terrena honorum divitiarum voluptatum Bona, omniumque hominum favorem *Psalm.* LXXIII. 25, 26. *Cant.* II. 3. V. 16. VIII. 7. *Phil.* III. 8. *Matth.* XIII. 38. Contemplentur Eum assiduè mentis oculo cum Admiratione & Voluptate summâ, *Cantic.* III. 11. *Heb.* XII. 2. Cupiant majorem cum Illo in pulchritudine spirituali similitudinem, vivantque ut Ipse mansueti,

ti, humiles, sancti, zelantes in bono, in precibus assidui, in amore Dei & proximi sinceri, *Matth.* XI. 29. 2 *Cor.* III. 18. 1 *Pet.* II. 21. 23. ponantque in iis Virtutibus majorem pulchritudinem quàm in ullâ venustate corporea aut vestitu splendido. 1 *Pet.* III. 3. 4. Expetant denique calidissimis Votis suis consummatam ejus Communionem in Cælis *Job.* XIX. 25, 26, 27. *Psalm.* XVII. 15. 2 *Cor.* V. 1, 2, 3. *Phil.* I. 23.

XXIII. GRATIA est EFFUSA IN LABIIS EJUS: Euangelium Gratiæ annunciavit ut Propheta, sed ejusmodi quandoque jucundissima Verba Propheticæ Prædicationi immiscuit, quæ solus Immanuel & electi peccatoris Sponsor eloqui potest. Gravissimum sanè judicium Divinum imminet illis, qui summum hunc Prophetam non audiunt; sive sublimia Christianismi mysteria doceat; sive fidem & resipiscentiam seriam & charitatem fraternam imperet; sive ad se Unicum Merito Vicariæ obedientiæ & Efficaciâ Salvatorem invitet eos; sed hoc omne Verbum gratiæ fastidiunt atque protervè spernunt, *Hebr.* II. 3, 4. quibusque sermo hic Christi omnis mera est stultitia atque insania, cum Judæis & Gentibus coll. *Luc.* IV. 29. *Joh.* X. 20. 1 *Cor.* I. 23. 2 *Cor.* II. 16. Ad quos propterea *loquetur* aliquando *in ira sua Psalm.* II. 5. eosque *virgâ oris* sui & *spiritu labiorum suorum occidet. Jes.* XI. 4. Quod Justissimum judicium ut evitent omnes externe per Euangelium præ aliis Vocati, necesse est; *ut* grati agnoscant ingens Dei Beneficium esse, quotidie audire illud æternum salutis Euangelium; *ut* illi tanquam verissimo omnique fide dignissimo firmissimum assensum præbeant, *Job.* III. 33. 1 *Tim.* I. 15; *ut* quantocyus ad Eum unicum & perfectissimum salvatorem, blandè ad se maximos quoque peccatores invitantem accedant *Hebr.* III. 7. cumque fiduciali amplexu apprehendant sponsorem & sponsum suum *Psalm.* II. 12. *Jes.* XLV. 22, 23, 24, 25. *Matth.* XI. 28. *Phil.* III. 8. 9; *ut* denique illis *Joh.* XV. 10. 12. 14. 17 perscriptis Verbis & Præceptis Regiis Ejus sese voluntariò & constanter subjiciant; *ut* tandem

ad imitationem Sponsoris sui, qui pro ipsis spospondit animam suam & actu dedit, etiam spondeant Domino fidem & obedientiam sinceram, votaque sua fideliter exsolvant, & curent ut loquantur *amœna* Deo semper & utilia hominibus, *Prov.* x. 20, 21. *Eph.* IV. 29. *Coloss.* III. 16. IV. 6. Quando certi esse poterunt, quod fidelissimus Dominus, qui olim *Labiis Sponsoris* pro illis λύτρον promisit, *Labiis Sacerdotalibus* pro illis quotidie intercedat & oret in eburneis cæli palatiis *Hebr.* VII. 25. & *Labiis Regiis* ipsos sit compellaturus in die judicii, & immissurus eos in plenissimum Regni sui cælestis possessionem *Matth.* XXV. 34.

XXIV. PROPTEREA BENEDIXIT ei quoque Deus in ÆTERNUM. Omne Meritum Christi pro se tendit in Bonum nostrum. Vivit Sponsor noster, & nos vivemus cum ipso *Joh.* XIV. 19. *Job.* XIX. 25, 26, 27. Sedet ad Dextram Dei Dominus noster ut omnes inimicos suos & nostros ponat scabellum pedum suorum *Psalm.* CX. 1. 1 *Cor.* XV. 25, 26. Manet in cælesti sanctuario Sacerdos in perpetuum, ubi sanguis semel fusus loquitur pro nobis potiora quam sanguis sacrificii Abelis, omniumque Leviticarum Victimarum *Heb.* XII. 24. Qui fuit in terris Mediator acquisitionis, nunc est in cælis Mediator applicationis 1 *Joh.* II. 1, 2. & erit in æternum Mediator conservationis, interminabiles agni nuptias cum Ecclesia triumphante celebraturus *Apoc.* XIX. 7, 8. Honorent ergò Eum omnes quemadmodum Patrem honorant, qui Benedixit Ei, & in Exaltatione Ejus declaravit Eum esse Deum supra omnia benedictum in secula, *Rom.* IX. 5. Quærant Ejus communionem per Fidem, in quo omnes familiæ terræ *benedicenter*, *Gen.* XXII. 18. *Gal.* III. 14. Flectant genua sua coram hoc rege cælesti, & sic *benedicant ei*, (coll. *Gen.* XLI. 43. אברך *Abrech*, *flecte genu*, *á* ברך *benedixit*.) Laudent Eum & extollant omnes, in quo per fidem benedicti sunt omni benedictione cælesti, *Psalm.* LXVIII. 27. & solicitè caveant, ne unquam propter ipsos benedictum Ejus Nomen blasphemetur inter gentes, *Rom.* II. 24. Benedicant sibi & liberis suis in Eo,

ac propter Ejus meritum apprecentur ſibi omne bonum, maximè ſpirituale ac cæleſte *Pſalm.* LXXII. 17. ad exemplum Patriarchæ Jacobi *Gen.* XLVIII. 16; atque ardentiſſima concipiant vota quotidie pro Eo ejusque regno militante, & â tot hoſtibus hodie oppugnato undique *Pſalm.* LXXII. 15. *Pſalm* CXVIII. 25, 26. *Matth.* XXI. 9. *Zach.* IV. 7. *Pſalm.* CXXII. 6. Et dabit illis omnes Benedictiones ſuas ab ipſo promeritas 1 *Cor.* I. 30. Plus quam unam habet Pater ille æternitatis coll. *Gen.* XXVII. 38. Quam omnem conferet certo. Nam cui Ille benedicet benedictus erit, in Vita, in Morte, & in Die æternitatis!

DISSERTATIO OCTAVA
DE
JUSTITIA MESSIÆ VICARIA, CAUSSA UNCTIONIS EJUS SUPRA CONSORTES SUOS.

AD *Psalm.* XLV. 8.

I.



Duo Præcipua stabilis ac Perpetui Throni Fulcra sunt, Regiminis Æquitas, & Legitima regnandi Potestas. Prius illud efficit, ut Boni libenter & constanter obediant, & simul ut Mali per promeritas pœnas justaque supplicia comprimantur, vel è medio tollantur, *Prov.* XX. 28 XVI. 12. *justitiâ stabilitur solium.* Posterius verò caussa est cur non facilè se quisquam opponet Regi Legitimo, nativitatis, electionis, justæque acquisitionis jure Tali. Utroque hoc Fulcro Thronus Messiæ innititur. *Æquissimum* est Ejus Regimen, per sanctas Leges *Rom.* VII. 12, & Gubernationem justam *Jes.* IX. 5, 6. XI 4. XXXII. I. *Jerem.* XXIII 5. Præterea *Legitimum* regnandi *Jus* habet *Ezech.* XXI. 26, 27. non solùm ex Dei Patris Decreto *Psalm.* II. 6; Ejusque Fœderali Promissione *Luc.* XXII. 29; sed etiam ex proprio spontaneæ ac perfectissimæ *Obedientiæ Vicariæ Merito*, cujus intuitu Pater ipsi adjudicavit Regnum, atque in illud Ipsum, per passiones consummatum, solenniter immisit, *Jes.* LIII. 10, 11. *Philipp.* II. 7 — 11. *Apoc.* V. 12.

II. Utrum-

II. Utrumque hoc Fulcrum æterni Messiæ throni conjungitur in Textu nostro atque Contextu. Non solùm *Amplissimum* Messiæ exaltati Imperium prædixerat *vers.* 4, 5, 6; sed & *Æternum* ejus solium fore indicaverat *vers.* 7. *Thronus tuus*, *Deus*, *æternus*, vel *in æternum* & *ultra*, *εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος* *Heb.* 1. 8. Cujus æternitatis throni Fundamentum *Primum* est Regiminis *Æquitas* & *Rectitudo sceptri vers.* 7. *Sceptrum rectitudinis* est *Sceptrum Regni tui*. *Alterum* est *Jus* ad Regnum, propter *meritum* Justitiæ vicariæ, in statu Exinanitionis, juxta sponsionem, de quâ *vers.* 3. *gratia effusa est in labiis tuis*, actu præstitæ ab Ipso. Quod Meritum Deus Pater Judex agnovit, atque publicè declaravit, Ipsum *Ungendo*, Regemque constituendo, atque in statu beatissimæ Gloriæ collocando, Eique Potestatem concedendo Spiritum dandi Electis; quo ducti Illum Regem suum in æternum venerarentur ac colerent. Et hoc est illud ipsum quod in Textu nostro prædicatur. *Dilexisti justitiam*, *&* *odisti iniquitatem : Propterea unxit te Deus*, *Deus tuus*, *oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

III. Scilicet sic quod *vers.* 3. jam tetigerat nunc paulò latius explicat Vates. Ibi Exaltationem Messiæ, in æternum Benedicti, prædixerat, ejusque Fundamenta, *Eminentiam* nempe Personæ supra omnes homines, & Voluntariam *Sponsionem*, per *Gratiam in Labiis* Ejus *effusam*, significatam, præmiserat; ut in præcedenti Dissertatione VII. ostensum est. Sed hoc in *versu* 8. nostro textuali *Caussam* Exaltationis Messiæ, Regnique simul æterni statuit sponsionis istius perfectissimam *Solutionem* per Vicariam *Obedientiam*, Activam pariter & Passivam loco nostro *præstitam.*

IV. Præcipua sententiarum in Interpretatione hujus Loci Diversitas in eo sita est. quod Alii *Dilectionem Justitiæ* & *Odium improbitatis* Caussas *Unctionis* Messiæ supra consortes esse velint: Alii verò *Unctionem* statuant Caussam *Dilectionis Justitiæ*, ex quâ factum sit, ut hæc in Messiâ locum

cum habuerit. Qui vertunt Locum hunc: *Diligis Justitiam, & odis improbitatem,* על בן *Propterea quod, Quia, Quandoquidem,* ἐπὶ τῦτο, *Ad hoc*, hunc in finem, nempe ut talis sis, *Unxit te Deus, Deus Tuus*, &c. Hisce Posterioribus se junxit Clar. *Lampe*, qui ad hunc Textum *Exercit.* VI. §. XXXII. pag. 275. ita scripsit. *De sensu hujus particulæ* (על בן) *Exercit.* IV. §. 11. *dictum* est. *Eandem emphasin hic habet, ut non* propterea, *sed* Quandoquidem, Propterea quod, *vertendum sit, & indigitet, Unctionem Messiæ non fructum, sed caussam descriptæ regiæ excellentiæ esse. Meritò id urget* Cl. Noldius *ad Concord. not.* 1791. *Omnis enim excellentiæ in Messia, ut Mediatore, unctio ejus caussa est. . . . . Non potuissent ergo fluctuare, quam connexionis rationem præferrent, Interpretes, si tantum considerassent*, tum *Unctionem in latissimo sensu hic sumendam esse*, tum αἰτιολογίαν, *quam proponit vates, non modo cum præcedentibus verbis*, Amasti justitiam & odisti iniquitatem, *sed cum integra de prærogativis Regni Christi agente pericopa connectendam esse.* Sed concedi nequit Viro Clar. omnis Excellentiæ Christi, ut Mediatoris, *Unicam* Caussam esse *Unctionem* Ejus, sive æterna Prædestinatio, sive Declaratio Ejus in tempore, sive donorum Spiritus Collatio, per eam intelligatur; excluso plane *merito* omni *pro se*, quod in spontanea Ejus obedientia pro nobis ad mortem Crucis usque manifeste ponitur in Scriptura *Philipp.* II. 7—10. *Heb.* XII. 2. Deinde si *Unctio* sit caussa *Regiæ excellentiæ, descriptæ vers.* 7. & in initio hujus *vers.* 8. erit quoque caussa *omnis sanctitatis* Messiæ in Regimine hoc æquissimo demonstratæ, & proinde quoque sanctitatis non tantum Humanæ, sed & *Divinæ*, quæ in hoc Regimine se maxime exserit. Quod non concederet Vir. Clar. Et quis hoc diceret, nisi ille qui cum impuro Socini grege negat Christum esse *naturâ* Deum & Filium Dei, & ex adverso talem esse ex liberrimo Decreto Dei, atque ex collatione donorum Spiritûs *factum* blasphemè statuit? Præterea quòd *Unctio* heic sumi debeat *in la-*

latiſſimo ſenſu dicit quidem Vir Clar., ſed minimè probat. Provocat ad Cl. *Noldium*, ſed neque ille, contra *Hackſpanium*, qui per *Unctionem intellexit Exaltationem* Meſſiæ, diſputans ullam rationem ſolidam adduxit: Urſit quidem Chriſtum jam â primâ conceptione unctum fuiſſe, & dona Spiritus ante Exaltationem habuiſſe; quod nemo negat; ſed & in Exaltatione ſuâ excellentiori modo Unctum fuiſſe Dominum haud diffitetur ipſe *Noldius*. At, inquit, *Exaltatio non venit in Chriſto niſi poſt* ταπείνωσιν *Luc.* XXIV. 26. *Qualis vero poſt mortem, Regum Unctio?* Quaſi in Rege Regum, *ſupra conſortes uncto*, ex morte reſuſcitato, ut novum imperium capeſſat in Judæos & Gentes, non poſſit habere locum nova unctio, & quidem longè excellentior illâ, quam in Vitâ mortali acceperat. Quantum ad Nos attinet, jungimus nos illis Interpretibus, qui *Dilectionem Juſtitiæ* & *Odium Iniquitatis*, ut CAUSSAM UNCTIONIS Meſſiæ heic laudari ſtatuunt. Ut verò conſtent ſtudioſæ Juventuti, in cujus gratiam potiſſimum ſcribimus, rationes hujus noſtræ Interpretationis, integrum hunc Locum brevi, & quantum fieri poteſt, perſpicuâ Exegeſi illuſtrare conabimur, atque ſimul quæ fidei noſtræ precioſæ fulcra atque ſinceræ pietatis incentiva lateant, indicabimus. Quod ut ordine fiat: Primò conſiderabimus *Antecedens Juſtitiæ Meritum*: Deinde *Gaudii* & *Gloriæ cæleſtis Præmium*.

V. *Antecedens Juſtitiæ Meritum* ita exprimitur אהבת צדק ותשנא רשע. Lxx. & Paulus *Heb.* I. 9. ἠγάπησας δικαιοσύνην, καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν Vulg. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Loquitur Vates de צדק δικαιοσύνῃ *Juſtitiâ.* Non intelligit eam, quæ *in Deo* eſt Juſtitia Naturalis, Dominica, Judicialis Remunerativa & Vindicativa; quamvis verum ſit hanc omnem Divinam Juſtitiam amaſſe Chriſtum, & ad hujus demonſtrationem ſeſe pro nobis in Victimam Vicariam obtuliſſe *Rom.* III. 25, 26. ſed intelligit eam, quæ *â Deo* homini præſcripta eſt in *Lege* ejus. Hoc liquet quia *Juſtitiæ* opponitur רשע ἀνομία. Sicuti verò

ἀνομία est *discrepantia* à *Lege Dei* 1 *Joh.* III. 4.; ita δικαιοσύνη ei opposita est *Conformitas cum Lege Dei*, & Virtus moralis in Lege mandata. Loquitur porro *indefinite*, intelligens *omnem* Justitiam, *omnemque* iniquitatem. Heic enim indefinita locutio æquipollet universali. Bene *Rivetus*. *Uti Justitia in se virtutes continet omnes*, *sic improbitas vitia omnia*. Tribuit autem Regi Messiæ *diversum*, circa diversissimum Objectum, *Affectum*, ex natura rei tamen conjunctissimum; nempe *Dilectionem* Justitiæ & *Odium* Iniquitatis. *Diligere* Justitiam est eam; *Cognoscere*, ignoti enim nulla cupido; supra omnia terrena preciosissima *æstimare Psalm.* CXIX. 127.; præ aliis rebus vehementi animi affectu *desiderare Psalm.* CXIX. 40. 131.; in eâ sibi magnopere *placere* cum animi *delectatione* magna & acquiescentia *Psalm.* CXIX. 14. 111. 147. *Rom.* VII. 22.; & tandem hanc animi voluptatem omni Conatu & Opere demonstrare, & sic *justitiam facere Psalm.* CXIX. 48. 97. 167. *Odisse* verò iniquitatem est, non *minus amare* eam, ut sumitur *Luc.* XIV. 26.; sed prorsus *Nolle* eam, atque vehementer *aversari* & *fugere*, ita ut eam neutiquam *facias* quam odio habes *Psalm.* CXXXIX. 21, 22. Quæ duo *diligere justitiam* & *odio habere iniquitatem* sunt inseparabilia, quia unum necessariò aliud includit; & ideo sæpe conjunguntur *Psalm.* CXIX. 113. 163. *Amos* V. 15. *Rom.* XII. 9.

VI. Hæc duo itaque attribuuntur Regi, Subjecto hujus Psalmi, *Absolutè*, &, quod diligenter attendi velim, in *Præterito*. *Absolutè*, inquam, prædicantur de Rege, mortalium pulcherrimo, & quidem ut *Caussæ* Regni & Gloriæ Ejus; & consequenter ab omnibus numeris perfecta justitiâ sic laudatur Rex ille. Qui proinde non est *Salomo*, cui perperam *Grotius* hoc applicavit. *Dilexit*, inquit, *Salomon justitiam*, *& odit injustitiam*, *nempe à primâ ætate*, *ideo præ cæteris non popularibus tantum suis*, *sed & fratribus electus est a Deo in Regem* 1 *Par.* 28. *quod unctione significatur* 1 *Reg.* I. 34. Sanè tam sublime Elogium de *perfecto justitiæ*

amore

amore ac iniquitatis odio Salomoni non competit, qui etiam prælatus est fratribus suis, non suo merito, sed ex singulari Dei Gratiâ, uti optimè *Calovius* adnotavit. Nec Absolutè tantùm, sed etiam, quod minimè præterire debemus, hæc *Duo* Messiæ tribuuntur in *Præterito*, DILEXISTI & ODISTI. LXX. & Paulus *Heb.* I. 9. usi sunt Aoristis indicavi pro præteritis perfectis ἠγάπησας, ἐμίσησας. Ita *Vulgatus* quoque & *Trem.* ac *Jun.* in præterito transtulerunt; sicuti & *Belgæ* nostri hoc verterunt in præterito in *Epistola* ad *Hebræos*; sed in *Psalmo* hoc, *Piscatorem* sequentes, minus recte in præsenti, *Gby hebt Gerechtigheit lief, ende hatet Godtloosheyt.* Quod eò magis miramur, quia voculam על כן transtulerunt, non cum *Piscatore* per *propterea quòd daerom dat*, sed *propterea* DAEROM *heeft u, o Godt, &c.* Quod non solùm habent in Epistolâ ad Hebræos, verùm etiam in Psalmo.

VII. Quoniam ergo Dictum hoc in *Præterito* intelligi debet, *Justitiæ Amor* & *Odium iniquitatis* non tribuuntur Messiæ, quâ *Deo Sanctissimo*, qui *non delectatur improbitate*, sed *odio habet omnes qui operam dant iniquitati Psalm.* v. 5, 6, 7. quique *amat jus*, *odit* verò *rapinam in holocausto Jes.* LXI. 8, Hæc enim *semper* in Deo locum habent. Ita tamen intelligendum esse hunc Locum *Athanasius Orat.* II. contra *Arianos* contendit, qui ex eo perperam inferebant, Christum, quod *Filius Dei* sit & DEUS, id ipsum accepisse ut μισθὸν ἀρετῆς *Virtutis mercedem.* Neque etiam hæc adscribuntur Christo ut *Regi Tzijonis*, & vero *Melchisedeco Regi Justitiæ Heb.* VII. 2.; quemadmodum cum *Augustino* Nonnulli hæc ad *Regiam Justitiam* referunt: ita ut his verbis explicet Vates, in quo consistat *Æquitas* Regiminis illa & *Rectitudo* sceptri, laudata *vers.* 7. præcedente: & ut sensus esset; Tu parcis subjectis & debellas superbos; Tu Justos diligis, defendis, & præmiis afficis, sed peccatores & improbos odio habes, & punis severè: atque adeo ut id ipsum heic dicatur de Rege Messiâ quod aliàs frequenter

de justo ejus Regimine prædixerunt Vates, *Psalm.* LXXII. 3, 4. *Jes.* II. 5, 6. XI. 3, 4. XXXII. I. *Jer.* XXIII. 6. *&c.* Nam & hoc modo *adhuc*, in statu Exaltationis, justitiam diligit, & odio habet iniquitatem. Neque porro hæc dicuntur de Christo ut *Prophetâ* & *Doctore justitiæ Joel* II. 23. qui *indicat homini rectitudinem ejus Job.* XXXIII. 23. *prædicat justitiam Psalm.* XL. 10. & *labium purum* ad populos convertit *Tzeph.* III. 9. Non enim dicit Psaltes, *docuisti* vel *suasisti* Justitiam, & *dissuasisti* iniquitatem. Quod utrumque quidem fecit Christus, Doctor Israëlis in terris obambulans, immediatè *Marc.* I. 15. *Matth.* V. 20. Verùm & hoc mediatè adhuc facit *Ephes.* IV. 11, 12. 2 *Cor.* V. 20. *Tit.* II. 11, 12.: cum tamen hæc præterita, *dilexisti* & *odisti*, conjuncta cum על כן Propterea *unxit Te O Deus, Deus tuus &c.* nos ducant ad tempus Exinanitionis modò, atque ad certam illam *Dilectionem Justitiæ*, quæ eadem ratione eodemque modo nunc non amplius in statu Gloriæ in Messiâ locum habet. Et consequenter, non tribuuntur tandem hoc *Studium Justitiæ*, & *Odium Iniquitatis* Christo ut *Homini* simpliciter *Sancto*, qualis sanè fuit in terris *Luc.* I. 35. *Joh.* VIII. 46., sed & nunc est & manet in cælis, atque manebit in æternum.

VIII. Verùm Utrumque hoc adscribitur Ei, ut *Sacerdoti*, *Sponsori*, *Secundo Adamo*; quomodo obligatus erat ex *Pacto* & *Sponsione* illâ, de qua *vers.* 3., ad *omnem* Justitiam loco nostro in Humanitate assumtâ præstandam, etiam *illam*, ad quam cæteroquin ut *Homo Sanctus* non tenebatur: quamque Justitiam *semel* præstitit, & perfectè in hisce terris. Etenim *Legem æternam* amoris Dei ac proximi implevit *Matth.* V. 17., statim ac rationis usus accessit *Jes.* VII. 15, 16., quod facere debuit ut Homo, sed primò ut Sponsor, quia non est Homo factus nisi ex voluntate suâ æternâ, quâ voluit Sponsor fieri, atque in tempore pro Electis satisfacere. Deinde & *omnem Legem* Dei reliquam, hominibus post lapsum latam præstitit, ad quam ut Homo Sanctus non

non tenebatur, qualis erat Lex Circumcisionis & Baptismi *Matth.* III. 15. *Gal.* IV. 4, 5. *Legem* denique *specialissimam* illam Dei Patris de acquirenda salute Electorum per *passionem* & *mortem vicariam*, de quâ *Joh.* X. 18, perfecit. Idque cum *zelo* & *amore* ardentissimo gloriæ Dei & salutis proximi, *Psalm.* XL. 9. *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: & lex tua* est *in medio viscerum meorum. Psalm.* LXIX. 10. *Zelus domus tuæ exêdit me. Luc.* XII. 50. Baptismo *oportet me baptizari, & quomodo* συνέχομαι *constringor usque quò* hoc *perficiatur. Joh.* IV. 34. *Esca mea est exequi voluntatem ejus qui misit me, & consummare ipsius opus.* Imo hoc fecit *constanter* ad finem usque *Jes.* L. 4, 5, 6, 7, 8. *Phil.* II. 7, 8. *Joh.* XVII. 4. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem. Joh.* XIX. 30. *Quum autem accepisset Jesus acetum dixit*, CONSUMMATUM EST, & *inclinato capite tradidit Spiritum.* Atque ita *semel*, in hisce terris, *justitiam dilexit* & *injustitiam odio habuit*, loco nostro, & quidem *omnem* plane. Nam in hac Obedientia suâ Vicariâ ostendit se Dei Gloriam & Proximi salutem, atque Sanctitatem veram *amare*, quia fructus satisfactionis ejus est non solum] *Justificatio* Peccatoris, sed etiam ejus *Sanctificatio Tit.* II. 14.

IX. Propter hanc *Justitiæ Dilectionem* Messias Sponsor frequenter ornatur Titulo *Justi* & *Sancti*, tum in V. T. *Psalm.* XVI. 10. *Jes.* LIII. 11. *Jer.* XXIII. 5. *Dan.* IX. 24, tum in N. T. *Luc.* I. 35. *Act.* III. 14. VII. 52. *Heb.* VII. 26. 1 *Pet.* III. 18. 1 *Joh.* II. 1, 2. Et hæc Ejus *Justitia* Vicaria ac Obedientia ad *mortem* usque crucis, quia *Deitas* infinitum illi addidit Valorem, ut pro pœnâ æternâ rectè haberi a Deo Judice potuerit, & quia *Jehova* ipse factus est *Justitia nostra Jer.* XXIII. 6; dicitur non tantum *Justitia æterna Dan.* IX. 24, sed etiam appellatur *Justitia Dei Rom.* I. 16, 17. 2 *Cor.* V. 21, & *Justitia* quæ est *ex Deo Philipp.* III. 9. quemadmodum & heic tribuitur Sponsori à *Deitate* denominato, *Dilexisti Justitiam* . . . . . O DEUS! Hæc

denique *Justitia Dei* Sponsoris, per fidem imputata Electo peccatori est *meritoria caussa* omnis salutis ejus. *Qui* DONUM hoc JUSTITIÆ *recipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum: per* UNIUS OBEDIENTIAM JUSTI *constituentur multi Rom.* v. 17, 19. *Qui non novit peccatum*, (justitia activa notatur) *pro nobis peccatum fecit*, (Justitia passiva significatur) *ut nos efficeremur Justitia Dei in eo*, per imputatam scilicet Justitiam illam nobis, quemadmodum per imputationem *peccatum* pro nobis factus est Christus 2 *Cor.* v. 21.

X. Verùm etiam *Caussa* fuit *Exaltationis* Messiæ, quæ maximè tendit in Bonum Electorum *Philipp.* II. 7, 8, 9. Hinc sequitur *Secundò* in Textu *Consequens Gloriæ Cælestis & Gaudii Præmium*, על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך LXX. & Paulus, διὰ τῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σῦ ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τὺς μετόχυς σῦ. *Vulg. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

XI. Ante omnia tenendum est, quod particula על כן heic non notet *Quia*, *Quandoquidem*, *Propterea quod*, sed *Propterea*, uti rectè transtulerunt cum vulgato Belgæ Nostri. (Qui tamen in Notis ad *vers.* 3. & 8. & ad *Jer.* XLVIII. 36. videntur non alieni à Versione *Piscatoris*, qui transtulit *Propterea quod.*) Hæc enim est usitatissima ejus significatio in Sacris. Ex plus quam ducentis Locis, in quibus occurrit, vix duo vel tria, & illa quidem controversa, reperire potuit Cl. *Noldius*, in quibus pro *Quia*, *Quandoquidem* sumeretur. In Psalmis sæpissime præponitur *Consequenti* vel *Effecto*, *Psalm.* I. 4, 5. XLVI. 3. CX. 7. & in hoc nostro Psalmo *vers.* 18. Similiter διὰ τῦτο in Novo Testamento vix semel & iterum notat *propterea quod*, uti videtur hunc sensum habere *Marc.* XII. 24. *Joh.* VII. 22. Sed frequentissimè Effecto & Consequenti conjungitur, & significat *Propterea*. Non temerè ab usitatissimâ Vocis significatione recedendum est.

Sed

Sed præterea insunt ipsi Textui argumenta ex quibus patet sumi debere hanc particulam עלכן pro *propterea*, atque indicare *Consequens* & *Effectum* Justitiæ Messiæ, non *Caussam* Ejus. *Unctio* facta *oleo lætitiæ*, quæ affirmatur de Domino nostro, magis certè nos ducit ad statum *Exaltationis* Ejus, quàm *Exinanitionis*, in quo *tristis* fuit *anima* Ejus *undiquaque usque ad mortem Matth.* XXVI. 37, 38. cui *tristitiæ* hoc *Gaudium Gloriæ* opponi omnino videtur, ut ejus lætissimum & bene promeritum *Consequens*; coll. *Jes.* LXI. 3. Ex quo colligimus, quòd hæc *Unctio* non statuatur *Caussa* Sanctitatis & Justitiæ Ejus, quam in omni Vitâ suâ, mortali & immortali ostendit; quia hujus Justitiæ Ejus Caussa quoque fuit Unctio illa, per collationem donorum Spiritus S. facta, quæ ab Utero & apud Jordanem in Baptismo, de quâ Unctione agitur *Jes.* LXI. 1. *Luc.* I. 35. *Matth.* III. 17. *Joh.* III. 34. *Act.* IV. 27. X. 37, 38. in Ipso locum habuit. Deinde Petrus in sermone hoc suo in Festo Pentecostes habito *Act.* II. 33. 36. *Itaque dextera Dei sursum sublatus, & promissionem Spiritus Sancti adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc cernitis & auditis. Certo sciat ergo tota domus Israëlis, quod Deus hunc fecerit Dominum &* CHRISTUM, *hunc ipsum*, inquam *Jesum quem vos crucifixistis*; videtur hunc Locum nostrum respexisse, atque Oraculi hujus Prophetici de *Unctione* Domini *Mercede* Obedientiæ Ejus vicariæ futurâ *implementum* ostendisse. Idem dicendum videtur de Paulo; non solùm quando in Epistola ad *Philippenses Cap.* II. 7, 8, 9. scribit *propter Obedientiam ad mortem usque crucis* Jesum esse *summopere exaltatum*; sed etiam & magis, quando *Heb.* XII. 2. de Ipso ait, quòd PRO *sibi* PROPOSITO GAUDIO, (quod hic certè propheticè factum est) *sustinuerit crucem*.

XII. Hisce præmissis nunc pergimus ad Verborum horum Explicationem, in quibus distinctè occurrunt; & PERSONA Compellata; & RES de Ipso prædicata. I. PERSONA compellatur à Propheta, non solùm Pronomine *Te* in

affixo Verbi משחך, sed etiam in Nomine sequenti אלהים Deus. Possunt hæc Nomina אלהים אלהיך tanquam per Appositionem conjuncta de solo *Deo Ungente* accipi, *Unxit Te Deus, Deus*, inquam, *tuus;* permittente hoc structurâ Verborum alibi repertâ *Psalm:* XLIII. 4. אלהים אלהי, *Psalm.* XLVIII. 15. אלהים אלהינו, *Psalm.* L. 7. אלהים אלהיך. Sed & possunt disjungi, & prius illud אלהים in Vocativo capi *O Deus!* Nam ה, quod Vocativis præfigitur alibi *Psalm.* CXIV. 5, 6. CXXIII. 1. deest quidem hîc; verùm & aliàs sæpissime omittitur *Psalm.* XXV. 22. LI. 3. LXVIII. 8, 9. &c. & subintelligitur, atque ex phrasi facillimè colligitur, quæ heic certè habet præsentis personæ alloquium, uti bene observavit Cl. J. *Altingius* ad *Heb.* I. 9. Sicuti etiam satis notum est, quod ὁ Θεὸς, ut est in Epistola ad Hebræos, Atticè pro Vocativo ὦ Θεὲ ponatur, ceu patet ex *Marc.* XV. 34. *coll. Matth.* XXVII. 46. Nec defuerunt olim qui *præsentem sententiam*, *literæ Hebraicæ servientes*, transtulerunt, διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε Θεὲ ὁ Θεός σου *Propterea unxit te, Dee, Deus tuus*, quod ab *Eusebio* in *Commentario* adnotatum est. Atque ad hujusmodi Versionem Græcam aliquam respexit fortè *Augustinus*, quando in *Enarratione* hujus *vers.* 8. ita scripsit. *Deus inungitur à Deo. Etenim in Latino putatur idem casus nominis repetitus: in Græco autem evidentissima distinctio est, quia unum nomen est quod compellatur, & alterum ab eo qui compellat.* O Tu Deus, unxit Te Deus tuus, *sic accipite, sic intelligite, sic in Græco evidentissimum est. Bellarminus* verò ex his Augustini Verbis conjicit *in textibus Græcis quos nunc habemus, incuriâ librariorum, mutatum esse omega in omicron:* quod minus placet. Sed in *Vocativo* non solùm legi potest, verùm etiam ita legi *debet.* Eodem enim modo אלהים heic ponitur atque accipi debet ac præcedenti *versu septimo*, ubi non aliter quam in Vocativo capi potest, כסאך אלהים עולם ועד *Thronus tuus*, O Deus, *in seculum & æternum.* Quod *Aquila* Judæus, vi veritatis pressus agnovit, dum ver-

vertit, uti est apud *Eusebium*, l. c. ὁ Θρόνος σου, Θεὲ, εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι; meritò reprehensus ab eodem *Eusebio* tanquam sibi minus constans, quia hoc loco, *propterea unxit te Deus*, non ultra Θεὲ interpretatus est sed Θεός, dicens, ἐπὶ τούτῳ ἤλειψέ σε ὁ Θεὸς ὁ Θεός σου, *cum eadem ipsa vox occurrat*, atque ita interpretari debuerit διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε Θεὲ ὁ Θεός σου. Neque hoc negare ausus est alius quidem *Sapiens Judæus*, quem his verbis vehementer ursisse se commemorat Origenes *Lib.* 1. contra *Celsum* p. m 43. Quod sanè Judæorum priscorum par, cui consentit *Targum*, Recentiores quosdam in pudorem agere debet; qui Verba illa torquent ac refingunt, ut dicant, non quod Spiritus S., sed quod propria perfidia ipsis dictavit: nempe; vel hoc, *Thronus tuus* thronus *Dei* est; vel *thronum tuum* stabiliet *Deus*. Quod solide refutarunt *Hackspanius* in Locum, & *Gussetius* in *Chizzouk Emounah*, p. 451, 452. Imo in *Vocativo* legi *debet*, *Unxit te*, O Deus! *Deus tuus*; quia Paulus in *Epistola* ad *Hebræos*, (quod argumentum modò contra Christianos interpretes quosdam aliter sentientes valet) hunc *versum octavum* nostrum quoque adducit ad probandam summam *Deitatem* Christi, per quam excellentior est Angelis omnibus a Deo creatis; vim argumenti sui quam maximè, si non unicè, collocans in Nomine *Elohim*, Christo heic dato absolute & in Vocativo, æque ac in *versu septimo* præcedenti. Optimè *Piscator*. *Etsi Verba Hebraica admittunt etiam hanc Syntaxin*, Unxit te Deus Deus tuus: *ita ut nomen* Deus *sit nominativus antecedens: tamen alteram Syntaxin, qua nomen* Deus *construitur ut Vocativus confirmat collatio versus septimi, & allegatio Heb.* 1. 9. *ad probandam Deitatem Christi.* Si ergò in *Vocativo* hoc legi *debet*, *Unxit te*, O Deus, atque sic Deus Unctus, a Deo Ungente distinctus, est *Christus*, ex cohærentia Verborum quoque manifestum est; quod perversè admodum cum Chaldæo, & Judæo illo sapiente apud Origenem, Alii hodie Judæi velint, quod versu septimo alloquium dirigatur, non ad *Christum*, sed ad Uni-

versi Creatorem Deum Patrem. Idem qui compellatur *vers.* 3, 4, 5, 6. nempe Rex Messias, compellatur quoque *vers.* 7. & 8. Et hoc quoque omni Christiano propter auctoritatem Pauli extra omne dubium positum esse debet. Juxta Apostolum enim *Heb.* I. 8, 9. ὁ Θεὸς utrobique & *vers.* 7. & *vers.* 8. dictum est πρὸς τὸν υἱὸν *ad Filium* æternum & naturalem, vel *de Filio*; sicuti πρὸς sumitur pro περὶ *vers.* 7. πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει. coll. *Heb.* IV. 13. *Luc.* XIX. 9. &c.

XIII. Unde & hoc porro consequitur, quòd Propheta heic Regem Messiam ita haud compellet ob *Deitatem Metaphoricam*, & nudam cum Deo summo similitudinem in Dominio & Gloriâ gratiosè collatam. Nam & sic Angeli sunt Elohim *Psalm.* VIII. 6. XCVII. 7. *Heb.* I. 6. II. 7.; quibus tamen omnibus ut creaturis Christum, ut *Creatorem* Mundi & *Conservatorem*, *Effulgentiam Gloriæ* ac *Characterem Personæ* Patris, *Filiumque* Unigenitum *vers.* 4.-6., esse *præstantiorem* ex hoc Loco Psalmi probare contendit. Et meritò: Quia Nomen *Elohim Dei* heic Ipsi, subjectivè, absolutè, in Vocativo tribuitur, absque ullo adjuncto diminuente Nominis hujus emphasin & primariam significationem, & quidem *bis* repetitum, in *vers.* 7. & 8.; in quâ repetitione cum lateat magna Deitatis Messiæ Demonstratio, ideo Paulus *utrumque* hunc *versum* contra blasphemos Judæos, aliosque Deitatis Christi hostes venturos, tanto cum zelo laudavit: Quia præterea Analogia Scripturæ confirmat hunc sensum, in quâ Christus *Verus*, *Magnus*, & summus *supra omnia Benedictus Deus* 1 *Joh.* V. 20, *Tit.* II. 13. *Rom.* IX. 6. *Jehova Jer.* XXIII. 5. Jacobi *Dominator* & *Magnificus* Israëlis *Jer.* XXX. 21. perhibetur; quibus summæ Deitatis titulis hoc Nomen *Elohim* convenienter explicari debet: Quia denique omnia *præstantissima* in hoc Psalmo de *Subjecto* prædicantur, & quidem *divina* prorsus; nempe quòd sit *sponsus* ac *maritus* Ecclesiæ, qui solus Jehova est Exercituum *Jes.* LIV. 5.; & quòd sit גבור

Fortis

Fortis ille *verſ.* 4., fortior Diabolo, Valido iſto, cui vaſa eriperet, & proinde Deus ſummus *Pſalm.* LXVIII. 19. *Jeſ.* XLIX. 24, 25. *Luc.* XI. 20, 21, 22.; & denique quòd ſit *Rex*, *Potentiſſimus verſ.* 2. 4, 5, 6. *Æternus verſ.* 7., *Adorandus verſ.* 12., & proinde Verus *Deus*, *Jeſ.* LII. 7. *regnat Deus tuus.* Certè ubi omnia hæc Divina & præſtantiſſima de Meſſia dicuntur in toto hoc Cantico; ibi etiam hoc Nomen *Elohim* Ipſi præſtantiſſimo & maxime emphatico ſenſu, ut *Deo* ſummè *Venerabili*, dari cenſendum eſt.

XIV. At, inquiunt, *Deus* non poteſt *ungi.* Reſpondeo: ſi Deus poteſt declarari, manifeſtari, glorificari, etiam poteſt *ungi* improprie ſcilicet; atque ideo abſolute verum non eſt, Deum non poſſe ungi: Si verò *Ungere* ſit conferre dona ſubjecto quæ antea non habuit, Chriſtus non poteſt *ungi* quâ Deus, ſed quà *Homo*, atque ipſi, â *Deitate* denominato, vi Unionis Naturarum Perſonalis, tribui queunt quæ ſunt Humanitatis, *coll.* 1 *Cor.* II. 8. *Act.* XX. 28. Sed ajunt porro, quòd *Unctus* ſit *minor Ungente.* Reſpondeo: non ſemper; Rex enim ungebatur a Sacerdote, Rege minore 1 *Reg.* I. 34. 39. Et quod attinet ad Meſſiam, quà Filius naturalis eſt æqualis Patri in eadem numero Eſſentiâ *Joh.* V. 19. 21. 23. 26. X. 28, 29, 30. *Phil.* II. 6, 7. ſed quà Unctus Homo, & Mediator, minor eſt Patre *Joh.* XIV. 28. Inſtant adhuc & dicunt, *Deus verus* & *ſummus non habet Deum ſupra ſe*; atqui hic dicitur *Deus tuus.* Reſpondeo: Deus ſummus qua talis non habet Deum ſupra ſe; ſed Chriſtus eſt ſimul Deus & *Homo*, ac *Mediator*, qui quà talis omnino *habet Deum.*

XV. Quemadmodum in Textu ſequitur. II. RES de Chriſto prædicata. *Unxit* Te *Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Cauſſa Efficiens ſeu *Ungens* Vocatur DEUS TUUS. Iterum uni perſonæ, ab alia diſtinctæ, attribuitur Nomen אלהים: ex quo haud abſque ratione colligitur illud terminatione quidem plurale, ſed ſignificatione ſingu-

gulare esse. Modò denotabat Deum Filium, sed nunc indicat Aliam Personam Divinam. Quæ non est *Spiritus Sanctus*, uti volunt Aliqui; quòd hic *Deus Christi* dicatur, quia Humanam ejus Naturam formavit in Utero Virginis *Luc.* I. 35.; & simul quod per Appositionem appelletur *Oleum*, eò quod aliàs Vates dicere debuisset בשמן, & Paulus ἐλαίῳ. Nam nullibi legitur Spiritus Sanctus Christum unxisse, sed Hic dicitur Unctus Spiritu Sancto, qui super ipsum *descendit*, & *mansit* instar *olei*, quo Unctio peragitur *Joh.* I. 33. Et deinde Spiritus Sanctus in *Donis* suis sub nomine *Olei lætitiæ*, quo Unctus hîc perhibetur Christus, â *Deo Ungente* potius distinguitur. Quod verò Præfixum ב voci שמן non sit additum, haud insolens est, quia & alias omittitur *Psalm.* XLIV. 3. ידך *manu tua* expulsit *&c.* *Psalm.* LX. 7. *salvum* fac ימינך *Dexterâ tuâ.* Et quòd LXX. & Paulus habeant ἔλαιον non ἐλαίῳ, in eo secuti sunt constructionem haud inusitatam, juxta quam nomen cognatæ significationis in accusativo jungi solet quandoque. Sic 1 *Cor.* III. 2. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα, pro γάλακτι καὶ βρώματι. Sic quoque *Marc.* IX. 41. Ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος &c. Sed hæc Alia Persona Divina est, nempe *Deus Pater*, qui aliàs *Deus Christi* dicitur *Psalm.* XXII. 2, 3. XL. 9. *Joh.* XX. 17. &c. Quæ phrasis cum dependentiam ejus â Deo Patre importet, neutiquam adhibetur de Eo ratione Deitatis, quæ eadem numero independens Filio communicata est a Patre ab æterno *Joh.* V. 26. Sed ratione: tum Humanitatis productæ coll. *vers.* 3. *Psalm.* XXII. 10.: tum etiam Præcepti fœderalis istius de Vita ponenda pro peccatore Electo *Joh.* X. 15. 18.; cui sese subjecit Christus in statu Exinanitionis cum Fide & Spe certâ; cujusque respectu *Servus* Dei dicitur *Jes.* XLII. 1. XLIX. 1. LIII. 11., *Missus* â Deo *Joh.* VI. 38., & *Minor* Patre *Joh.* XIV. 28.: tum denique Promissionis Fœderalis illius *Jes.* LIII. 10, 11. *Luc.* XXII. 29., quam etiam Fide & Spe amplexus est Messias in statu Humiliationis *Psalm.*

XVI.

XVI. 1, 2. *Heb.* XII. 2.: tum tandem respectu Remunerationis & Exaltationis in cælo *Joh.* XX. 17., juxta Promissum Patris Fœderale *Jes.* LIII. 10. & Restipulationem Christi *Joh.* XVII. 4, 5. Quare dicitur Deus Pater *Unxisse* Christum.

XVI. Effectus seu Opus Dei appellatur *Unctio*, & simul Messias per eam extollitur *supra consortes suos.* UNXIT *Te.* Unctus est *proprie* quidem ab Hominibus in Vita terrestri & morte sua Dominus *Luc.* VII. 37, 38. *Matth.* XXVI 7-12. *Joh.* XIX. 39, 40., sed *improprie* tantum â Deo Patre. Quemadmodum *Gladius*, *Sagittæ*, *Thronus*, *Sceptrum* improprie sumuntur, sic etiam hæc *Unctio*. *Improprie* a Deo Patre *Unctus* est *ab æterno*, quà *Filius Dei* naturalis, per Amorem Patris naturalem, & Gloriæ Ornatus & Roboris Divini omnis simul cum ipsâ Essentiâ Divinâ Communicationem; de quâ agi *Prov.* VIII. 23. monstravimus in *Dissertationibus* nostris *Sacris Leidensibus*, *Diss.* VIII., & in *Nestorianismo Confutato*, *Cap.* XX.; quamque hoc in loco intellexit *Eusebius* in *Demonstrat. Euangelica*, *Lib.* IV. *C.* XV. p. m. 173. Sed quæ hîc intelligi nequit, quia agitur de *Unctione*, quæ est Obedientiæ Christi Vicariæ Consequens. *Unctus* quoque est â Patre ab *æterno quà Mediator*, per præcognitionem ac prædestinationem ad Munus Mediatoris *Act.* II. 23. 1 *Pet.* I. 19, 20. quæ Metonymicè *Unctio* Ejus dicitur *Psalm.* II. 6. *Jes.* LXI. 1., sed de quâ hîc ob eandem rationem non loquitur Vates. *Impropriè* porro *Unctus* est â Deo Patre in *tempore*, in *Humanitate* assumtâ, per Communicationem donorum Spiritus Sancti, quæ variis momentis, variisque successivè gradibus ei collata sunt. De quâ *Unctione* Domini, Venerabilis *Marckius* noster quondam, in *Exercitat. Text.* XIII. non solùm in loco *Act.* X. 38., sed etiam *Dan.* IX. 24. agi existimat. Verùm neque ad hanc respicit Psaltes, quia Unctionem intelligit, quæ est sequela Exinanitionis & Justitiæ Ejus Vicariæ, & quæ cum consummatâ ac perpetuâ *lætitia* Ejus conjuncta est.

XVII. Dicit enim Propheta, *Unxit te* OLEO LÆTITIÆ. שמן heic non notat simplex *Oleum Olivæ*, sed *Unguentum* ex illo oleo, aliisque aromatibus, conditum, vel ex solis aromatibus confectum, quæ *vers.* 9. nominantur *Myrrha*, & *Aloë*, *Casia*. Quale Unguentum fragrantiæ alibi dicitur שמן *Oleum Jes.* LVII. 9.; ראשית שמנים *Principium Oleorum*, seu Unguentum præstantissimum *Amos* VI. 6.; שמן הטוב *Oleum Optimum Psalm.* CXXXIII. 2.; heic verò ut & *Jes.* LXI. 3. *Oleum* ששון *Sascbon gaudii*, *lætitiæ*, *exsultationis:* quia fragrantia sua lætitiam adfert, & animos valde exhilarat *Prov.* XXVII. 9. *Oleum* (Unguentum) & *suffitus lætificat cor.* Unde tempore luctus abstinebant ab eo, ut & ab omni *Oleo*, quia Ornatum & Gaudium alicui conciliat; ceu patet ex Locis 2 *Sam.* XII. 20. XIV. 2. *Dan.* X. 3. *Matth.* VI. 16. 17. Sed adhibebant Oleum ac Unguentum tempore gaudii *Ecclef.* IX. 7, 8.; quale est tempus Convivii *Psalm.* XXIII. 5. Nuptiarum, *coll. Ruth* III. 3., & Inaugurationis ad Munus, non solum Sacerdotale, sed etiam quam maximè Regium. Allusio heic est ad Unctionem *Regum*, nam canit Psaltes de REGE *vers.* 2. *Oleo lætitiæ*, id est odorario & fragrantissimo proculdubio sunt Uncti *Reges*. Quia de Saule & Jehu legitur quod Uncti fuerint ex *lenticulâ olei* פך השמן 1 *Sam.* X. 1. 2 *Reg.* IX. 1. colligunt nonnulli cum Clar. *Joh. Meijero*, in *Animadversionibus* in *Differt. Clasingii* de *Unctione Sacra. p.* 7. eos unctos fuisse Oleo communi, balsamico; sed quia Davidis & Salomonis Unctio perhibetur facta ex *Cornu*, & *Oleo Sancto Psalm.* LXXXIX. 21., atque ex *Tabernaculo* desumto 1 *Reg.* I. 39., hos duos Davidem & Salomonem Unctos fuisse volunt *Oleo Sacro Sacerdotali* illo aromatico, quod describitur *Exod.* XXX. 23. 25. & Interdictum Divinum, quo prohibetur *Extraneum* ungere isthoc oleo, *vers.* 31, 32., interpretantur de Eo, ad quem non pertinet *Sacerdotium* vel *Regnum*; dum Alii Dispensationem divinam adfuisse conjiciunt in Davide ac Salomone. Nonnulli rursus conjiciunt

ciunt Reges illos communi Unguento delibutos fuisse, qui per *Prophetas* uncti fuerunt, ut Saul & David per Samuelem 1 *Sam.* x. 1. xvi. 13.; Alios vero Oleo Sacro, quorum Unctio nempe per *Sacerdotes* peracta fuit; uti Salomo Unctus fuit per *Zadokum* 1 *Reg.* 1. 39. Joas per Jojadam 2 *Reg.* xi. 12. & fortè David per Abjatharem in Hebron 2 *Sam.* v. 3. Vide Celeb. *Lampe* Exercit. vi. §. xxv. Quæ tamen Celeberrimo *Markio* minus placent, qui potius *Oleum in Regibus adhibitum* existimat *pretiosum quidem*, sed tamen *commune*, & *varium fortè nonnunquam*, *pro locorum varietate*, *Exercit. Text.* ix. ad 1 *Sam.* ix. 16.

XVIII. Quando ergo dicit Vates *Unxit* Te *Oleo lætitiæ*, in præterito ex prævisione Propheticâ de re certò futurâ, ut sæpe; *generatim* significat, Θεάνθρωπον, post Obedientiam Activam & Passivam vicariam perfectè præstitam, plenissimò sensu fore Messiam, Christum illum, de quo 1 *Sam.* ii. 10. *Psalm.* ii. 2. &c. Unde Petrus, Vaticinii hujus implementum demonstrans, dicit Jesum in Exaltatione suâ *factum* esse Christum *Act.* ii. 36. *Speciatim* verò prædicit. I. Solenniter â Deo Patre constituendum esse *Regem* Ecclesiæ, & in Statu Gloriosi Imperii, ad *Dextram* suam collocandum, juxta Vaticinia alia *Psalm.* viii. 6—9. xxi. 4. lxxxix. 28. cx. 1. *Dan.* vii. 13, 14. &c. Ita alibi *Ungere* Regem est Regem sibi *præficere*, in Parabola Jothami de *Arboribus eundo euntibus ad Ungendum super se Regem Jud.* ix. 8. 15. ubi *vers.* 6. Chaldæus habet למנאה ad *præficiendum*; & idcirco Petrus *Act.* ii. 36. *Christum* factum esse & *Dominum* conjunxit. Filius Dei ἄσαρκος jam fuit Rex Ecclesiæ ab initio mundi *Psalm.* xciii. 1, 2. lxviii. 8, 9. cx. 1. *Jer.* xxx. 21. *Mich.* iv. 7.; & ἔνσαρκος Rex fuit in cunis vagiens, atque in Terra sua obambulans pauper *Zach.* ix. 9. imo in cruce moriens *Luc.* xxiii. 42, 43. *Joh.* xix. 19. Sed, post Opus Redemtionis peractum, novo titulo, novique populi, & cum nova gloriâ Rex factus est, *Act.* ii. 36. *Heb.* 1. 3. ii. 7—9. x. 12. at-

 que

que pleniſſimo ſenſu *Unctus Pſalm.* II. 6, 7, 8. &c. II. Eundem Θεάνθρωπον. poſt animæ ſuæ labores & *dolores* graviſſimos transferendum eſſe ad ſtatum Beatiſſimæ *Lætitiæ*, & *ſatietatis amœniſſimorum gaudiorum* in cælis *Pſalm.* XVI. 11.; quibus *Gaudiis* impleret Ejus animam Pater, quam antea ut juſtus Judex inferni terroribus & anxietatibus cruciaverat; & quæ *Gaudia* continuò in Ipſo alerentur & foverentur: *tum* ex Deitatis ſuæ ſummæ ab incredulis Judæis abnegandæ manifeſtatione *Pſalm.* II. 7. *Jeſ.* XI. 5. *Job.* XVII. 5.: *tum* ex Humanitatis Immortalitate ac Gloriâ nova *Pſalm.* LXXII. 15. *Jeſ.* LIII. 10. LV. 3. coll. *Act.* XIII. 34. *Rom.* VI. 9. *Apoc.* I. 18.: *tum* denique ex Fide & Obedientiâ Populorum, & Viſione ſeminis innumerabilis, quod Ipſum imitaretur, ſincerè coleret ac veneraretur ad ſalutem æternam *Jeſ.* LIII. 10. 11. *Pſalm.* XLVII. 10. LXXII. 8, 9, 10 11., ex quo ingens Ejus Oblectatio *Pſalm.* XVI. 3. *Jeſ.* LXII. 4. Sic *Ungi Oleo* odorato aromatico per Metonymiam Cauſſæ pro effecto eſt *ſumma lætitiâ* affici, quam experiebantur iſthoc oleo inuncti, coll. *Jeſ.* LXI. 3. III. Eidem tandem per paſſiones conſummato Sponſori â Deo Patre conferenda eſſe *Dona* Spiritus Sancti. Non enim ſimpliciter dicitur *Unxit* te Deus tuus, ſed unxit te OLEO gaudii. Dantur *Uncti abſque oleo*, uti Abſchalom *Unctus* dicitur tantùm quia â perfidis electus erat in Regem 2 *Sam.* XIX. 10. Sed Mediator noſter heic non ſolùm *Unctus* a Deo perhibetur, ſed etiam ſignificanter additur, *oleo* gaudii. Quare aliquid *ſpirituale*, quod Oleo Unctionis olim adumbratum fuit in Regibus Iſraëlis, ſeu *Oleum Metaphoricum* omnino etiam heic concipi debet.

XIX. *Oleum* inter præſtantiſſima Dei *Dona* â mortalibus ſemper habitum fuit, & Symbolum ipſius ſimpliciſſimæ *Deitatis*, Divinæque *Virtutis*, omnia penetrantis, exhilarantis, corroborantis, ornantis &c. meritò conſtitutum; quod *Euſebius* in *Demonſtrat. Euang. Lib.* IV. *Cap.* XV. monuit & egregiè declaravit. In Sacris literis Emblema eſt in-

inprimis *Spiritûs Sancti*, atque *Donorum* Ejus Omnium, maximè verò Salutarium *Psalm.* XXIII. 5. *Cantic.* I, 2, 3. *Jes.* LXI. 3. *Act.* II. 33, 36. X. 38. 2*Cor.* I. 21, 22. 1*Joh.* II. 20, 27. Unde Patriarchæ dicuntur *Uncti*, *Psalm.* CV. 18, οὐ δι᾽ ἄλλο, ἢ διὰ τὴν τοῦ Θείου πνεύματος, οὗ μετεῖχον, ἐπιῤῥοήν, inquit *Eusebius* l. c. *nullam ob aliam caussam*, *quàm propter Divini Spiritus*, *cujus participes erant*, *influentiam*; nempe ob Spiritum Prophetiæ, & Cognitionis, & Fidei & Timoris Domini in ipsos effusum. Sicuti etiam in Unctionibus Regum Saulis, Davidis, & Salomonis *Oleum* erat signum *Donorum Spiritûs*, quem, variis modis tamen & gradibus, acceperunt, statim quoque post *Unctionem* eorum factam 1 *Sam.* X. 1. 6. XVI. 1. 3.

XX. Et meritò *Dona* Spiritus Sancti, inprimis salutaria illa nominata *Gal.* V. 22. sub Emblemate *Olei*, & quidem *Aromatici* & *Odorati* repræsentantur. Hæc enim Dona sanant contritos corde *Jes.* LVII. 19. *Malach.* IV. 2. *Apoc.* XXII. 2., uti Oleum corpus vulneratum *Luc.* X. 34. Hæc porro Corroborant infirmos in Spirituali Vita, & alacres reddunt ad omne Bonum *Jes.* XI. 2. *Ephes.* III. 16. *Jes.* XL. 29, 30, 31. quemadmodum Oleum & Certantibus in arena, & tenellis infantibus *Ezech.* XVI. 9. robur auget. Hæc præterea Exornant valde deformatum peccatorem, eique splendorem conciliant in oculis Dei, Christi, omniumque Sanctorum *Psalm.* XCIII. 5. CX. 3. *Jes.* LXI. 3.; ut oleum cuti *Psalm.* CIV. 15. Hæc amplius sordidos peccatores efficiunt Deo ac Domino Jesu Gratos ac Amœnos *Psalm.* XVI. 3. *Cant.* I. 3. 12. IV. 10. *Jes.* LXII. 4., sicuti Unguentum Odorarium, quidquid malè olet repellit, & suavem Corporibus odorem addit. Hæc denique dura Emolliunt, magis sanè quam Oleum terrestre, dum ipsa lapidea ac durissima mortalium Corda mutant in Carnea *Ezech.* XXXVI. 26, 27. Hæc tandem verè Exhilarant, & longè majus ac perenne magis gaudium adferunt quam ullum Oleum vel Unguentum etiam odoratissimum, de quo

Judic. IX. 9. *Prov.* XXVII. 9. & ideo *Olei Saschon* nomine meritò veniunt. Eſt enim inter illa Dona quoque *Gaudium* Conſcientiæ inenarrabile *Pſalm.* LI. 14. *Rom.* XIV. 17., *Gal.* V. 22. 1 *Theſſ.* I. 6.; & reliqua *Cognitionis*, *Fidei*, *Spei*, *Timorisque* Dei Dona materiam lætitiæ ſolidæ præbent Piis, eamque producunt in Fidelium animis *Pſalm.* CXIX. 14. *Rom.* XII. 12. XV. 13. 1 *Pet.* I. 8.

XXI. Hoc *Oleo* Gaudii *Metaphorico Ungendus* erat Meſſias Exaltatus: *Quo*, tanquam oculorum collyrio *Apoc.* III. 18. Sapientia & *Cognitio* ejus *Humana* valde creſcerent, & *Gaudium* Ejus ingens perpetuum ac interminabile foret *Pſalm.* XVI. 11. XXI. 7. *Cantic.* III. 11. *Jeſ.* XLII. 1, 2.: & *Quod* ab Ipſo *Capite* ad Ejus *Membra* largiter deflueret, per *Poteſtatem* Ipſi dandam â Deo Patre communicandi illa Spiritus Sancti Dona cum innumerabili ex Judæis & Gentibus Multitudine, ad Dei Gloriam, Eccleſiæ lætificationem & ædificationem, omniumque Electorum ſalutem æternam *Pſalm.* XLVII. 6, 7. LXVIII. 19. LXXXIX. 16, 17. *Jeſ.* XXXII. 15—18. XLIV. 3--5. *Joel* II. 28, 29.

XXII. Quæ *Poteſtas* cum dari nequeat niſi Θεανθρώπῳ, ideo nunc porro *Extollitur* ille ut *Unctus* ſupra *Conſortes ſuos*, מחבריך παρὰ τὰς μετόχους σου, PRÆ CONSORTIBUS TUIS: ita ut Unctio in hiſce quoque ponatur, ſed ſimul Excellentia Unctionis Meſſiæ, quoad ſpeciem & gradum, notetur. Hi *Conſortes*, *Socii*, *Participes* Meſſiæ: *Non* ſunt *Angeli*, qui *Throni*, *Imperia*, *Poteſtates* quidem dici videntur *Coloſſ.* I. 16., ſed nullibi *Uncti* aut *Spiritu S.* donati perhibentur, nec Paulus in Epiſt. ad Hebræos *Præſtantiam* Chriſti ſupra Angelos ex hoc Textus membro infert, verùm ex Nomine *Elohim*, quod bis, abſolute & emphaticè heic datur Chriſto, ſicuti antea dictum eſt: *Neque* ſunt *Omnes Homines*, ejusdem naturæ Humanæ participes, cujus & Dominus noſter particeps factus eſt *Heb.* II. 11. quia illis omnibus ut Θεάνθρωπος jam prælatus fuit *verſ.* 3. *Multò pulchrior es filiis hominum*; verùm ſunt *Aliqui* inter

Ho-

Homines Excellentes & Uncti Spiritu S.: *Neque* tamen ideo ſunt *Fideles Omnes*. Nam Hi *quidem* verè *Excellunt* inter reliquos homines *Prov*. XII. 26.; *Participes* ſunt nominis *Filiorum Dei*, atque *Fratres*, ſed Adoptivi, vocantur Chriſti, qui ſolus Proprius & Unigenitus Filius Dei eſt *Joh*. XX. 17. *Rom*. VIII. 29.; & *Conſortes* Unctionis Spiritus S. 1 *Joh*. II. 20. 27. atque præſtantiſſimorum Munerum Chriſti perhibentur 1 *Pet*. II. 9. *Apoc*. I. 5, 6. Quare etiam hoc reſpectu Paulus, juxta quorundam Interpretationem, eos vocat μετόχες χριςȣ̃ *Heb*. III. 14.; dum alii cum *Riveto* judicant, Paulum ibi Fideles non comparare cum Chriſto, ut Participes ejusdem rei cum Ipſo, ſed inter ſe, ut *Participes ejusdem Chriſti*. *Attamen* cum *Fideles* ſint Regis hujus veri *ſubditi*, & ut Uxor Ejus atque *tori Socia* heic conſiderentur, & præterea cum Scopus Pſaltis ſit in hoc Epithalamio Regium Sponſum commendare Sponſæ, ut Fiduciæ in Cauſſa ſalutis ac ſummi Obſequii Objectum Unicum; magis convenire videtur cum Epithalamii ratione, ut Regis Excellentia deprædicetur, non ſupra proprios ac fideles ſubditos, neque ſupra Uxorem & tori ſociam ipſam; ſed ſupra *Alios* quosdam, aliam quandam, non arctiſſimam illam, relationem ad Regem hunc habentes; quibusque & fides aliqua & honos & obſequium præſtantur à mortalibus: ut ſic Sponſa admoneatur Officii ſui, quo hunc Regem ſolum honore & obſequio ſummo atque abſoluto ſemper proſequatur. *Hi* verò poſſent eſſe *quidem*; vel *Sacerdotes* Aharonici; vel *Prophetæ* V. T., olim quoque *Uncti*; vel *Miniſtri N. T.*, Cooperarii, Paranymphi, *Amici* Sponſi, ut Johannes Baptiſta *Joh*. III. 29. & Paulus 2 *Cor*. XI. 2.: *quia Conſortes* Chriſti vocari poſſunt ob *Unctorum* Nomen quod datur illis, & ob *Spiritus* Dona illis collata, & ob *Munerum* participationem: & *quia ſupra* illos omnes excellit Chriſtus, ut Unicus Sacerdos juxta ordinem Melchiſedeci, & ut ſummus Propheta & Paſtor & Caput Eccleſiæ *Job*. XXXIII. 23, 24. *Pſalm*. CX. 4. *Jer*. XXX. 21.

Joh.

Job. III. 31. 1 *Pet.* v. 4. &c. Verùm quia in hoc Epithalamio Messias expressè proponitur, non ut Propheta, nec Sacerdos, sed ut REX, & quia, uti benè *Rivetus*, *Unctio cum Throno & Regni sempiterni* adeptione conjungitur; ideo quæ hîc dicuntur, ad *Regiam* potestatem referri debent.

XXIII. *Consortes* itaque REGIS Messiæ heic sunt REGES. Quæ Interpretatio aliis quoque Rationibus, præter hanc ex Textu & Contextu adductam, confirmatur. Haud caret verisimilitudinis specie, in titulo *Regis Regum*, & *Domini Dominantium*, qui datur Christo, *Apoc.* XIX. 16., qualemcunque respectum esse ad hunc locum; ad quem etiam videtur respexisse Paulus; quum dicit *Philipp.* II. 9. *Donatum* esse Christo *Nomen* (potestatem) *quod est* SUPRA *omne* NOMEN (omnem Potestatem Regiam); & quum asserit *Ephes.* I, 21, 22. *collocatum* esse Eum *ad Dexteram* Dei *in cælis; longe* SUPRA *omne Imperium* ac *Potestatem & Potentiam & Dominationem*, & omne *nomen quod nominatur non solum in hoc seculo verum etiam in futuro*; & *omnia subjecta* esse *pedibus Ejus*, *Eumque constitutum Caput super omnia* ipsi *Ecclesiæ*. Deinde *Unctorum* nomen, etiam absolutè positum, *Regibus* per excellentiam datur 2 *Sam.* I. 16. *Psalm.* LXXXIX. 39. *Jes.* XLV. 1. *Thren.* IV. 20., quia, ut videtur, antiquissimis etiam temporibus illorum Unctio in usu fuit *Jud.* IX. 8. Præterea *Dona* Spiritus, heroica saltem, ut sunt *prudentia*, *sapientia*, *fortitudo &c.* *Unctis* potissimum in Israële *Regibus* concedebantur; qui per illa *mutabantur* in *alios Viros*, quod de Saule *Uncto* legitur 1 *Sam.* X. 6, 9, 10, 11. sicuti & *Spiritus* Jehovæ dicitur *irruisse in Davidem* statim ac unctus esset à Samuele 1 *Sam.* XVI. 13, 14. Et denique; qui à Deo, & speciatim Christo Filio Dei, Principe Exercitus Domini, Deo ac Rege Israëlis summo, tunc eligebantur, seu ad nutum Ejus creabantur Reges, cum Saule 1 *Sam.* IX. 17. XII. 13. & Davide 2 *Sam.* VII. 8. XII. 7.; iidem ut Pro Reges, & sic quasi *cum* Christo *Rege externum* Populi Regimen, quod cæterum Theocraticum erat,

1 *Sam.*

1 *Sam.* VIII. 7, habebant, ſemper manente inæqualitate honoris & poteſtatis, coll. *Apoc.* III. 21. Unde Salomo dicitur *ſediſſe in Throno Domini* 1 *Chron.* XXIX. 23.

XXIV. Hi itaque ſunt *Socii* & *Conſortes* Regis Meſſiæ, SUPRA quos cum dicitur *Unctus*, reſpicitur. I. Ad *Excellentiam Regni* Ejus: Quod non modò *Spirituale* eſt in Conſcientias hominum, & in quo Leges præſcribit, & ſimul inſcribit Potenter cordibus illorum *Jerem.* XXXI. 33.; ſed & *Ampliſſimum*, atque ad fines terræ, non Cananææ tantum, ſed & Orbis totius habitabilis extenſum *Pſalm.* II. 8. LXXII. 8 — 12. *Zach.* IX. 9, 10.; Et ſimul *Æternum verſ.* 7. *Jeſ.* IX. 5, 6. *Dan.* II. 44. II. Ad *Excellentiam Felicitatis* & *Gaudii.* Conſortes Ejus in Inauguratione Oleo aromatico perfuſi Gaudium capiebant aliquod, ſed citò transiens. Certe Saulis lætitia non erat diuturna 1 *Sam.* XVI. 14. Verùm Meſſiæ *Gaudium* perfectum & æternum foret *Pſalm.* XVI. 11. III. Ad Excellentiam *Unctionis* & *Olei* effuſi, ſeu *Donorum* Spiritus S. communicatorum. Aliâ Specie Unguenti perungeretur Meſſias, quod Spirituale tantùm foret. Et ſic iterum non quædam Dona Communiora acciperet, ſed Omnia *Jeſ.* XI. 2. XLII. 1. LXI. 1., non exiguâ ſed maximâ Menſurâ, quantum finita Humanitas capere poterat *Joh.* III 34, 35. Quare & nunc in ſtatu Gloriæ non videtur amplius ignorare diem Judicii, uti antea in Vita terreſtri *Marc.* XIII. 32. Imo Humanæ Naturæ non modò darentur Dona Spiritus illuminantia atque exhilarantia illam; Sed etiam Perſonæ Meſſiæ daretur Poteſtas dandi Dona Hominibus, Extraordinaria & Ordinaria, Communia & Salutaria, quibus Converterentur Electi ex toto Mundo, ac Regnum Satanæ deſtrueretur *Pſalm.* LXVIII. 19. Atque ſic Ungeretur quoque Meſſias in Subditis, in Corpore Myſtico ſuo, largiore donorum Gratiæ Effuſione, quam vulgò olim viſum fuerat *Jeſ.* XLIV. 3, 4. *Joël.* II. 28. *Joh.* VII. 38, 39. Quorſum reſpicitur in ſequenti *verſ.* 9. *Myrrha*, & *Aloë*, *Caſia*, *omnia Veſtimenta tua* &c.

XXV. Hæc est *Unctio* illa Messiæ, quæ foret *Effectus* & *Fructus* Obedientiæ ac Justitiæ Ejus Vicariæ. Hinc conjungitur hæc Pericopa cum præcedenti per עַל כֵּן PROPTEREA. Alibi Exinanitio Messiæ proponitur ut Consequens, ac *Merces* simul suæ Voluntariæ ac Perfectissimæ Obedientiæ *Jes.* LIII. 10, 11, 12. *Phil.* II. 7, 8, 9, 10. *Apoc.* V. 12, 13. Ex *Pacto*, vi cujus Deus Pater heic dicitur *Deus Christi*, debebatur ipsi hoc *Gaudii* præmium *Heb.* XII. 2. Infinita Dignitas Personæ Regis hujus, qui emphatice heic DEUS appellatur, non patiebatur ut Mortis vinculis in æternum detineretur Ille, sed requirebat omnino, ut Dominus è Cœlo, post peractum Redemtionis Opus, cœleste Patris sui Palatium repeteret. Est præterea hæc Justitia Christi perfectissima, quæ nexum habet cum Vita & Gaudio cœlesti. Et quia in illa *Justitia* est *Solutio* Sponsoris pro Reis *Actu* ipso nunc præstita, conveniebat ut *Actualis* hæc Satisfactio manifestaretur Mundo per *Justificationem multorum* & *Sanctificationem Seminis* innumerabilis, in quo glorificaretur, & sese *Oblectaret* magnopere per Passiones consummatus salutis Dux, *Jes.* LIII. 10, 11. *Heb.* II. 10. Meritum autem Messiæ pro Se neutiquam excludit illud pro Nobis. Nam nostra Salus est Merces illa, quam primò intendit, & propter quam promerendam Incarnatus Passus ac Mortuus est Dominus 1 *Tim.* I. 15.

XXVI. En Fidei nostræ *Mysteria* in V. T. revelata; & simul *Signa* Messiæ, in hoc illustri Oraculo tradita! Dantur plures, & distinctæ in una numero Deitate Personæ. Verus & summus cum Patre *Deus* est Messias, & simul *Homo* Verus ac Sanctus in Unitate Personæ, unde ipsi à Deitate denominato tribuuntur quæ sunt Humanitatis, ut sunt Legis Divinæ Præstatio, & *Unctio*, sive Donorum Spiritûs Collatio, quia Effectus Unionis Personalis est Communicatio Idiomatum. *Rex Regum* foret Messias atque Spirituale, cœleste, amplissimum & æternum Regnum haberet. Via ad Regnum, & simul Caussa Regnandi foret Obedientia Ejus Patri

tri præstanda perfectè usque ad mortem Crucis, & sic per Passiones in Gloriam introiret. Ille ipse *Homo*, Legi Dei sese subjecturus, Passurus & Moriturus, etiam *Deus* foret, ut finitæ Passioni infinitum valorem adderet; & proinde Ejus *Obedientia* terrestris *Vicaria* foret, & Caussa *Coronæ*, non solum Ipsi, sed etiam omnium Electorum capitibus imponendæ, meritoria. Hæc *Justitia* Messiæ est illa: *Quam* laudarunt Prophetæ *Jes.* XLV. 23, 24, 25. *Jes.* LXI. 10. *Jer.* XXIII. 5, 6. *Dan.* IX. 24: *Quæ* Patribus fuit imputata per fidem *Rom.* IV. 6. *Heb.* XI. 7., ideoque forte *justitia seculorum* dicta *Dan.* IX. 24, quia ejus certò adducendæ Virtus in Veteris Testamenti *Seculo* se quoque exeruit ad justificationem credentium in Messiam venturum: *Quam* porro prædicavit ipse Christus *Matth.* V. 6. coll. *Psalm.* XL. 10. & commendarunt Apostoli Ejus *Rom.* I. 16, 17. V. 19. 2 *Cor.* V. 21. *Phil.* III. 9. *Quæque* tandem necessaria est omni peccatori ad Salutem æternam. *Infelices* profectò sunt Omnes, Christiani dicti; Qui cum Judæis incredulis, *Eam* ignorant, & magis qui repudiant illam in Euangelio oblatam, propriam Justitiam erigentes *Rom.* IX. 31, 32. X. 3.; imo etiam qui cognoscentes Eam, non tamen ardenter sitiunt ac esuriunt, tanquam absolutè sibi ad salutem æternam necessariam. Ira Dei manet super Eos. *Joh.* III. 36. *Psalm.* II. 12. Quam ut effugiant necesse est, ut quantocyus osculentur Filium, in ipso solo Justitiam peccatoris coram Deo reperiri agnoscant, in ea ipsâ inveniri coram Deo Justissimo ac Misericordi Judice quærant, Christum ut Jehovam Justitiam suam amplectantur, atque in Fide Ejus vivant; juxta Loca *Psalm.* II. 12. *Jes.* XLV. 23, 24, 25. *Matth.* V. 6. *Phil.* III. 9. *Gal.* II. 20. &c. Nemini enim hæc Justitia Christi imputatur nisi Credenti *Gen.* XV. 6. *Rom.* I. 16, 17. IV. 2, 3. Et quoniam Nemo Certus esse potest de Justitia hac sibi imputata per fidem, nisi qui simul sanctè vivat *Psalm.* XVI. 2, 3. 1 *Cor.* I. 30. *Gal.* II. 19. *Tit.* II. 14.; necesse est quoque ut seriò recipiscant;

 at-

atque sinceræ Pietati operam dent 1 *Pet.* II. 24., Fidemque suam ex Operibus ostendant *Jac.* II. 18. & Justitiam diligant ac faciant illam 1 *Joh.* III. 7., ad quam exhortatur Messias ut Propheta, & quam imperat ut Rex. *Tit.* II. 11, 12. Ex adverso Mortalium *Felicissimi* sunt; Qui *Mysteria* fidei heic & alibi in Scripturis revelata firmo animi assensu credunt, & *Signa* illa Messiæ omnia in *Jesu* nostro impleta vident cum Gaudio, & qui Eum ut *Jehovam Justitiam* suam amplexi sunt verè, & amplectuntur quotidie! Nulla est *Condemnatio* iis, propter Justitiam passivam Christi imputatam *Rom.* VIII. 1. *Gal.* III. 13. Nulla Obligatio quoque ad perfectam Legis Obedientiam, ut ex eâ, tanquam Lege Operum Justificentur & Vivant; quo respectu Lex est *Jugum* ἀβάστακτον peccatori *Act.* XV. 10. Fideles *Legi mortui* sunt *per Legem*, quam Christus pro ipsis perfectè implevit *Gal.* II. 19. adeo ut in Ipso *Consummati* sint *Coloss.* II. 10. *Gaudium* Regis Messiæ in Cœlo, ejusque cœlestis Gloria est arrhabo satietatis lætitiarum, quæ ipsis reposita est in eodem Cælesti Regis nostri Palatio *Joh.* XIV. 2, 3, 19. XI. 25. *Job.* XIX. 25, 26, 27. Quare ipsos præ omnibus aliis mortalibus decet: ut valde *Gaudeant* de hoc Uncto Rege suo *Psalm.* CXLIX. 2: *Agnoscant* Jesum Crucifixum Regem suum, & *supra* omnes & omnia *diligant* *Matth.* X. 37. *æstiment Cant.* IV. 9, 10. *Psalm.* LXXIII. 25, 26. *Heb.* XI. 26., *honorent Psalm.* II. 12. XXIV. 7, 8, 9, 10. *Joh.* V. 23. *Heb.* I. 6.: Eique *Obedientiam* præstent absolutam promptam ac perpetuam *vers.* 12. *Matth.* X. 28. *Act.* V. 29., cum abnegatione Voluntatis propriæ naturalis, si jubeat ille, & magis pravæ ac carnalis *Matth.* XVI. 24. *Tit.* II. 11, 12.: *Ostendant* denique se esse *Participes* factos *Unctionis* Ejus; Spargentes undique fragrantiam Sanctæ Vitæ ac bonorum Operum, *coll.* 2 *Cor.* II. 15, 16. *Cantic.* IV. 10, 11, 12, 13, 14.; Læti viventes in Domino *Psalm.* IV. 8, 9. *Phil.* IV. 4. & semet ipsos Oblectantes in odore Unguentorum ejus *Cant.* I. 2, 3.; Fortes etiam in Fide & Spe

Spe futurorum bonorum, Agilesque & Prompti & Patientes in Pugna spirituali *Heb.* XII. 1, 2: Et ut *Quærant* a *Sancto* illo tandem, ut det ipsis majorem mensuram *Olei lætitiæ*, id est, *Cognitionis* rerum Divinarum 1 *Joh.* II. 20., (ne cæca sit fides eorum) & *Sanctitatis* infucatæ, & *Amoris* Dei ac proximi (Fides enim solitaria non Justificat) imo ut *quærant* Augmenta horum Donorum, in Verbo Ejus, in Sacramentorum decenti Usu, atque in Congregationibus publicis Fidelium *Jes.* LIX. 21. *Act.* III. 1, 2, 3., atque inprimis per preces fervidas & indesinenter fusas; Orantibus enim promittitur Spiritus *Jes.* XLIV. 3, 4. *Luc.* XI. 13. *Jac.* I. 5. Sic certi esse poterunt, se accepturos esse *Oleum lætitiæ* pro Tristitia *Jes.* LXI. 3., glorificandos esse cum Rege Gloriæ post cursum Fidei & Obedientiæ absolutum 2 *Tim.* IV. 7, 8., & post primitias hasce amplissimam Messem recepturos *Rom.* VIII. 23., Justitiam eorum inhærentem consummandam esse in die mortis *Heb.* XII. 23. & in die Judicii ultimi *Psalm.* XVII. 15. *Ephes.* V. 27., quando immortales, beati, & gloriosi sedebunt cum Rege in Throno suo *Apoc.* III. 22. in æternum.

DISSERTATIO NONA
DE
REGINA STANTE AD DEXTRAM REGIS IN AURO OPHIR.

AD *Psalm.* XLV. 10.

I.

Ulchrè profectò Dies Novi Testamenti proponitur ut Dies *Nuptiarum* & *Nuptialis Cœnæ* Christo Regi Tzijonis paratæ *Matth.* XXII. 2. Est enim Dies *Abundantiæ* omnis verè delectabilis Boni ac Spiritualium deliciarum; quia læta Euangelii vox clarius & copiosius nunc resonat ac olim *Matth.* XIII. 16, 17. I *Cor.* II. 7. 9. *Rom.* XVI. 25, 26. *Jes.* LII. 7; & Spiritus Dona largiore manu nunc effunduntur *Psalm.* LXVIII. 19. *Jes.* XLIV. 3, 4. *Joël.* II. 28, 29. Est prætereà Dies veræ & solidæ *Lætitiæ*, ex Usu donorum Spiritus resultantis, & auctæ nunc magnopere per Adventum Messiæ in carnem, Opusque Redemtionis ab ipso peractum, & Vocationem plurimarum Gentium ad fidem in Eum *Jes.* IX. 3. 6. XII. 2. *Matth.* VIII. 11. *Luc.* II. 10, 11. Est denique Dies *Sponsalis* & *Sponsaliorum* contractorum inter Christum & Ecclesiam, quæ *Cœna Nuptialis* sequi solebat, ceu patet ex Libro *Tobiæ. cap.* VII. 17. Olim quoque Connubium Spirituale obtinuit inter Filium Dei ἄσαρκον Mediatorem Unicum & Ecclesiam Electorum Patriarchalem ac Israëliticam, quæ

Uxor

Uxor adolescentiæ vocatur *Jes.* LIV. 6. Sed nunc illud initum est non à paucioribus Israëlitis modò, sed etiam ab infinitâ multitudine ex Gentilibus, qui Fide in Christum sincerâ, palam demonstratâ, Sponsorem illum & Sponsum ac Dominum amplexi sunt.

II. Hunc Diem Messiæ Sponsalem prævidens Jesaias, exclamavit; *Nam* בעליך עשיך *Conjunx tuus Opifex tuus, Jehova Exercituum nomen Ejus, & Redemtor tuus Sanctus Israëlis, Deus totius terræ vocabitur Jes.* LIV. 5: & similiter Vates noster Eundem prospiciens erupit in Verba hæc; *Filiæ Regum inter honoratas, (pretiosas, charas) tuas: Stat Regina ad dextram tuam*, quam suâ tenet, Tibi Fidem obstringens, Tecum Sponsalia & Fœdus Conjugale contrahens Fide & Consensu Conjugali, per quam Jus accepit ad omnia Bona tua, unde etiam adstat Tibi *in auro* purissimo *Ophir*, seu *Diademate aureo* coronata.

III. Laudaverat hactenus Regem Messiam θεάνθρωπον à Pulchritudine summâ, Spontanea Sponsione, Benedictione æterna, *Vers.* 3, Armaturâ terribili, & Victoriis per anticipationem commemoratis: *Vers.* 4, 5, 6, Throni Æternitate & Regiminis Æquitate, *Vers.* 7, Unctione supra Consortes ut Præmio Obedientiæ Vicariæ, *Vers.* 8, & denique ab Unctione Vestimentorum Ejus, id est Efficaciâ Mediorum Salutis, & præcipuè Verbi Euangelici per conjunctionem Spiritus fidei, instar Olei odorarii ab his Vestimentis defluxuri in omnes accedentes ad illorum Vivificationem & Consolationem æternam, *Vers.* 9. Nunc Prædicat in *Versu* 10. Felicitatem & Gloriam Ejus per *Conjugem Regiam* splendidissimam, Ei ut secundo Adamo divinitus datam. Quæ ex innumerabili multitudine, etiam præstantissimorum hominum constans, Hunc hominum Pulcherrimum, gratiosissimum Sponsorem, cum omni justitia sua vicariâ desideraret, Ejus Communionem expeteret, ipsi fidei dextram traderet, & sic connubium æternum cum Ipso contraheret. *Sic* verò, quem hactenus

nus Regem gloriosissimum descripserat, nunc simul ut felicissimum Ecclesiæ Sponsum ac Maritum celebrat: *Sic* quoque Incarnationis Ejus atque Sponsionis, de quibus *Vers.* 3. egerat, Finem declarat, qui erat, ut sibi Ecclesiam Uxorem acquireret *Tit.* II. 14: *Sic* porro Vicariæ Obedientiæ Ejus Activæ & Passivæ, de quâ. *Vers.* 8, atque plenissimæ Satisfactionis Ejus actu præstitæ Effectum deprædicat, quod erat plurimarum Gentium Fides, Sanctificatio, & Glorificatio *Ephes.* v. 25, 26, 27: *Sic* denique Mediorum Gratiæ Ejus, quæ sub Emblemate *Vestimentorum* proposuerat, Efficaciam laudat, & ostendit Verbum Euangelii verè futurum esse *Verbum Fidei Rom.* x. 8, prænuncians *Fidem* Populorum, quâ stabile inirent Connubium cum Domino: Atque adeo sic Vates transit tandem â laudibus Christi Sponsi ad laudes Ecclesiæ Sponsæ Ejus.

IV. *Quam* in Versu *Textuali decimo* describit ut Fidei assensu & amplexu Matrimonium contrahentem. *Cui* deinde nomine Dei præscribit Matrimonii Leges & Officia Conjugalia debita, quando Ei, jam per Fidem unitæ cum Sponsore & Sponso, & proinde Justificatæ, imponit Officium Amoris Christi, & Studium sinceræ ac constantis Obedientiæ ac Bonorum Operum *Vers.* 11, 12. *Cui* porro Promittit: *tum* amplissimum honorem per accessum potentissimorum Populorum ad eam qui Muneribus suis venerarentur Eam. *Vers.* 13. *tum* Sanctificationis gloriosæ Gratiam *Vers.* 14. *tum* singulorum Glorificationem successivè futuram *Vers.* 15, 16; in quorum singulorum decedentium quotidie locum succederent in terris continuè Alii, *Vers.* 17, in quibus *Nomen Christi* viveret usque ad finem Seculi, *Vers.* 18.

V. Continet itaque Textus noster Prophetiam de *Fide* pauciorum quidem ex Judæis sed plurimorum etiam insignium ex Gentibus, in Christum exaltatum: Sive de conjugali Copulatione solenni Christi cum Ecclesia Novi Testamenti. Quoniam verò Ecclesia *Unum Corpus* quidem est, sed

ſed quod *multa* habet *Membra*, ideo Propheta: *Primo* Proponit *Singulos* Fideles hoc Connubium per Fidem contrahentes cum Chriſto. *Deinde Totam* Eccleſiam, ut *Unum Corpus* Myſticum, idem facientem, unà cum Effectu accepti *Juris* ad omnia Regis Bonâ.

VI. Primum illud exprimit his Verbis בנות מלכים ביקרותיך Filiæ Regum inter Honoratas, *Pretioſas*, *Charas*, tuas. *Subjecta* ſunt *Filiæ Regum*. Hæ non ſunt Gentes integræ ac Populi: nam â Pſalte non vocantur, ut in Scripturis frequens eſt, *Filiæ* Regionum aut Regnorum aut Civitatum, Ægypti, v. g. Babelis, *Tyri*, *coll. verſ.* 13, ſed *Regum*. Et proinde ſunt Singulares Perſonæ. Neque tamen Viles, ſed Illuſtres ac Nobiles, utpote Filiæ *Regum*, id eſt Monarcharum non modò Potentiſſimorum, ſed etiam Minorum Principum, Magnatum, Nobilium, Divitum, qui omnes *Reges* dicuntur apud Hebræos *Jud.* I. 7. 1 *Reg.* xx. 1. *Luc.* x. 24. Neque tantùm Perſonæ ſexus fœminei intelliguntur, ſed & Viri, qui ſub ſexus fœminei vocabulis heic comprehenduntur, quia Eccleſia relatè ad Chriſtum Sponſum, ut Ejus Sponſa heic proponitur, ut & alibi 2 *Cor.* xi. 2. Atque adeo hæ *Filiæ Regum* ſunt quicunque eminentioris generis ſortis ac fortunæ homines. Neque tandem Pauci numero, ſed Plures omnino, in ſe nempe ſpectati, quia in Plurali *Filiæ Regum* appellantur.

VII. *Prædicatum* eſt ביקרותיך. Aliqui vertunt *in Pretioſitatibus tuis*, quemadmodum alibi fœmininum יקרה ſubſtantive capitur, ut *Jeſ.* xxviii. 16. יקרת מוסד *pretioſitas fundamenti*. Quando hoc nonnullis idem eſt ac in *Aulâ tuâ magnificâ*, vel in *Comitatu tuo glorioſo*, ut *Genebrardus*, vel *in Veſtitu tuo pretioſo*, ſicuti in ſequenti membro additur *in auro Ophir*. Atque ſupplent tunc Textum Ellipticum, vel Verbo Subſtantivo, *Sunt*, vel alio, *Incedunt*, vel integrâ phraſi ex ſequenti Enunciato, *ſtant ad dextram tuam*, dextras ſuas jungentes tuæ, fide Te amplectentes, Connubium

bium Tecum contrahentes, & Volentes Te esse Sponsum ac Maritum suum. Ex quo Fidei assensu & amplexu, cum una fiant cum Ipso caro, ideo *in Pretiositatibus Ejus* esse, id est, Vestimento Justitiæ Ejus imputatæ dicuntur ornatæ, *coll. Jes.* LXI. 10. Quæ postrema Exegesis bonum exhibet sensum, & cum sequenti membro haud malè convenit. Quia tamen Nomen יקר vulgò *Adjectivè* sumitur, malim cum Aliis vertere inter *Honoratas*, *Gloriosas*, *Pretiosas*, *Æstimatas*, *Charas tuas* uti *Trem* & *Jun.* Quas omnes significationes Vocabulum Hebraicum יקר habere in Sacris, vel habere posse, ex Lexicographis & Concordantiis satis notum est. Sicuti & constat, quod præfixum ב *in* & *inter* significet, & quod *in* pro *inter* latinis quoque auribus haud insuetum sit. Hæ porro *Honoratæ*, *Pretiosæ*, *Charæ*, si Emblema aut Poëticum Schema spectemus, *Vel* sunt *Virgines* illæ, de quibus *Vers.* 15, 16, quæ Comitatum Sponsæ constituunt, Regisque & Reginæ totiusque Aulæ splendorem augent, operamque suam Sponsæ præstant ad Eam ornandam, laudandam, ducendam; *Vel* sunt totidem *Uxores* Regis quasi secundariæ. *Prius* illud elegerunt cum Aliis Belgæ, qui transtulerunt, *Onder Uwe Kostelyke Staetdochteren.* Quod si liceret sequi, per *Honoratas* hasce intelligerem, ob ea quæ in sequentibus *Vers.* 15, 16. de *Virginibus Sociis* Sponsæ memorantur, non solùm externe Profitentes Christum, sed simul vere Credentes in Eum. Fideles enim omnes simul juncti ita constituunt Corpus Ipsum Ecclesiæ totius, ut tamen singuli seorsim considerati rationem habeant; nunc *Liberorum* Ecclesiæ *coll. vers.* 17. *Jes.* LIV. 1, 2; nunc *Comitum*, *Amicarum*, *Sociarum* Ejus *Cant.* I. 3. VI. 8, 9. *Matth.* IX. 15. *Joh.* III. 29. Et meritò: singuli enim toti Corpori inserviunt juxta Oracula Prophetarum *Jes.* XLIX. 23. LX. 9. 10. 12. 16. LXI. 5. *Zach.* VI. 15; & Monita Apostolica *Rom.* XII. 4—8. 13. *Gal.* V. 13. VI. 1, 2. &c; Ejusque pacem precibus assiduis quærunt *Psalm.* CXXII. 6, & laudes Ejus deprædicant *Cant.* VI. 9, atque imitantur

Eam:

Eam: Singuli quoque Fideles sunt *pretiosi*, *honorati*, Christoque *Chari Psalm.* XVI. 3. *Prov.* VIII. 17. *Jes.* XLIX. 15, 16. *Zach.* II. 5. 8. ac Gloriæ Ejus consortes, hîc inchoatè, & posthac consummatè futuri coll. *vers.* 15, 16. *Rom.* VIII. 16, 17. Sed *Posterius* nobis magis placet, nempe quod *Honoratæ* hæ sint *Uxores* Regis quasi Secundariæ. Ratio est; quia referuntur, non ad Sponsam Reginam, quod fit *vers.* 15, 16; verùm ad *Regem Sponsum: Honoratæ* TUÆ. Scilicet hoc Mysterium Regni Cœlorum; quòd tota Ecclesia sit Sponsa & Conjux Christi, & simul quod Unaquæque Anima fidelis, propriâ Fide, Connubium cum Ipso contrahat; heic proponitur sub Schemate Mundano, & similitudine petitâ à moribus Regum Orientis, inter quos & Salomon primum locum olim obtinuit 1. *Reg.* XI. 1, 2, 3. *coll.* 1. *Reg.* III. 1. VII. 8, qui habuerunt plures Uxores Secundarias, sed Unam Primariam. Sic etiam Christus Dominus Unam Reginam habet, Ecclesiam Totam, ut Unum Corpus spectatam, & simul plures, nempe tot, quot dantur Animæ fideles hoc Mysticum Ecclesiæ Corpus constituentes, quomodò vulgò intelligitur Locus *Cantic.* VI. 8, 9.

VIII. Neque obstat quòd Polygamia hæc Regum Orientis, & Salomonis, peccato haud caruerit, minimèque à Deo probata fuerit unquam; atque ideo quod ad rem hanc sanctissimam adumbrandam indecenter adhiberi videatur. Nam Res malæ possunt esse Figuræ rerum bonarum ac spiritualium, modò in aliquo tertio adiaphoro quædam sit convenientia. Manifestum hoc est ex *Bigamiâ* Abrahami, quæ Figura fuit rei Spiritualis in Ecclesiâ videndâ *Gal.* IV. 22. — 27; atque idem ex similitudine *Furis* de Christo adhibitâ *Apoc.* III. 3, & ex Parabolâ *Injusti Dispensatoris Luc.* XVI. 1. — 9. satis apparet. Quemadmodum non approbat Furtum Dominus quando se cum Fure comparat, sic quoque non approbat Spiritus S. Polygamiam Salomonis stupendam, aliorumque Regum Orientis, quando Christi cum Ecclesiâ

Connubium cum eâ confert. In Polygamiâ illâ quidem Regina distincta erat ab Uxoribus secundariis. Neque tamen ideo ut minus aptum Emblema Mysterii nostri rejici debet. Nam similitudines ab rebus humanis petitæ ad res spirituales & cælestes adumbrandas ut plurimum sunt valde dissimiles. Et maximè dubito an aliud Emblema aptius ad figurandum hoc Mysterium inveniri posset; quamobrem & Spiritus S. non heic tantùm sed etiam *Cantic.* vi. 8, 9. illo usus esse videtur. Duo Hirci in die Expiationis, quorum alter Vivus dimittebatur, alter Mactabatur, *distincti* erant; & tamen adhibentur ut Figuræ, uti volunt multi Interpretes, Unius Christi, morituri & resurrecturi & in æternum victuri; quia hujus Mysterii non poterat alia magis conveniens Figura reperiri, quàm in distinctis hisce duobus animalibus.

IX. Itaque in Schemate Poëtico *Honoratæ Pretiosæ* & *Charæ* Christi sunt *Uxores* ejus quasi Secundariæ: Sed in sensu Spirituali sunt *Singulæ Credentes Animæ*. Quarum Unaquæque est *Sponsa Uxor Regina* Regis, quia *suâ* Fide Anima fidelis non *alienâ* vivit, & connubium cum Christo contrahit *Hos.* II. 19. *Hab.* II. 4. *Joh.* I. 12, 13. 2. *Cor.* XI. 2. Sicuti etiam omnes & singulæ credentes Animæ verè *Honoratæ* sunt, *Pretiosæ*, & *Charæ* Christo *Psalm.* XVI. 3. LXXII. 14. CXVI. 15. *Thren.* IV. 2. *Joh.* X. 14. 27. XI. 36. XIII. 1.

X. Quando nunc dicit Vates, *Filias Regum* esse *inter* hasce Charas & Pretiosas, Connubio stabili cum Rege Messiâ junctas Animas; Significat: Non *omnes* Fideles sub N. T. fore *Regum Filias*; Plurimos enim pauperes & viles hujus mundi elegit Deus *Luc.* XIV. 21, 22, 23. 1. *Corinth.* I. 26, 27, 28. *Jac.* II. 5. Sed *inter* pias illas ac fideles Animas fore quoque nonnullos eminentioris generis sortis ac fortunæ Homines, juxta alias bene multas Prophetias *Psalm.* II. 11, 12. XLVII. 10. LXXII. 10, 11. *Jes.* XLIX. 23. LII. 15. LX. 3. 10. 13, 14. *&c.* Neque caret ratione hoc Liberrimum ac Sapientissimum Dei Decretum heic revelatum. Etenim ab

unâ

unâ Parte, plures *Viles Ignobiles* atque *Infirmos* elegit Deus: *Tum* ut Liberrimam Gratiam suam ostenderet, quæ sese secundum Mundi Judicium Opinionem ac Æstimationem neutiquam exserit, & quæ naturalibus bonis ac donis minimè alligata est, *Rom.* IX. 18: *Tum* ut fidem nostram probaret, quâ firmiter assentiri debemus sublimibus Euangelii Mysteriis, etsi à Sapientibus & Potentibus hujus Mundi rideantur ac rejiciantur *Matth.* XI. 25. *Joh.* VII. 48. *Rom.* I. 16. I. *Cor.* I. 18. — 25: *Tum* denique ut nos doceret, Sapientiam hujus Mundi mere carnalem, Honores, Potentiam, Divitias, non esse vera Bona, cum æterna Salute connexa; quia iis omnibus carere, & tamen mortalium felicissimi esse possumus. *Ab altera Parte*, Aliquos tamen *Nobiles*, *Potentes* & *Sapientes* elegit Deus, non solùm sub V. T. *Matth.* XIII. 16, 17. sed etiam sub N. T. I. *Cor.* I. 26, 27. *Tum* ut in illis magnitudinem insuperabilis suæ gratiæ vorticordiæ manifestaret: *Tum* ut Fidem veram & Pietatem sinceram promissiones quoque hujus Vitæ habere I. *Tim.* IV. 8. palam comprobaret: *Tum* etiam ut Fidei nostræ nova fulcra daret, atque nobis in Sanctitatis stadio currentibus calcar adderet per Exempla & Consortium quorundam saltem Sapientium, Nobilium, & Principum hujus Mundi, per eandem fidei mundum vincentis & infucatæ pietatis viam angustam, & vulgò contemtam, nobiscum contendentium ad incorruptibilem Gloriæ æternæ Coronam, in Cælo repositam.

XI. Verùm sicuti in Corpore humano multa quidem membra sunt, & tamen Unum Corpus est, & in Grege multæ oves, & tamen Unus grex, in Civitate multi Cives, & tamen Una Civitas: Ita etiam res se habet in Ecclesia Christi. *Multi Unum Corpus sumus in Christo Rom.* XII. 5. *Sicut enim Corpus unum est, & membra habet multa, omnia verò illa membra corporis quod unicum est, multa sunt,* (sed) *unum sunt corpus: ita & Christus* I. *Cor.* XII. 12. Vos *autem estis* CORPUS *Christi*, & MEMBRA PARTICULATIM *Vers.*

27. Hoc Mysterium, quod *Cantic.* VI. 8, 9. revelatur, Vates etiam heic exponit; dum multas *Honoratas*, *Pretiosas*, *Charas* Christo tribuit Uxores, & simul UNAM REGINAM, *ex* multis hisce & singulis Fidelibus constantem introducit. Quod est ALTERUM illud, quod in Textu nobis paullò diligentius nunc considerandum proponitur hisce Verbis נִצְּבָה שֵׁגַל לִימִינְךָ בְּכֶתֶם אוֹפִיר STAT REGINA AD DEXTERAM TUAM IN AURO OPHIR.

XII. *Subjectum* hujus Enunciati est שֵׁגַל. Quæ vox Hebræa alibi usurpatur de *Regiâ Uxore* primaria, quæ semper jus tori habet *Neh.* II, 6. *Dan.* V. 2, 3. 23. Quo sensu & hîc venit, ex consensu Rabbinorum, & Veterum Versionum. LXX. habent, ἡ βασίλισσα, Vulgata, *Regina*. Intelligit Vates *Ecclesiam*; non τὴν ἐπουράνιον *Cælestem* illam ac Triumphantem, quam *Eusebius* nominat, quia & Monitum subjectum *vers.* 11, 12. & Ductio ad Domum Sponsi sequens *vers.* 15, 16. obstant; Sed *Militantem* in terris successive exsituram usque ad finem seculi post Christum exaltatum. Quam *Reginam* vocat. I. Propter *Unitatem*. Multæ Honoratæ illæ, seu Fideles singuli Unam *Reginam* constituunt *Cantic.* VI. 8, 9. Unam Uxorem *Ephes.* V. 30.—32, Unam Civitatem *Psalm.* LXXXVII. 3. *Ephes.* II. 19. Unum Gregem *Joh.* X. 16, Unum Corpus *Rom.* XII. 4, 5. 1. *Cor.* XII. 12, 13. 27. *Ephes.* I. 23; per Unum nimirum Spiritum, tanquam communem totius Corporis Animam 1. *Cor.* VI. 17. XII, 13. *Ephes.* IV. 4; per Unam Fidem *Ephes.* IV. 5, Charitatem *Coloss.* III. 14. *Act.* IV. 32. 1. *Cor.* XII. 25, 26. Spem *Ephes.* IV. 4. atque Hæreditatem *Rom.* VIII. 17. II. Propter *Unionem relativam* quam habent cum Christo Rege ut *Sponso* ac *Marito* suo *Jes.* LIV. 5. *Hos.* II. 19. *Matth.* IX. 15. XXII. 1. *Joh.* III. 29. 2 *Cor.* XI. 2, 3. *Ephes.* V. 25. 32. *Apoc.* XIX. 7. XXI. 2. 9. III. Propter mutua *Officia Conjugalia* heic exercita. Dum Christus Ecclesiam vehementer diligit *Psalm.* XVI. 3. *Jes.* LXII. 4. *Zach.* II. 8. *Ephes.* V. 2. 29, Verbo & Spiritu suo clementer regit *Psalm.* XXIII. 2,

3,

3, 4. LXXII. 2, 3, 4, 5. *Jes.* XI. 2, 3, 4, 5, & fideliter curat atque potenter defendit *Jes.* XLIII. 1, 2. *Joh.* X. 29, 30. *Ephes.* V. 29, 30. & dum Ecclesia vicissim Ipsum supra omnia amat *Matth.* X. 37. 1 *Cor.* XVI. 22, Ei sese spontè ac constanter subjicit *Joh.* XIV. 23, 24. XV. 14, & fideliter, etiam per aquas & ignes ducenti, adhæret *Apoc.* XIV. 4, Ejusque Gloriam, magno & prudenti zelo tueri conatur *Jes.* XLIII. 21. IV. Propter *Communionem Regni* & *Juris* in omnia Bona Regis. Ubi enim est Conjugium, naturaliter quoque est Communio Bonorum, sicuti est Communio corporis. Sic Ecclesia habet Jus ad omnia quæ Christi sunt, etiam ad omnes Creaturas, quatenus ejus saluti ac æternæ felicitati subservire ex imperio Regis debent 1 *Cor.* III. 21, 22, 23. *Rom.* IV. 13. Egregiè *Lutherus* ad h. l. *Est igitur hoc summum, quod Ecclesia habet omnia, quæ sunt Christi, & est factum unum corpus ex utroque: ut quæ sunt Ecclesiæ, sint Christi, & e contra, quæ Christi sunt, sint Ecclesiæ. Sunt autem hæc majora, quàm ut humana oratione possint explicari, aut etiam à corde nostro comprehendi. Sunt tamen adumbrata tenuiter in Matrimonio, ubi summus Sponsi erga Sponsam amor est, una fides, unum corpus, & unus animus. Inter Christum autem & Ecclesiam res vera est, cum in Matrimonio corporali tantùm sint spectacula & figuræ istarum spiritualium nuptiarum, ubi Christus sponsus est, & omnia quæ habet, donat Ecclesiæ &c.* V. Propter *Venerabilitatem* Ecclesiæ, ac *Honorem*, quem, sive simulatâ, sive verâ fide communionem Ejus quærentes, Et exhiberent, coll. *vers.* 13. *Cantic.* VI. 10. *Jes.* XLIX. 23. LX. 15. *&c.*

XIII. Quoniam verò omnis hæc Felicitas & Dignitas Ecclesiæ est, ex Deo Patre Eligente eam in Reginam *Ephes.* I. 4; & ex Deo Filio Redimente eam sibi in Uxorem *Jes.* LIV. 5. atque ex Deo Spiritu Sancto Regenerante, eique *Fidem* donante 1 *Cor.* XII. 3. quâ *Solâ*, sed non solitariâ, Connubium hoc cum Christo contrahitur, & *Unio illa relativa*, quæ *Jus* dat ad omnia Sponsi Bona, effici-

citur; hinc sequitur *Prædicatum* duplex: *Primum*, quo describitur Sponsa ut Fide contrahens Matrimonium cum Rege Messia: *Secundum*, quo depingitur Eadem ut per Fidem *Jus* habens ad Vitam æternam, *Coronata* scilicet *diademate aureo Ophirino*.

XIV. *Primum Prædicatum* ita exprimitur, נצבה לימינך Stat ad Dexteram tuam. Vulgò hoc ita capitur ac si in Visione Propheticâ *adstiterit* Regina ad *latus dexterum* Sponsi, illudque clauserit. Ita acceperunt Judæi, apud quos ex hoc Loco receptum est, ut Sponsa in copulatione solenni occupet latus dexterum Sponsi. *Sponsa*, inquit *Buxtorfius* in *Synag. Cap.* xxxix. *p.* 631, *stat à latere Sponsi dextero, juxta id quod in Psalmis habetur; Astat conjux ad dexteram tuam in auro Ophir.* Similiter hoc intellexerunt Illi, qui cum *Antonio Nebrissensi* in *Quinquag. Cap.* xxxix, & cum *Drusio* nostro de Quæsitis per *Epist.* 117, ac *Ferrando* in *Annotat.* in hunc Psalmum, Aliisque, ex Collocatione *Bathsebæ* ad dextram Regis Filii 1 *Reg.* II 19, & ex Sessione Christi Filii Dei ad dextram Patris *Psalm.* cx. 1, & denique ex hoc Loco nostro, collegerunt, non *Dexteram* honoratiorem dignioremque esse habitam apud Hebræos, sed *Sinistram*: Siquidem *Christo non Ecclesiæ honoratior debet tribui locus*, uti ait Ferrandus. *Neque enim*, inquit Nebrissensis, *tantum reverentiæ Filius debet Matri, aut Sponsæ Sponsus ut si ad publicum Magistratum pervenerint, Matri aut Sponsæ, in aliorum maximè conspectu, priores sedendi partes concedant*, Et Drusius, *In populo Hebræo dignior erat sinistra quam dextra. . . . . Ex hac consuetudine Bethsabe, cum venisset ad Salomonem filium nuper regno potitum, ad dexteram collocatur. Et Christus, quamquam æqualis Patri, tamen ut Filius ad dexteram sedet.* Sed errant Viri Eruditi. Dextra apud Hebræos, fatente ipso *Baronio Tom.* 11. *Annal.* A. 213. semper potior fuit sinistrâ ac dignior habita. Hoc invictis argumentis dudum â Viris longè doctissimis demonstratum est: *Tum* ex perpetuâ dextræ ante sinistram in Sacris nomina-

tio-

tione: *Tum* ex Historiâ Benedictionis Ephraim & Menasse â Jacobo Patriarchâ *Gen.* XLVIII. 13, 14. 17, 18, 19, 20: *Tum* ex Querelâ Jobi de adolescentulis, *ad dextram* ejus *consistentibus*, qui sic sese Ei seni insolenter anteponebant, *Job.* XXX. 12: *Tum* ex Dicto Salomonæo de Sapiente, *cujus cor* est *ad dextram* Ejus, quia præstantia cogitat, cum *cor stolidi*, vana & mala cogitantis, sit ad ad *lævam* ejus *Eccles.* X. 2: *Tum* denique ex Descriptione ultimi Judicii, quando *Oves ad Dextram* collocabuntur, & Hirci ad *Sinistram Matth.* XXV. 33. Neque sequitur quod Sinistra honoratior fuerit dextrâ apud Hebræos, vel ex sessione Filii Dei ad dextram Patris, vel ex collocatione Bathsebæ ad dextram Regis Filii, vel ex Sponsâ Ecclesiâ heic stante ad dextram Divini Regis: Quia, quamvis dextra honoratior sit sinistrâ, Rex tamen in Regno suo, Regioque Throno, semper est superior, de *quo ut primo & potissimo loco dubium esse non potest*, ait *Pineda Lib.* V. de *Rebus Salomonis Cap.* IV. *p.* 388. Sed sedes ad dextram honoratior habetur, non ipso throno Regio, sed sede ad sinistram collocatâ aut collocandâ. Conf. 1 *Reg.* XXII. 19. *Matth.* XX. 21.

XV. Hi verò Interpretes qui dextram apud Hebræos digniorem fuisse tenent, & tamen supponunt Sponsam heic *Latus dexterum* Sponsi Regis *claudere*, minimè conveniunt in *Sensu*, qui sub metaphoricâ hac phrasi ex mente Spiritus Sancti lateat. Nonnulli existimant sic innui Reginam esse *Sociam Imperii*; quorum Aliqui se mollius explicant cum *Eusebio*, cui *consistere ad dexteram Regis* dici videtur Regina ideo, quia est συμβασιλεύουσα τῷ ἑαυτῆς νυμφίῳ, *Regnans una cum Sponso suo:* quod convenit cum phrasibus Scripturæ & Locis *Psalm.* XLIX. 15. CXLIX. 6. 9. *Matth.* XIX. 28. *Luc.* XXII 29. *Rom.* VIII. 16, 17. 1 *Cor.* III. 22. VI. 2. 1 *Pet.* II. 9. *Apoc.* I. 5; 6. III. 21. XXI. 7. XXII. 5. Alii verò durius loquuntur, nempe quòd Ecclesia sit *consors facta ejusdem imperii, ejusdemque & paris & æqualis potestatis, cujus â Patre particeps factus est Christus; ita ut Ecclesia sedeat ad dex-*

tram Patris; & *quod eleganter hoc efferatur* in Verbis nostris; ubi non quidem *sedere*, sed *stare* dicitur Sponsa *ad dextram* Regis, quia Hic describitur in Psalmo ut *stans*, & ἐξελθὼν ἵνα νικήσῃ, & quia *Ecclesia*, *sicuti cum Christo sedet hostibus subjectis imperans*, *ita* etiam *cum Christo & per Christum hostes suos* & *Christi sibi ulterius subjicit*, *novos de iis omni die agens triumphos*, uti Celeb. *Vitringa Observat. Sac. lib.* 11. *Cap.* v. *p.* 75, 76. ex hypothesi illa, quod is qui ad dextram Regis est, quâ Sceptrum tenet, *Sceptro* sit *Proximus*, & quòd illud *inter tenentem & tenenti ad dextram sedentem distributum divisumque esse videatur*, *ita ut non amplius unus sed duo sceptri participes appareant*, uti ait *p.* 69. In quam hypothesin nunc non inquiram, quam breviter & nervosè refutavit Celeb. *Markius* in *Fasciculo Dissert. Philol. Exegetic. ad Selectos N. T. Textus*, Dissert. XXIV. ad *Hebr.* XII. 1, 2. §. XII. Hoc solum in transitu nunc observasse sufficiet, quod Christus neque ut *Sedens* in *Throno* Regio, neque ut *Stans* & *Pugnans* adversus hostes consideretur, aut obversatus fuerit Vati in hoc versu nostro textuali de Eo differenti.

XVI. Alii existimant sic significari Ecclesiam credentium in *summo honore esse* apud Regem, qui eam *supra* alia omnia æstimat, & *gloriosæ* gratiæ suæ donis extollit, & vere *honorabilem* reddit, Sibique *pretiosam* ac charam declarat *Psalm.* XVI. 3. *Jes.* XLIII. 4. XLIX. 23. LX. 14. Et conferunt Exemplum Salomonis, Matrem habentis ad dexteram suam 1 *Reg.* II. 19. & Neronis, Tiridatem Armeniæ Regem *juxta se latere dextero collocantis*, ut ait Suetonius; qui hoc fecerunt, non ut divisum cum iis imperium haberent, sed ut supra alios extollerent, maximoque honore afficerent.

XVII. Alii rursus perpendentes quòd Regina non dicatur *sedere*, sed *stare* ad *Dextram* Regis, hoc referunt cum *Hieronymo* in Commentario, & *Luthero*, ad statum *Gratiæ* ejus ac *Remissionis peccatorum*, quam nacta est ex Fide; & ad

ad statum *Gloriæ* in die Judicii, quando palam *absolvetur* & & *justificabitur*, constituta *ad dextram* sedentis Judicis *Matth.* xxv. 33, 34. Judex enim sedet, sed judicandi *stant*. Justificandi verò à dextris collocantur, & Condemnandi à sinistris, ut volunt, quia mos erat in *Synedrio*, ut Scribarum alter, qui suffragia absolventia conscribebat, staret à dextris, & prope illum insontes, alter vero qui condemnantia adnotabat à sinistris, & prope hunc damnati fuère constituti. Vid. *Cod. Sanhedrin Cap.* iv. §. 3. & *Drusium* in *Præteritis*, *Lib.* 1. ad *Matth.* xxv. 41. Verùm neque hoc sensu *Stare* heic dicitur Sponsa *ad Dextram* Regis, quia Hic Prophetæ non magis obversatur ut Judex in Tribunali, quàm ut Rex in Solio sedens, uti ex sequentibus clarius, ut puto, patebit.

XVIII. Unde alii iterum volunt indicari hac phrasi, quòd Regina sit Objectum potentissimæ *Defensionis* & *Opitulationis* Regis, ac *Liberalissimæ Munificentiæ* Ejus; quam *Sustentat* Ille *dextra suâ* *Jes.* xli. 10. *Cant.* ii. 6. viii. 3, Cuique promptissimam in periculis constitutæ opem fert *Jes.* xliii. 1. 2. & largissima manu donat Beneficia gratiæ & gloriæ *Prov.* viii. 17—21. Sicuti Dextra sæpe in Sacris est Symbolum *Potentiæ* coll. *vers.* 5. *Psalm.* cxviii. 15, 16. & potentissimi *Auxilii* *Psalm.* lxiii. 9. ac *Liberalitatis* *Psalm.* xvi. 11. Res vera est; sed si *Defensionem* Ecclesiæ voluisset indicare Vates, dixisset potius Regem stare *ad Dextram* Reginæ: quemadmodum legitur; *Jehova umbra tua*, (est) *ad manum dexteram tuam* *Psalm.* cxxi. 5, Dominus *assistit ad dextram egentis* *Psalm.* cix. 31. *Ego Jehova Deus tuus, prehendam dexteram tuam; edicens tibi, ne timeto, ego auxilior tibi* *Jes.* xli. 13. Confer *Psalm.* lxxiii. 24.

XIX. Quare & Alii tandem cogitant denotari hac phrasi *Officium* & *Studium* Reginæ circa Regem & Maritum suum; *ad* cujus *Dextram stare* hæc diceretur; quia non solùm fideliter Ei adhæret, atque ad servitia Ejus prompta ac parata adstat; verùm etiam Ei adjumento est atque

auxilio, *coll. Gen.* II. 18; dum fervidis precibus, & pugna actuali adversus hostes Ejus, Regnum & Gloriam Ejus promovere studet *Cant.* III. 7, 8. *Jes.* LXII. 6, 7; atque simul liberorum multorum partu, ut Fœcunda Mater Domum Ejus ædificat (coll. *vers.* 17.) *Jes.* LIV. 1. LXVI. 7, 8.

XX. Verùm quamvis hæc cuncta à rei veritate haud abludant, sed bene Ecclesiæ conveniant; a Schemate tamen heic Prophetæ exhibito abludere videntur. Non videt illeReginam *Sedentem* in Throno ad latus Regis, sed *Stantem*; non coram *Tribunali* Judicis, neque in *Campo* pugnæ, gladio sagittisque unà cum Rege armatam ad debellandos hostes, novasque victorias reportantem; sed videt Eam in *Domo Patris* sui *vers.* 11, ubi *Lex Matrimonii* Ipsi â Nuptiarum Præside prælegitur, & *Officia conjugalia* proponuntur *vers.* 11. 12, & ex quâ Domo Patris sui *deducitur* postea in *Palatium* Regis *vers.* 15, 16. Atque adeo videt Vates Sponsam *Stantem*, non *ad latus* Sponsi *dexterum*, sed è *Regione* Ejus, *junctis utrinque Dexteris*; dum Sponsa dat Ei *dextram* suam, quâ simul *Dexteram* Sponsi apprehendit, amplectitur & firmiter tenet, in signum fidei conjugalis ac consensus, qui facit Matrimonium. Optimè Clar. *Lampe Exercit.* VIII. in hunc Psalmum, §. XIV. *Stare ergo* ad dextram Sponsi *nihil aliud est, quàm* dextram Sponsi *tenere*, *quæ præfixi vis etiam Jes.* LXIII. 12. *invenitur.* Additque: *Et miror sane, Viris Doctissimis hoc in mentem non venisse. Basilius* tamen hujus rei aliquid vidisse videtur, quando loquitur de *Reginâ adstante* Regi *ad dextram*, id est, *Animâ* τῷ νυμφικῷ λόγῳ Sponsali verbo *copulatâ.*

XXI. Vix operæ pretium erit, ad confirmationem vel illustrationem hujus interpretationis, multis testimoniis comprobare, quod veteres fœdera pacis, amicitiæ, & imprimis Matrimonii pangentes dextras mutuò dederint atque conjunxerint; quoniam hoc satis notum est ex profanis pariter ac sacris Auctoribus. *Jacobus & Cephas* & *Johannes* dexteras societatis *dederunt* Paulo & Barnabæ *Galat.* II. 9

Con-

Confer 2 *Reg.* x. 15. Et quod attinet *Fœdus Conjugale*; *Persæ autem*, inquit *Alexander ab Alexandro Gen. Dierum Lib.* 11. *C.* v., *& Assyrii*, *accepta invicemque data dextra*, *fœdus Matrimonii ineunt*. Ubi *Tiraquellus* in *Annotat.* citat *Arrianum* de Gestis Alexandri *lib.* 3, qui tradit, *Persarum* & *Medorum more nuptias celebrari*, *uxoribus dextris* & *osculo acceptis*. (Ad *Osculum* in Sponsalibus datum respicit Sponsa *Cantic.* 1. 2.) Apud alias gentes idem obtinuisse probat idem *Tiraquellus*, l. c., & in *Annotat.* ad *Gen. Dierum Lib.* 11. *Cap.* xix. Nec omisit illud Virgilii *Lib.* 4. *Æneid.* ubi Dido Æneam ita alloquitur. *Nec te noster amor*, *nec te data dextera quondam*, *Nec moritura tenet crudeli funere Dido.* In Libro *Tobiæ Cap.* vii. 15. legitur in Vulgata Versione. Et (Raguel) *apprehendens dexteram filiæ suæ* (Saræ) *Tobiæ tradidit*, *dicens Deus Abraham*, &c. *Vobiscum sit & ipse conjungit Vos.* Quo pacto hæc in Græco Codice & Exemplari Hebraico quodam legantur, si scire velis, adeas *Seldenum* in *Uxore Hebraicâ Lib.* 11. *C.* xiii. *p.* 134. *Thomas Malvenda* in hunc Locum *Tobiæ* ita commentatus est. *Vetustissimus mos jungendi dextras in Matrimonii conventione: Unde Romani*, convenire in manum coëmptione *dicebant. Cicero in Topicis*, Matres familiæ eæ sunt quæ in manum Viri convenerunt. *Apulejus lib.* 6. *Asini:* Hîc rite Psyche convenit in manum Cupidinis, *Vide Aulum Gellium Noctium Atticarum Lib.* 18. *Cap.* 6. Et meritò hic ritus in sponsalibus fuit adhibitus. Sic enim desponsati testabantur se tradere alteri cum præstantiori membro totum corpus, & simul quicquid in iis erat præstantiæ ac virium, aut ab iis boni & utilitatis proficisci possit. Hoc unum tamen monere debeo, quod Fœderati alii, & speciatim Sponsus ac Sponsa dextris junctis sibimet invicem non ad latus, sed *è regione* adstiterint, in fœdera conjugalia coëuntes, ut liquet ex Nummis â Clar. *Lampe* l. c. *p.* 354. 357. adductis.

XXII. Verùm hisce nunc immorari diutius nolo, sed potius investigare, an hæc Exegesis confirmari & illustrari queat ex analogiâ Styli Scripturæ, & an hæc eadem phra-

ſis, *ſtare ad dextram alterius*, ullibi hunc ſenſum habeat, ac notet *jungere dextram ſuam* cum *alterius dextrâ*. Ita putem ego, quòd occurrat hæc phraſis, nunc de *inimicâ*, nunc de *amicabili* & *fœderali* dexterarum *Colluctatione*. De *inimica* Dextrarum ad pugnandum conjunctione intelligenda videntur Loca *Pſal.* CIX. 6. *Zach.* III. 1. Prior ita ſonat; *Conſtitue ſuper eum impium* ושטן יעמד על ימינו *Et Satan ſtet ad dextram ejus*, id eſt, ſit ejus Adverſarius, & *conſerat manum* ſuam cum eo, jungatque hoſtilem dextram ſuam cum dextrâ ejus, ita ut ſuperior evadat. In Poſteriori ita legitur; *Et oſtendit mihi Jehoshuam Sacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Jehovæ*; והשטן עמד על ימינו לשטנו *Et Satanam ſtantem ad dexteram ejus ad adverſandum ei*, junctis ſcilicet hoſtiliter dextris: quæ inimica dextrarum colluctatio tamen phraſi hac *ſtandi* ad *dextram* Joſuæ indicata, intelligi debet ita ut conveniat Tribunali, ubi verbis & accuſationibus, non verberibus Rei oppugnantur. Scio quidem nonnullos aſſeverare, quod antiquiſſimi moris fuerit, ut Accuſator coram tribunali ſtet ad dextram Rei: Sed mos ille prius aliunde probari debet, antequam in hiſce Locis ad illum morem reſpici tutò aſſerere poſſumus. De *amicâ* autem & *fœderali* dexterarum *Conjunctione* phraſis hæc, *ſtare ad dextram* alicujus ſumitur, mêo quidam Judicio; non *Pſalm.* CX. 5. ubi *Adonai Dominus Meſſias* dicitur eſſe, ſtare, ſedere, *ad dextram* Patris, eodem ſenſu, quo *verſu primo* ibidem dictum erat, *Dixit Jehova* לאדני *Domino meo*, *ſede ad dextram meam*; ſed *Pſalm.* XVI. 8, ubi Meſſias dicit; *Pono Jehovam coram me ſemper*, כי מימיני quoniam *apud dextram meam*, vel *á dextra mea*, vel *ex dextra mea*, *non dimovebor*; id eſt quia vel dextræ meæ conjunctus eſt; vel porrigens mihi dextram ſuam *á dextra mea* acceptus eſt; vel potius quia ſeſe conſpectui meo objicit *ex dextra mea*, quam, ſtans è regione mei, tenet ut Fœderatus meus, & proinde quia nos mutuò dexteras in Fœdere Pacis junximus, ideo non movebor. Hujus enim fœderis ita continuè

re-

recordor, ut *semper Dominum coram me* habeam, è regione mei scilicet, tanquam qui data dextrâ sua, junctaque cum meâ dextrâ Fœdus mecum continuè renovet. Utique si nuda Defensio Auxiliumque præstitum hac Phrasi denotentur, nulla ratio solida afferri posse videtur, cur *Dextræ* fiat mentio, & non *sinistræ*, aut cur non simpliciter dicatur, Dominus est *apud me*, mihique præsens. Quare etiam alia Loca supra laudata *Psalm.* CIX. 31. CXXI. 5. *Jes.* LXIII. 12. ad eandem fœderalem Dexterarum conjunctionem videntur habere respectum, magis quam ad nudam Defensionem, aut *dextræ confirmationem*, quæ phrasis alibi legitur *Jes.* XLII. 6. XLV. 1. Et nonnihil roboris acquiret hæc nostra *Psalm.* XVI. *vers.* 8. expositio ex Elogio Messiæ, quod ei datur *Psalm.* LXXX. 18. *Sit manus tua* על איש ימינך *super* Virum dexteræ tuæ, *& super filium hominis quem fortificasti tibi*; si recte statuatur *Vir Dextræ* Dei appellari, quia Jehova ei *juravit in manu dextra*, uti habet *Chaldaica* Paraphrasis, & sic firmo fœdere Eum constituit sibi ac *confirmavit* Mediatorem.

XXIII. Itaque *Stare* dicitur Regina *ad dextram* Regis, ut quæ suam dat Fidei dextram Regi, Ejusque dextram amplectitur & tenet, Sponsalia ac Fœdus matrimonii stabilis cum ipso contrahens. Quo sub schemate corporali nobis repræsentatur Exercitium *Actûs Fidei Justificatorii*, cujus natura, & proxima effecta, & adjuncta hoc emblemate *Dextræ* conjugalis *datæ* & *acceptæ* egregiè depinguntur. *Sicuti* enim Sponsa dans dextram suam & amplexa dextram Sponsi, testatur se *Recipere* Sponsum, ac *Velle* esse Maritum & Dominum suum: *Sic* etiam Actus fidei justificatorius; quo justificamur in foro Dei, non est Actus solius intellectus, neque Actus Judicii de statu meo, quo Judico & Statuo me Remissionem peccatorum jam accepisse propter Christum, quo Actu justificamur in foro conscientiæ; sed est *Receptio* Christi Sponsoris & Sponsi cum justitia Ejus vicariâ, omnique gratia ab ipso promerita *Joh.* 1. 12.

12. *Coloss.* II. 6, & est Actus *Voluntatis* quam maximè, quo *Volo* Eum esse Sponsorem simul & Dominum meum. Ita in *Receptione* Christi Scriptura collocat Actum fidei justificantem nos coram Deo *Joh.* I. 12. *Coloss.* II. 6, quod & facit satis aperte *Catechesis Heidelbergensis* Quæst. 20. 60. 61. 76. 84. *Sicuti* porro *Consensus*, cujus *Dextra* data est signum, facit Matrimonium, & *unit* sponsam cum sponso, ut sit cum ipso *Una caro* coll. *Gen.* II. 23, & sicuti *ex ipsis Sponsalibus* Mulier *fit Uxor* apud Hebræos, tametsi Nuptiæ, seu Deductio ad domum aut thalamum, non accederent, ut docet *Maimonides* & probat ex *Deut.* XXII. 23, apud *Seldenum* in *Uxore Hebr. p.* 93: *Sic* quoque per hanc *Receptionem* Christi Unaquæque fidelis Anima fit *Uxor* Ejus, & arctissimè cum Eo *unitur*, atque fit *una* cum ipso *caro Ephes.* v. 29—32; quare toties fideles dicuntur esse IN CHRISTO. *Sicuti* amplius Sponsa vi hujus *Unionis jus* accipit ad omnia *Bona* Sponsi; ubi enim est Communio corporis, ibi etiam est naturali consequentiâ Communio Bonorum: *Sic* & per hunc Fidei *Recipientis* Actum *solum Jus* accipimus ad omnia Bona Sponsi & Sponsoris Novi Fœderis, Ejusque Justitia Vicaria nobis imputatur, & *nostra* habetur in Judicio summi & justissimi Judicis *Jer.* XXIII. 5, 6. *Rom.* v. 19. 2 *Cor.* v. 21; quare toties *Fide Justificari* dicimur, non *Amore*, non *Operibus* Legis, nec cerimonialis nec moralis ac æternæ. Amoris enim affectu & demonstratione non efficitur Unio Conjugalis, ex qua Communio Bonorum, sed *solo Fidei Consensu*; cujus Amor & Obsequium sunt sequelæ. 1 *Tim.* I. 5. *Gal.* v. 6. Unde etiam huic Reginæ, post dextram fidei datam, & per eam Justificatæ in foro poli, ut decentia officia imponuntur ac præscribuntur in sequentibus *vers.* 11. 12. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populi tui, & domûs Patris tui. Et concupiscet Rex pulchritudinem tuam: quoniam ipse est Dominus tuus; & incurva te Ei.* Nimirum bona Opera imponuntur in Fœdere Gratiæ non Justificandis, sed Justificatis. Sicuti tandem Spon-

Sponsa hæc Regia haud absque singularî quadam emphasi STARE dicitur ad dextram Sponsi, *erecta* scilicet, & *animosa*, *læta*, *immota*, *spontanea*; ita etiam hæc sunt totidem *Adjuncta* Fidei justificantis. Hæc enim est Spontanea *Psalm.* cx. 3. *Jes.* LV. 5, Animosa & cum Fiducia *Ephes.* III. 12. *Heb.* XI. 1, Immota & Constans in adversis, mundumque Vincens 1 *Cor.* XVI. 13. *Coloss.* II. 5, 6. *Heb.* XI. 24—27. 1 *Joh.* V. 4. *Apoc.* II. 10, & cum inenarrabili gaudio conjuncta *Jes.* LXI. 10. 1 *Pet.* I. 8.

XXIV. Atque adeo Prævidet ac Prædicit Vates hoc *Prædicato primo*, Multitudinem Electorum præcipuè ex *Gentibus*, *Fide* Christum *Recepturam* esse; mox post Exaltationem Ejus; juxta alia vaticinia plura *Gen.* XLIX. 10. *Psalm.* LXVIII. 32. *Jes.* XI. 10. XLIV. 5. XLV. 22. 25. *Hagg.* II. 1. *&c.* Quod & fiet â Multitudine *Judæorum*, hodie incredulorum, in fine N. T. *Hos.* II. 18, 19.

XXV. Quia verò Fide Christum recipientes Justificantur in foro poli, & *Jus vitæ* æternæ irrevocabile nanciscuntur; ideo additur *Prædicatum Alterum* בכתם אופיר IN AURO OPHIR. Vox כתם notat *Aurum*, insigne, optimum, purissimum, *Belgæ*, *in het fynste gout.* Alibi legitur de *Auro Uphaz Jer.* x. 9. *Dan.* x. 5, & *Schebæ Psalm.* LXXII. 15, heic verò de *Auro* אופיר *Ophir. Ophir* est nomen Viri, qui fuit filius Joktan, nepos Heberi, frater Chavilæ *Gen.* x. 29, & nomen Regionis auriferæ, cujus mentio fit, in Libro Jobi, *Cap.* XXII. 24. XXVIII. 16, & in historiâ Davidis, 1 *Chron.* XXIX. 4, Salomonis 1 *Reg.* IX. 26, 27, 28. X. 11. 2 *Chron.* VIII. 17, 18. IX. 10, atque Josaphati 1 *Reg.* XXII. 49. Ubi notandum in historia Salomonis, quod naves ejus & Hirami, quæ dicuntur in *Ophiram* profectæ 1 *Reg.* IX. 26, 27, 28. X. 11. 2 *Chron.* VIII. 17, 18. IX. 10, appellentur 1 *Reg.* X. 22. naves *Tarshish.* Sicuti etiam in historia Josaphati legitur 1 *Reg.* XXII. 49. *Josaphat fecit naves* Tarshish, *quæ proficiscerentur in* Ophiram, *auri caussâ*, *sed non ivit* illa Classis, *quia fractæ sunt naves in Hezion*

zion Geber; & 2 *Chron.* xx. 35, 36. *Eum autem* (Achaziam Regem Israëlis) *consociavit sibi* (Josaphat) *ad faciendum naves quæ irent in* Tarshish; *feceruntque naves in Hezion Geber .... sed confractæ sunt naves, nec potuerunt ire in* Tarshish. Etsi nonnulli cum *Pineda* existiment *Ophir* & *Tarshish* esse duo distincta Loca, ad quæ iverunt naves per diversas vias, nempe ad *Tarshish* ex portu maris mediterranei, & ad *Ophir* ex portu sinus Arabici; plures tamen Eruditi existimant, quòd quidem Vocabulum *Tarshish* sit Homonymum, sed tamen in hac Historia navigationis Salomonææ positum sit pro *Ophir*, quod ex collatione Locorum modò laudatorum sese meritò colligere posse autumant. Cui duplici ejusdem Regionis nomini *Ophir* & *Tarshish* tertium adjungunt, nempe *Parvajim*, quia 2 *Chron.* III. 6. legitur; *Item obduxit* (Salomo) *domum lapidibus pretiosis ad ornatum, aurum autem* (erat) *aurum* פרוים Parvajim. De *Situ* hujus Regionis, *Ophir Tarshish* & *Parvajim* appellatæ, ex quâ attulerunt *aurum*, *argentum*, *ebur*, *simias*, *pavones* vel *psittacos*, *gemmas*, *ligna almuggim*. 1 *Reg.* x. 11. 22, magna est Opinionum Varietas. Non desunt qui eam collocant in *America*, quorum Alii nominant *Hispaniolam*, Alii *Peru*, Alii rursus & *Peru* & *Mexico* simul. Sunt qui confidenter asserunt, *Ophir* esse *Iberiam*, *Europæam* nempe!, ejusque partem Andalusiam, ubi *Iberus* fluvius; & *Tarshish* esse *Tartessum*, quæ cum *Gadibus* â Tyriis & Phœnicibus maxime frequentata fuit; & *Heziongegeber* atque *Eloth* esse maris Mediterranei portus non Arabici. Quod nuper nobis persuadere conatus est M. *Job. Olderman* in Disp. Philol. de *Ophir* & *Tarshish* publicè habita 22. *Decemb.* MDCCXIV. Plures autem quærunt in *Asia*: atque ibi; vel in *Arabia*, ubi emporium celebre prope sinum Arabicum, quod Arriano *Aphir* dicitur; vel cum Josepho in *India* orientali. Ubi rursus Alii nominant *Chersonesum Indiæ* intra Gangem, ubi hodie *Goa*, celebre emporium, & *Calicut*; &c. sed ubi olim erat *Ouparα* Σεπά-

πάρα, *Sophara*, ex Ptolomæo, Ammiano Marcellinino, Arriano nota, quod nomen Urbis ac Regionis vetus optimè convenit cum *Ophir*, quæ & Σωφείρ, Σωφίρ, Σεφείρ, Σωφιρά apud LXX. Josephum & Origenem nominatur, uti adnotavit Cl. *Relandus* in *Differt* de *Ophir*. Alii Vicinam Insulam *Ceilon* nominant; Alii cum *Varrerio*, *omnem illam Oram maritimam*, quæ Regno *Pegu*, *Malacca*, (quæ *aurea Chersonesus* Veterum esset) & *Sumatrâ*, continetur. Tandem non defuerunt olim, nec hodie desunt qui in *Africâ* collocant *Ophiram*, atque ibi: vel in Regno *Melindano*, quod est in Regione *Zangibar*: vel in *Angola* Æthiopiæ: vel in *Zophala* Insula in Oceano Æthiopico sita; vel in *Guinea*. Ita nuper Vir Eruditissimus *Otho Verbrugge*, in Academia Groningana Theol. & Ling. Orient. Professor Celeberrimus, qui observat, quod nomen *Ophir* idem sit ad Latinum *Afer*, unde *Africa* deducitur, cujus littus Salomonis naves legerunt, non modo, uti ait, a *sinu Arabico ad bonæ spei promontorium*, *sed & ad littora Guineæ vicina*, *ubi duo Regna existunt*, *nomine Fara*, quorum alteram *Biafara*, alterum *Zanfara*, distinguendi caussa vocatur. Quod utrumque regnum *Fara* ut indicaret Sacer Scriptor, in *secundo Chronicorum libro*, *Hebraicè nomen in forma duali extulit*: Erat autem aurum פרוים Parvaim. *Fateor equidem novam esse hanc Interpretationem*, *sed eam cæteris veriorem esse*, *contendo*. Ita Clar. *Verbrugge* in *Oratione* de *Navigatione Ophiritica*, 3 Sept. MDCCXXIII. habita. Non malè forte *Scaliger*: *Quæ regio fuerit* (Ophir) *frustra quæritur*, *quamdiu vivent literæ*. Nobis nunc pro instituto nostro sufficit, quod *Aurum Ophir* sit optimum purissimum solidissimum pretiosissimum, coll. *Jes*. XIII. 12. quale ideo dictum videtur *Obrizum*, quasi *Ophirizum*.

XXVI. Quod verò dicit Vates Reginam stare *cum* vel *in auro Ophir*; â Nonnullis intelligitur de Vestibus corporis Reginæ; quæ aurea fila intertexta habent, & sic deauratæ sunt, *aurum habentes & aliud*, quare Vulgatus vertit *in vestitu deaurato*, *circumdata varietate*; aut quæ ex filis aureis

contextæ ſunt, & totæ de auro confectæ. Sed hic veſtitus corporis Sponſæ in ſequentibus *verſ.* 14, 15. deſcribitur. Quare ab Aliis *Aurum Ophir* refertur ad Cultum aureum, qui ſupra Veſtes ponitur. & conſtat ex *monilibus*, *annulis*, *armillis*, *Diademate*. Hoc poſtremum cæteris præſtat. Optimè *Theodotion*, ad rem ipſam ſignificatam reſpiciens, tranſtulit ἐν διαδήματι χρυσῷ ἐκ Σουφείρ. Quod ſecutus eſt *Hieronymus*, qui ex Hebræo vertit *in diademate aureo.* Certe cum Vates Ornamenta reliqui corporis Sponſæ diligenter commemoret *verſ.* 14, 15. *Ex fundis*, (ocellis, teſſellis) *auri Veſtimentum ejus. In acupictis* Veſtibus *ducetur ad Regem*: Præcipuum illud Capitis Regale ac Sponſale Ornamentum omittere non debebat. Cujus idcirco vel heic mentionem fecit, vel nullibi in toto hoc Epithalamio. Heic verò ad Illud reſpexiſſe videtur omnino; quia, cum loquatur ſimpliciter de *auro Ophir*, in quo ſtetit Regina ad dextram Regis Sponſi, tale aliquod inſigne & præcipuum Ornamentum intellexit, quod ex ſolido auro conſtabat, quale eſt Diadema & Corona Regia ac Sponſalis. *Seldenus* in *Uxore Hebraica Lib.* II. *Cap.* XV. *Sponſorum coronarum vetuſtiſſima eſt in Miſna mentio. . . . Sponſi corona erat ſive* aurea, *ſive argentea. . . . . Sponſæ erat corona* aurea *ſeu aurata . . . ſed hæc pro vario Sponſorum conditionis diſcrimine aliter atque aliter ſe habuiſſe neceſſum eſt. Coronæ hæ*, & Sponſorum & Sponſarum ſcilicet, *ſub Templi ſecundi excidium*, tempore Veſpaſiani & Titi, uti in *Miſna* narratur, *interdictæ ſunt*. Adducit præterea *Seldenus* ibidem pro Coronarum nuptialium uſu apud Hebræos, tum Locum *Cantic.* III. 11, tum Verſionem Græcam & Latinam, in quibus Verba illa Hebræa *Jeſ.* LXI. 10. כחתן יכהן פאר translata leguntur hunc in modum, ὡς Νυμφίῳ περιέθηκέ μοι Μίτραν, & *Quaſi Sponſum decoratum Coronâ.* Et ſicuti Reges geſtabant Coronas ex ſolido auro conſtantes, quod colligitur ex 2 *Sam.* XII. 30. 1 *Chron.* XX. 2. *Pſalm.* XXI. 4. ita & nuptiales coronæ, inprimis Regii Sponſi & Sponſæ, ſimili-

liter *Aureæ* fuerunt apud Veteres Orientales. *Cyaxares Medorum Rex filiam suam ad Cyrum Persarum Regem mittit cum* Aurea Corona, *armillis*, *torque & veste Medica pulcherrima. Et puella quidem coronat Cyrum*; Quod ex *Zonara* refert *Maderus* de *Coronis pag.* 31. Hujusque enim Coronæ Regiis personis impositæ *Nuptiales* & simul *Regiæ* erant. *Ex Zonara constat*, ait idem *Maderus p.* 45, *Imperatores nonnunquam eadem die & nuptiali & regia corona Uxores cinxisse. Theophilus Imperator Theodoram simul & nuptiali corona*, *& regio diademate ornat*, *nuptiasque celebrat.* Vide quoque *Selden. Ux. Hebr. Lib.* II. *C.* XXIV. *p.* 175. Eodem modo & hîc videt Propheta Regium Sponsum Reginæ capiti imponentem *Coronam* ex *auro Ophir*, quæ simul *Nuptialis* & *Regia* erat.

XXVII. Videamus nunc *Spiritualem Sensum* Emblemate hoc & Schemate corporali expressum. *Diadema* hoc *aureum*, quod Sponsa gestat, emblema est *Gloriæ* ac *Vitæ Cælestis*, æque ac *Corona aurea* capiti Regis Messiæ imposita *Psalm.* XXI. 4, quemadmodum & aliâs in Sacris haud semel *Corona* ejusdem *Gloriæ Cælestis* Symbolum est I *Cor.* IX. 25. 2 *Tim.* IV. 8. 1 *Pet.* V. 4. *Apoc.* II. 10. Et meritò heic comparatur eadem *Gloria* illa futura cum *Diademate Regio* & *Nuptiali* simul, ex *auro* purissimo solidissimo ac pretiosissimo constante. Sicuti enim in ejusmodi *Corona* est, summa felicitas, desideriorum humanorum expletio, signum imperii, gloria ac splendor, raritas, acquisitio molesta quandoque, puritas denique ac soliditas magna. Ita etiam in Statu *Cælestis Vitæ* est: Summa Felicitas, & desideriorum omnium Expletio *Psalm.* XVI. 11. XXXI. 20: Amplissimum, sed â Deo Summo dependens, Imperium in omnia *Rom.* VIII. 17. *Apoc.* XXII. 5. 7. *Psalm.* XLIX. 15: Summa Gloria, cum animæ perfectè illuminatæ & sanctificatæ; tum corporis immortalis *Rom.* II. 10. V. 2. VIII. 18. 21. 30. IX. 23. 1 *Cor.* XV. 40. 43. 2 *Cor.* IV. 17. 2 *Thess.* II. 14. 2 *Tim.* II. 10. *Heb.* II. 10. 1 *Pet.* V. 4: Singularis Raritas; non enim ubique & apud omnes hoc Spirituale aurum *Ophir* re-

reperitur, dum multi sunt vocati sed pauci electi *Matth.* xx. 16: Maxima Puritas *Psalm.* xvii. 15, est enim Corona Justitiæ 2 *Tim.* iv. 8: Æterna Constantia *Prov.* viii. 21. *Luc.* xvi. 9. 2 *Cor.* iv. 17, 18. v. 1. 2 *Tim.* ii. 10. 1 *Pet.* i. 4. v. 4. 10: Et tandem Acquisitio hujus *Gloriæ* ac *Coronæ vitæ* Molesta & Laboriosa fuit Sponso & Sponsori nostro; acquisivit Ille & formavit hoc *Diadema* Labore animæ suæ ingenti *Jes.* liii. 10, 11; descendit ipse in Infernum ut *Aurum* hoc pro nobis effoderet *Heb.* ii. 10. v. 8. 1 *Pet.* i. 18, 19. Quando porro Sponsa hoc Diademate aureo ornata heic sistitur *Stans* ad *Dextram* Regis, denotatur: quòd, Fide recipiens Sponsum, dextramque Ejus tenens, *habeat jam Vitam* & *Gloriam æternam*, ut dicitur *Joh.* iii. 36. *Qui credit in filium*, habet vitam æternam. Et revera militans hactenus in terris Ecclesia jam *est in Cælis Ephes.* ii. 6. *Tum* propter Jus irrevocabile, quod in foro cæli accipit eo momento quo credit, & Fiduciali amplexu Sponsum recipit *Joh.* i. 12, 13. iii. 36. *Rom.* v. 1. *Gal.* ii. 16: *Tum* per Spem vivam ac fundatam *Rom.* v. 1, 2, 3, 4. viii. 24: *Tum* in Initiis Cognitionis, Sanctitatis ac Gaudii cælestis *Joh.* iv. 14. xvii. 3. *Act.* xv. 9, *Rom.* viii. 23. 1 *Cor.* vi. 11. 1 *Pet.* i. 8. *Jes.* lxi. 10: *Tum* denique per Certitudinem subjectivam de possessione ejus Gloriæ plenissimâ futurâ *Job.* xix. 25, 26, 27. *Psalm.* xxiii. 1, 2, 3. 2 *Tim.* i. 12. iv. 5, 8.

XXVIII. Videmus in hujus Emblematici Vaticinii *Parte Priori*, Filiæ Regum inter Honoratas, Pretiosas, Charas Tuas, Conditionem Ecclesiæ Novi Testamenti depictam. Plures quidem in eâ Pauperes, Viles, Infirmi, sed & *inter* veros Fideles Aliqui Nobiles, Potentes, Divites, Principes, Reges. *Impleta* est hæc Prophetia in *Initiis* Novi Testamenti, in Eunucho dynastâ *Act.* viii. 27. 37, Cornelio centurione *Act.* x. 1. Sergio Paullo Proconsule *Act.* xiii. 7. 12, Dionysio Areopagita *Act.* xvii. 34. Erasto procuratore Urbis *Rom.* xvi. 23, in Sanctis denique qui

qui erant ex Cæsaris domo *Phil.* IV. 22; ne dicam nunc de Mulieribus quæ τ̃ εὐσχημόνων *Honoratarum* titulo condecorantur *Act.* XVII. 12, & de *Præstantissimo* Theophilo *Luc.* I. 3. Aliique qui cum Josepho & Nicodemo Exaltato Jesu non minus quam extremè Exinanito nomen dederunt suum. Impleta est magis in *Progressu temporis*, non solùm quum Imperatores Romæ Gentilis Christianismum susceperunt, sed & antea juxta *Tertullianum* in Apologetico, *Cap.* XXXVII *Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias*, PALATIUM, SENATUM, FORUM. Et quamvis hodie Ecclesia Orientalis ingemiscat sub Tyrannide Muhammedanorum, & in Occidente plurimi Reges ac Principes Bestiam sequantur; Aliqui tamen, per Dei gratiam, Reges Principes ac Nobiles Agnum adhuc sequuntur, nec desunt Fœminæ Principes & Honoratæ, quæ sunt veræ Filiæ ac Nutrices Ecclesiæ. Adeo ut scandalum illud Judæorum, *Num* quis *ex Primoribus credidit in eum. Joh.* VII. 48. ablatum sit, & exprobratio Romæ Papalis, jactantis Splendorem suum externum, concidat. Sufficit enim si Aliqui Magnates Agno adhæreant, quia inter pretiosas & charas Messiæ Regis tantùm aliquæ *Regum Filiæ*, & pauciores quidem, futuræ erant. Plures tamen inter illas numerabuntur quando plenitudo Gentium introibit & totus Israel salvabitur. Tunc enim in summo gradu implebuntur Vaticinia illa, quæ de *omnibus* terræ *Regibus*, successive tandem Christo subjiciendis, loquuntur. *Psalm.* LXXII. 11. &c. Quemadmodum hoc excitare debet Principes Nobiles & Potentes omnes, ut Filium Dei cum omni Gratia Ejus oblatum in Euangelio osculentur *Psalm.* II. 11, 12: Et quemadmodum omnes, supra reliquos mortales sapientiâ, divitiis, honoribus, muneribus evectos, quibus *datum* est in *Christum credere*, decet, ut plus gaudeant in Domino, quàm de ullo honore aut potentiâ mundana; & ut plus Sapientiæ & Gloriæ collocent in Fide Euangelii, & Communione

ne Christi, & obsequiosa Imitatione Ejus, quàm in omni Sapientiâ & Gloriâ hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, & mera Vanitas; & denique ut omnia sua Bona & Dona conferant ad gloriam Regis Messiæ, & ad Ecclesiam Ejus, cujus membra sunt, ornandam, juvandam, protegendam, absque ullo superbo contemtu pauperum ac vilioris sortis hominum, qui ejusdem pretiosæ fidei cum ipsis consortes sunt. Ita etiam hi Pauperes & Ignobiles, fide in Christum præ reliquis donati, debent; Gaudere de sorte suâ, quòd plures Deus ex illis, quàm ex Sapientibus & Potentibus hujus mundi elegerit; & Admirari gratissimis & humillimis animis liberrimam Dei erga se gratiam, qui ipsos, non propter paupertatem, sed ex mero beneplacito vasa misericordiæ & gloriæ esse voluit; & Contenti esse sua sorte mundana, etsi sit valde exigua, nunquam invidentes Mundanis fortunas suas atque honores, quia iis omnibus per communionem gratiæ Christi & spem gloriæ cælestis, quæ non pudefiet, infinitò sunt feliciores. Dominus enim eos omnes & singulos credentes, sive Divites sive Pauperes, cognoscit, & diligit ut pupillam oculi sui, conservabit in gratiâ, *pretiosa* erit *mors* eorum in oculis ejus, *pretiosissimas* animas eorum transportari curabit in sinum Abrahæ, stabit super pulverem eorum, ad resuscitandum illum, & collocabit eos, suos cohæredes, in Throno Gloriæ suæ, ut vivant læti & gloriosi, ac impiis dominentur in æternum.

XXIX. Discimus ex *Posteriori* hujus illustris Oraculi *Parte:* STAT REGINA AD DEXTERAM TUAM IN AURO OPHIR: *Tum Unitatem* Ecclesiæ, quot enim Animæ æternæ quæ fide Eum recipiunt, tot sunt *Pretiosæ* & *Charæ* Ejus, & hæ tamen omnes *Unam* modò Reginam constituunt; Una est Ecclesia, extra quam nulla salus; Una est Fides quoque, neutiquam in omni Religione est salus; in regno cælorum nullum Discrimen Judæi & Gentilis, domini & servi, maris ac fœminæ *Gal.* III. 27: *Tum Dignitatem* Ecclesiæ omnium

niumque ac singulorum fidelium; sunt Sancti & Gloriosi terræ *Psalm.* XVI. 3, Reges & Sacerdotes Deo *Apoc.* I. 6. *Regina* summi Regis cæli & terræ: *Tum Felicitatem* Ecclesiæ; est *coronata aureo diademate*, jus habet cælestis Gloriæ & ad Omnia quæ Christi sunt irrevocabile *Joh.* III. 36. 1 *Cor.* III. 21. 22, *Ephes.* II. 6. & delicias Aulæ cælestis, ac inenarrabile gaudium æternum jam prægustat *Rom.* VIII. 23. 1 *Pet.* I. 8. *Tum* tandem *Justificari* peccatorem coram Deo *solâ Fide*, quâ dextram dat Sponso ac Sponsori, ejusque dextram tenet, & quâ solâ connubium stabile cum ipso contrahens, justitia vicaria Ejus imputatur illi ut sua, & jus accipit ad omnia ejus Bona; unde *stans* ad *dextram* Regis *Diademate aureo coronata* conspicitur *Regina*; Bona Opera postea *vers.* 11, 12 imponuntur Justificatæ, ut in quibus non est Caussa regnandi, sed Via tantùm ad Regnum gloriæ. Omnes ergo externe Vocati, quibus Rex Messias Sponsor Fœderis cum Justitia vicariâ omnique Gratia Ejus quotidie offertur in Euangelio, quibusque Ipse dextram suam conjugalem blande porrigit, semet ipsos diligenter & seriò examinare debent, num huic *Reginæ* seu Ecclesiæ veræ, ut ejus membra genuina accenseri queant. Signa Fidei Justificantis ex insigni hoc Oraculo facile colligenda, sunt: *Totum* Velle Christum suum esse, non tantum ut Sacerdotem, sed etiam ut Regem: *Solum* Velle Christum, cum abnegatione justitiæ propriæ, omniumque Sanctorum, quæ nulla est: *Gaudere* in fide, & animosa in adversis fiducia *Stare* ad dextram Regis, eique Adhærere, etiam dum ducit per ignes & aquas: *Abnegare* voluntatem propriam, quandoque naturalem, semper pravam ac perversam, & Regis Voluntati arcanæ & revelatæ se patienter ac promptè subjicere. Si horum nihil in semetipsis deprehendant: hoc ipso momento, absque ulla dilatione Fide sincera Fœdus conjugale contrahant & Unicum Salvatorem invitantem ipsos adhuc amplectantur: & hunc in finem ardentissimis precibus petant a Deo Spiritum fidei; atque Verbum fidei

 fre-

frequenter legant, & audiant, ad cujus præsentiam eam dare solet & promisit Deus. Si vero horum aliquid in se inveniant: Gratias immortales agant Regi huic qui tantopere dilexit eos: *Stent* porro in fide animosi, læti, constantes: Jungant Fidei suæ amorem Domini sincerum, & obsequium universale promptum ac æternnum ei præstent: Gaudeant magis de Ejus Communione quam si totum mundum lucrati fuissent: Diligant & curent alii alios, ut membra Unius Corporis, gaudentes cum gaudentibus, & flentes cum flentibus, ubi enim unum membrum patitur, omnia patiuntur, sicuti & ipse Dominus cælestis patitur in nobis: Suscipiant Patrocinium Caussæ Ejus, qui ipsorum peccata in se suscepit, & eorum Caussam agit continue in cœlo ad dextram Patris sui, stentque pro Ipso feliciter per Ejus gratiam: Veneratione denique se dignos gerant, Dominium exercendo in carnem corruptam, & subjugando concupiscentias pravas, pie, juste & temperanter vivendo in hoc præsenti seculo: Desiderent tandem, & firma ac patienti spe expectent gloriæ Coronam, quam dabit ipsis Rex in die æternitatis. Quando collocabuntur ad dextram summi Judicis, & immittentur in plenissimam Hæreditatis cæli & terræ Possessionem, atque æternas Nuptias Agni celebrabunt.

F I N I S.

THE-

DISSERTATIO DECIMA

DE

FILIIS MESSIÆ PRO PATRIBUS EJUS FUTURIS

AD *Psalm.* XLV. 17.

I.

Nter alia præclara Messiæ Elogia, quibus apud Jesaiam Vatem *Cap.* IX. 6. insignitur, etiam est אבי עד *Pater æternitatis.* Ita vocatur juxta Aliquos Interpretes, quia est *Auctor* & Caussa *beatæ æternitatis*, quam pro suis Electis promeruit, illisque potenter ac fideliter applicat, *Hebr.* V. 9. *Joh.* X. 28, 29, 30; sicuti nomen *Pater* alibi pro Auctore & Caussa rei ponitur *Job.* XXXVIII. 28. Hoc sensu fortè Vulgatus transtulit, *Pater futuri seculi.* Alii verò ita appellari Christum censent, quia est *Pater æternus.* Quando *Duo* prædicantur hoc Elogio de Messia. Quorum *Primum* est, Messiam, Filium quidem Dei & hominis esse, sed simul *Patrem* liberorum, non quos carnaliter generat, sed spiritualiter regenerat ad vitam æternam *Psalm* CX. 3. *Alterum* est, Illum esse Patrem *Æternum: tum* quia ab initio mundi *Pater* fuit Electorum & Fidelium omnium *Jes.* LXIII. 15, 16. *Heb.* II. 10. sicuti עד de duratione anteriori sumitur *Job.* XX. 4: *tum* quia *Pater* futurus erat usque ad finem mundi, per omnia secula generaturus sibi, & Deo Patri suo, *Liberos*, *Jes.* LIII. 10. qui *imaginem*

ejus *gererent*, *non minus* certè quàm olim in *V. T. Fidelibus* visum fuerat.

II. Quod utrumque prædicitur de Messia in Textu & Contextu sequenti. In quo Ipsi ex Connubio hactenus celebrato spirituali promittuntur *Filii*; in omni terræ parte extituri *vers.* 17. ejusque nomen propagaturi per *omnes ætates vers.* 18; & qui futuri erant *loco Patrum* Messiæ, carnalium quidem, sed simul fidelium, qui quà tales simul relationem *Filiorum* ad Messiam Redemtorem suum habuerunt; quibusque *similes* forent in dignitate Filiationis spiritualis atque in Filiali Amore & Timore Christi *Patris Æterni*.

III. Sic transit Vates â *Sponsalibus*, *Nuptiisque* celebratis ac *Domiductione* Sponsæ ad Conjugii hujus spiritualis *Fecunditatem*, & *Liberorum* procreandorum *Felicitatem* deprædicandam. In quo Ordine optimè insistit naturæ Emblematis, â corporali Conjugio desumti, in quo fecunditas & liberorum progeneratio Domiductionem sponsæ & conjugii consummationem sequuntur. Neque mirum hoc cuiquam videri debet, quod Sponsa hæc spiritualis, post *Introductionem* Ejus in *cæleste Palatium* Regis, de quâ *vers.* 15, 16, proponatur nunc ut pariens Marito *Filios* multos. Nam; quamvis *consummata* totius Ecclesiæ Introductio Visibilis in cæleste Palatium Regis; quæ erit in die ultimo, quando non amplius pariet filios, etiam connotata fuerit â Vate *vers.* 15, 16; *inchoata* tamen & *successiva* in singulis fidelibus, quoad animas in morte transferendis, *Introductio*, in proximè antecedenti *versu* 16. descripta fuerat. Atque adeo Pars Ecclesiæ Catholicæ, quæ modò fuit in terris, & nunc est in cælo triumphans, meritò ut fecunda Mater Ecclesiæ in terris successivè extituræ consideratur: juxta illud quod Paulus scripsit *Gal.* IV. 26. *Illa verò quæ sursum est Hierusalem*, *libera est: quæ est* MATER OMNIUM NOSTRUM: quoniam fideles illi, qui per Doctrinam, â Sanctis illis, dum viverent, prædicatam, & per Exempla illorum

lorum pia, ac præsertim per Martyrum constantiam, ad fidem perducti sunt, vel in ea confirmati, rectè pro illorum Liberis habentur: juxta illud Tertulliani in Apologetico, *Cap.* L. *Semen* (scilicet Ecclesiæ) *est sanguis Christianorum.*

IV. Verba Textûs nostri ita sonant in Hebræis fontibus, תחת אבתיך יהיו בניך תשיתמו לשרים בכל הארץ Quæ ita transtulerunt LXX. Ἀντὶ τῶν πατέρων σου ἐγεννήθησάν (Al: ἐγενήθησαν, Al: ἔσονται) σοι υἱοί, καταστήσεις αὐτοὺς ἄρχοντας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, & Vulgatus, *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.* In quibus Vates: Primò *Promittit* Regi Messiæ *Filios* ex hoc spirituali Connubio ipsi nascituros: Secundò eosdem *Comparat Patribus* Messiæ, dum dicit fore *loco Patrum Ejus*, & simul comparando *Extollit* quadantenus supra *Patres*, dum *constituendos* ait a Messia *Principes in tota terra*, vel *super omnem terram.*

V. *Promittit* Messiæ *Filios* יהיו בניך Erunt Filii tui, vel *Tibi*, nimirum per nativitatem; quare LXX, juxta Exemplar Vaticanum, habent ἐγεννήθησαν, & *Vulgatus*, *nati sunt.* Hic Sermo Vatis non dirigitur ad *Sponsam*, uti Veterum nonnulli ac Recentiorum volunt, quia dictum erat ei *vers.* 11. *Obliviscere domus Patris tui:* cujus ut levaretur luctus propter derelictos parentes aliquo solatio, numerosam ei nunc promitti & felicem sobolem existimant. Hi vero Ecclesiam *Apostolicam* seu primævam Christianam compellari credunt, cui *pro Patribus idololatris* Judæis (*Jerem.* XVI. 11, 12.) & *pro Platone, cæterisque diversorum dogmatum & errorum magistris*, derelinquendis, nascerentur *Filii*, futuri *in Populis Præceptores*, ut legitur apud *Hieronymum* in *Epistola* ad *Principiam.* Alii autem, cum *Eusebio*, ad Ecclesiam *Post-Apostolicam* verba hæc dirigi existimant, Cui *pro Patribus Apostolis* (coll. 1 *Cor.* IV. 15. *Gal.* IV. 19. 1 *Thess.* II. 11,) *qui ipsam genuerunt, nunc autem recesserunt à mundo*, promitterentur *Episcopi*, *Filii ab ipsâ creati*, qui *Patres ejus*

 fo-

forent, *quia ab ipsis regeretur*, uti legitur apud *Hieronymum* in *Commentario*. Quod ferè idem est cum eo quod in *Epistolâ* ad *Principiam* superioribus subjunxerat. *Vel certe aliter: O Ecclesia, filii tui quos genuisti tibi, vertentur in Patres tuos, cum de discipulis eos feceris magistros, & in sacerdotali gradu omnium testimonio collocaveris.* Ita etiam *Augustinus* in *Enarratione* in hunc *Psalmum*. *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis Filii nati sunt tibi, constitati sunt Episcopi.. . . . Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi crevit paternitas.* Hæc posterior Veterum sententia, quâ *Apostoli* statuuntur esse *Patres* heic nominati, perimit planè Argumentum illud pro *Alloquio* heic ad *Sponsam* directo, quod petitur ex eo quod Sponsam heic consoletur Vates adversus durum *oblivionis domûs Patris*, id est, Patrum seu majorum suorum, Jussum, ei *vers.* 11. datum; promittens ei copiam filiorum *loco patrum*, *quos reliquit*, & *quorum oblivisci jussa erat*. Quoniam Apostolorum memoria nunquam obliterari debet.

VI. Verùm Alloquium instituitur ad *Sponsum* Regem. Hic certè compellatur in posteriori Textûs membro, *Constitues eos principes super universam terram*, ergo etiam in hoc *priori*. Nullum enim signum mutatæ personæ compellatæ occurrit. Et continuatum alloquium ad Messiam in Versu sequenti hoc ipsum magis confirmat. Filii quoque â Patre magis quàm â Matre celebrari solent, uti bene observatum est a Vener. *Marckio*. Denique Affixa masculina in vocibus אבתיך & בניך omnem hac de re dubitationem tollere debent. Quorum punctorum vocalium auctoritatem omnem temerè profectò & audaciter rejecit *Bellarminus*, quando; (ut Patrum quorundam, Hebraica, excepto Hieronymo, non legentium, auctoritati consuleret, qui statuerunt, haud inspecto Textu Hebraico, Prophetam heic loqui ad *Sponsam*;) scripsit: *sed Patrum communis*

nis sententia præferenda est : neque repugnat huic sententiæ textus Hebraicus, si puncta removeantur , vel mutentur, ut periti facile intelligunt.

VII. Promittit igitur Regi Messiæ בנים, id est : Vel *Liberos* in genere & utriusque sexus, ut aliàs vox Hebræa Synecdochice sumitur *Gen.* III: 16. *Psalm.* CXXVII. 3: Vel potius *Filios*, prolem masculam, *coll. Exod.* III: 22, quia loco *Patrum* fore dicuntur, & constituendi לשרים in *principes.* Non jam intelligit *Filios*, per institutionem tales, seu Discipulos, quales Ipsi alibi ut Doctori tribuuntur nomine ילדים *Jes.* VIII. 18: *coll. vers.* 16, sed per *Generationem*, nam hîc consideratur ut Rex, Sponsus ac Maritus Ecclesiæ. Neque tamen per generationem *naturalem*, nam est Rex spiritualis, cælestis & æternus, sed *supranaturalem* seu *Regenerationem.* Cujus cum sint participes , non soli *Apostoli* Christi, sed omnes *Fideles*, malè hoc quidam ad solos Apostolos cum *Arnobio* apud Lorinum, *Chrysostomo* & *Theodoreto* referunt, rectius verò & *certius ad omnes Christi filios refertur, ne gloriam Filiorum Dei ad solos Apostolos referamus*, inquit *Musculus.* Hi omnes & singuli Fideles, considerati relatè ad Catholicam Ecclesiam, quæ *Regina* est, comparati sunt supra *vers.* 10. *Uxoribus secundariis*, quia unusquisque sua fide vivit, & Connubium cum Christo contrahit. Deinde quia singuli Ecclesiæ Catholicæ arctè adhærent, ejus virtutes imitantur, eique inserviunt, & gloriam ejus quærunt ac promovere student , collati sunt iidem supra *vers.* 16. cum *Virginibus* , quæ sponsæ pomposum comitatum constituunt. Nunc verò comparantur *Filiis* ex legitimo conjugio genitis.

VIII. Quandoque singuli Credentes referuntur ad Ecclesiam ut *Matrem Cant.* I: 6. III: 4. VIII: 1, 2. *Mich.* V: 2. *Gal.* IV: 26. hujusque Liberi ac *Filii* perhibentur *Psalm.* LXXXVII: 4, 5, 6. *Jes.* XLIX: 21, 22. LIV: 1, 2, 3. LXI: 9. LXVI: 7, 8. *Tum* quia interveniente Ecclesiæ Ministerio, per præconium Verbi, quod semen regenerationis est *Jac.* I: 18.

1: 18. 1 *Petr.* 1: 23. & per administrationem sacramentorum *Tit.* III: 5, & per fidei ac sanctitatis exempla, haud absque doloribus & laboribus multis *Jes.* LXVI. 8. *Joh.* XVI: 20—22. *Gal.* IV. 19, Christo Domino generati sunt: Tum etiam, quia lacte Ecclesiæ nutriuntur *Cant.* IV. 4. *Jes.* LXVI. 11. 1 *Pet.* II: 2, ejusque regimine diriguntur, & fideli curâ custodiuntur: Tum denique quia Ipsi Ecclesiam ut *Matrem* amant, venerantur, ejusque præceptis se subjiciunt *Hebr.* XIII. 17. ei condolent, *Rom.* XII. 15. 1 *Cor.* XII. 26. ac salutem ac pacem ejus ardentissimis precibus quærunt *Psalm* CXXII. 6—9.

IX. Sed alibi referuntur ad Christum ut *Patrem*, quemadmodum & vulgò *Filii*, inprimis Regii, ad Patres magis referri solent quàm ad Matres, *Psalm* XXII. 31, CX. 3. *Jes.* XLIII. 6, 7. LIII. 10. Quod & fit in nostro Textu, & quidem summo jure. Nam quamvis in Medio Ecclesiæ, & hac interveniente per Verbum 1 *Cor.* IV: 15. *Gal.* IV: 19, & per fidei ac pietatis & constantiæ in Martyrio exempla, regenerentur Electi; hic tamen regenerationis effectus non dependet ab Ecclesiâ, sed à Christi merito *Jes.* LIII: 10. 1 *Cor.* IV: 15, & Virtute Spiritus Ejus invincibili *Jes.* XLIII: 21. LXVI. 7, 8, 9. *Joh.* I: 12, 13. *Joh.* III: 5. Deinde quamvis Pia Mater Ecclesia nutriat, dirigat, foveat, & curet singulos, maximè quæ *Repræsentativa* dicitur, in Doctoribus & Pastoribus fidelibus existens 1 *Thess.* II: 11; quod tamen Vita spiritualis fidei & sanctitatis in iis conservetur & augeatur dependet à Christi Merito Intercessione ac Potentiâ *Luc.* XXII: 32. *Joh.* X. 28, 29, 30. Quare majori cum emphasi & summo jure omnes & singuli credentes dicuntur Filii Christi.

X. Est itaque quasi dicat Vates. O Christe Sponse & Rex Potentissime! Habebis Tu *Filios spirituales*; per *Quos* Nomen tuum propagabitur in Mundo usque ad finem seculorum, sicuti nomen Patrum per *Filios*, non ita per *filias*, propagari solet, *coll. vers.* 18. *seq.* & *Psalm* LXXII: 17: *Quos*

Quos præterea Merito & Virtute tua generabis, & per interveniens ſponſæ Eccleſiæ Miniſterium tuâ Omnipotentiâ creabis *Pſalm* CII. 19: *Qui* porro *Imaginem Tuam* gerent; per Filiationem Divinam metaphoricam Tibi, O Fili Dei proprie & Unigenite, ſimiles quadantenus futuri *Rom.* VIII: 29; ac per Dona cognitionis eximiæ ac ſanctitatis ſinceræ *Divinæ Naturæ*, id eſt Naturæ finitæ quidem, ſed divinis dotibus præditæ, *Participes* extituri 2 *Pet.* I: 4; atque Tuam Patientiam, Humilitatem & Conſtantiam in obedientiâ Deo Patri præſtitâ, è longinquo imitaturi *Matth.* XI: 29. *Heb.* XII. 1, 2. 1 *Pet.* II: 21. 1 *Joh.* III: 3: *Quos* amplius Tu diliges præ omnibus hominibus *Pſalm.* CIII: 13. *Prov.* VIII: 17. *Joh.* XV: 9, etiam dum caſtigabis eos *Heb.* XII: 6. *Apoc.* III: 19; & ales atque curabis fideliter, proſpiciendo ipſis de omnibus neceſſariis ad hanc & ad alteram Vitam *Pſalm* XXIII: 1, 2, 3. XXXIV: 9, 10. *Jeſ.* XL: 11: *Qui* denique erunt Hæredes Tui ac regni Tui *Luc.* XXII: 29. *Rom.* VIII: 17. *Apoc.* XXI: 7: Et tandem *Qui* Te ut *Patrem* honorabunt *verſ.* 18, coll. *Malach.* I: 6, Tibi obedient *Gen.* XLIX: 10, Tuisque Paternis caſtigationibus ſeſe ſubjicient *Heb.* XII: 5.

XI. Hoc eſt illud quod ſæpe à Prophetis prædictum eſt, uti ex Oraculis Propheticis bene multis modò laudatis apparet. Quod conſequenter heic non ſimpliciter, more Poëtarum, mero humano Voto apprecatur Meſſiæ Vates; ſed ut certiſſimè futurum prædicit hoc de Divino hoc Rege, cujus Divinam Omnipotentiam *verſ.* 7, 8; & Obedientiæ Vicariæ ac Sponſionis voluntariæ infinitum meritum celebraverat *verſ.* 3: 8. Unde ſequitur de *Salomone*, ne quidem ut typo, hoc dici, boni ominis cauſſa, quia non reſpondit eventus, quippe non legitur Filia Pharaonis ei peperiſſe Filios.

XII. Verùm non ſimpliciter promittit ac prædicit Propheta Conjugii hujus myſtici *Fecunditatem*, ſed etiam *Conditionem* Filiorum Meſſiæ *Præſtantiſſimam* ſimul ac *Glorioſiſſimam* depingit: dum *Generalius* eos *Comparat Patribus*

O o Meſſiæ,

Messiæ, & *Specialius*, comparando eos *Patribus*, simul Extollit supra *Illos*. Primò *Generalius Comparat*, dum dicit תחת אבתיך Pro Patribus tuis, vel Loco Patrum tuorum. Ubi per *Patres* Messiæ intelliguntur: I. Non *Judæi* promiscuè, & quidem *Increduli*, qui Christum Sponsorem & Filium Dei rejicerent, & quos Sponsa deserere debebat *vers.* 11. quorumque *Loco* susciperet Messias alios ex Gentibus {Filios in se credituros plurimos, qui damnum, per amissos istos Patres & ab Ecclesiâ desertos, illatum quasi Christo, abundè compensarent. Nam quamvis תחת nonnunquam *compensationem damni* notet, ut *Gen.* IV. 25, *nam reposuit mihi Deus semen alterum* תחת הבל pro Hebelo, *quum ipsum interfecit Kajin*; non tamen semper. Deinde non apparet ratio, ob quam Judæi promiscuè, & nominatim *Increduli*, qui Christum Filium Dei rejicerent, dicerentur *Patres Ejus:* II. Neque *Soli Mystici Patres* Messiæ, qui Ipsi olim *dederunt esse notum* per Vaticinia & Scripta sua, uti fuerunt omnes *Prophetæ*, qui Ei *Testimonium dederunt Act.* x. 43, & suo Ministerio interveniente Ipsum in cordibus Electorum *genuerunt*, simili modo ac postea Apostoli post Adventum Ejus 1 *Cor.* IV. 15. *Gal.* IV. 19: III. Sed primò & directè *Patres* Ejus *carnales*, ex quibus natus est secundum carnem, inter quos fuère nonnulli *Mystici* quoque Patres Ejus, qui Illi ita dederunt esse juxta carnem, ut simul dederint {Ei esse notum in eminentia Personæ & Muneris. De quibus agitur *Psalm.* XXII. 5, *Rom.* IX. 5, 6, *quorum* sunt *Patres*, *& ex quibus* est *Christus quod ad carnem attinet.* Et quorum Catalogum contexuerunt Matthæus, *Cap.* I. & Lucas in Euangelio, *Cap.* III. Quorumque, utpote *Regum*, & *Prophetarum* ac *Sanctissimorum* Hominum, Commemoratio gloriosa erat Messiæ ut *Filio hominis*, quia foret Filius *Davidis*, & *Abrahami Isaaci* ac *Jacobi*, qui per excellentiam *Patres* dicuntur *Exod.* III. 15. *Deut.* IV. 31. *Joh.* VII. 22. *Rom.* XI. 28, quibusque peculiariter *Promissus* est Messias ut *Filius eorum Matth.* XXII. 42. *Rom.* I. 2, 3. Quare Mat-

Matthæus Euangelium suum ita exorsus est, *Liber Generationis Jesu Christi*, FILII DAVIDIS, FILII ABRAHAMI.

XIII. Horum *Loco* dicit porro Propheta futuros Messiæ Filios. Nonnulli vertunt תחת *Propter* Patres tuos. Ita sumitur תחת *Tsephanj*. II. 10. *Hoc erit* eis תחת גאונם propter *fastum eorum*. Quando sensus esset: Erunt Tibi Filii *propter* Patres tuos; id est; non propter Merita eorum, quæ nulla fuerunt, dum ipsi propter Meritum Tuum, O Messia! ac Justitiam â Te adducendam, & fide ab illis apprehensam, Deo placuerunt *Heb*. XI. 5, 6; sed *propter Fœdus* gratiæ cum illis erectum, & *Promissiones* illis datas *de Te* ex ipsis nasciturо, atque de *Fide Gentium* omnium *in Te* futurâ *Gen*. XII. 3. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. *Act*. III. 25. *Gal*. III. 8. *Quum prævidisset autem Scriptura Deum ex fide Justificaturum Gentes*. id *ante Euangelizavit Abrahamo*; *Benedicentur in te omnes Gentes*. Sicuti eodem sensu Judæi, rejecti hodie, appellantur â Paulo *dilecti* propter *Patres Rom*. XI. 28, id est, *propter Promissa* Patribus facta, a Deo olim *amore* rursus prosequendi ac convertendi ante finem Seculi, *coll*. *vers*. 25, 26, 27. & *Mich*. VII. 19, 20.

XIV. Sed Alii rectius vertunt *Pro* patribus tuis, vel cum *Belgis* nostris, *Loco* Patrum tuorum; per modum scilicet *Substitutionis* in eundem Usum tuum, ad idem Opus circa Te peragendum, ad eandem Dignitatem, & denique ad Consecutionem earundem Benedictionum â Te. Sic sumitur תחת *Esther*. II. 17. *Levit*. XVI. 32. 2 *Chron*. VI. 10, *Surrexi enim* תחת loco *Davidis Patris mei*. Cum quâ interpretatione convenit quoad sensum, si תחת habeamus pro particulâ *similitudinis*, ut sumitur *Gen*. XXX. 2. *an* תחת loco *Dei* sum *Ego*? id est Deo similis in Virtute & Potentiâ? Et hoc sensu debere intelligi hanc particulam omnino existimamus, ut hic sit Dicti hujus sensus; SICUTI fuerunt Patres Tui, *Sic* erunt Filii tui, illis SIMILES futuri: nempe in hisce sequentibus rebus.

 XV. *Pri-*

XV. *Primò* in *Productione & Manifestatione Tui.* Sicuti *Patres tui* carnales Tibi dederunt *Esse* quoad *Carnem*, & quidam ex illis Tibi dederunt *Esse notum*, per Vaticinia sua ut David: Sic hi *Filii Tui* dabunt Tibi *Esse Notum*. Omnes quidem Nomen tuum propagabunt *Psalm.* LXXII. 17. & Te palam Confitebuntur, memoresque erunt Nominis tui. *Vers.* 18. Nonnulli verò ex iis Te publicè in Conventibus fidelium prædicabunt], atque ex Mose & Prophetis Te Messiam promissum demonstrabunt cum Apollo *Act.* XVIII. 28 & cum Paulo *Act.* IX. 15. 22. Quo pacto Tibi quidem liberos generabunt 1 *Cor.* IV. 15, sed & simul efficient ut Tu *formeris* in iis, juxta illud Pauli ad *Galat.* IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, usque* quo μορφωθῇ FORMETUR *Christus in Vobis*: id est ut in propria formâ suâ, quæ Ipsi ut CHRISTO dat *Esse* suum, in Vobis per Cognitionem & Fidem veram *producatur.* Ad quam *Formam Christi* (ut hoc in transitu ad locum paullò difficiliorem moneam) pertinet: *Tum Munus* Mediatoris triplex, præcipuè *Sacerdotale*, quo Remissionem peccatorum non solum Obedientiâ passivâ, sed etiam Vitam æternam Obedientiâ Vicariâ Activâ promeruit, hujusque Causa est unica ac consummata: *Tum Corpus* esse omnium *Umbrarum* Leviticarum, eisque finem imponere *Dan.* IX. 24, 25, 26, 27 *Coloss.* II. 17. Quam *Formam suam* Christus in animis Galatarum non amplius *perfectam* habebat, quia *Spiritu*, seu *Fide*, Spiritus Effectu primario, *inceperant* salutis procurandæ studium ad Remissionem peccatorum obtinendam propter Christi passiones, sed *Carne*, seu Operibus legis, quæ *Carnis* instar *infirma* erant, & peccatorem *Vivificare* haud valebant, *perfici* studebant ad consequendum Jus Vitæ æternæ ex iis Operibus legis, etiam Ceremonialibus nonnullis, *observantes* cum in finem *dies, & menses*, & *præstituta tempora & annos. Gal.* III. 3 IV 9. 10.

XVI. *Secundò*, in *Desiderio Adventûs tui.* Sicuti Pii & Fideles *Patres tui*, de quibus *Psalm.* XXII. 5, 6 vehementer desiderarunt Adventum tuum Primum in Carne humilem, ad

ad expiandum Peccatum & Justitiam Seculorum adducendam, & salutem æternam promerendam, cum Abrahamo *Joh.* VIII. 56. Jacobo *Gen.* XLIX. 18, & Credentibus omnibus ex Israële *Psalm.* CXXX. 4. *Matth.* XIII. 16, 17: Ita hi *Filii tui* desiderabunt Adventum tuum secundum Gloriosum ad salutis promeritæ plenam & consummatam Applicationem; *Exspectantes beatam illam spem, & illustrem illum Adventum Gloriæ magni illius Dei ac servatoris nostri Jesu Christi Tit.* II. 13. *Phil.* III. 20, 21. *Apoc.* XXII. 20.

XVII. *Tertiò*, in *Donis Eminentioris Cognitionis*, *Fidei* ac *Sanctitatis Veræ.* Sicuti inter *Patres tuos* fuerunt Prophetæ *Gen.* XX. 7. *Psalm.* CV. 15. *Act.* II. 30, Cognitione rerum Divinarum præ aliis fidelibus eximiâ imbuti, magnâ in Te Fide & Spe cum *Patre credentium Rom.* IV. 11. præditi, Sanctitate quoque & Cælestium Studio Insignes, *Heb.* XI. 8-12. *Jacob.* II. 21—23. Ita etiam *Filii hi tui* aliis Fidelibus V. T. in Cognitione Mysteriorum fidei ac verè Propheticâ excellent *Jes.* XI. 9. LIV. 13. *Jerem.* XXXI. 34. *Joël.* II. 28, 29, imo hos ipsos *Patres* tuos superabunt, æque ac Johannem Baptistam *Matth.* XI. 11: Eruntque genuini Filii Abrahami Patris Credentium, *Rom.* IV. 11. 12-19. *Gal.* III. 7, & Davidi Patri tuo similes *Zach.* XII. 8. in Fide mundum Vincente 1 *Joh.* V. 4, Spe roboratâ *Rom.* V. 3, 4, 5. 1 *Thess.* I. 2, 3, Sanctitate splendidâ *Zach.* XIV. 20. rerum denique terrenarum Abnegatione, ac cælestium Studio 2 *Cor.* IV. 18. *Phil.* III. 20. *Coloss.* III. 1. 2. *Matth.* XVI. 24.

XVIII. *Quartò*, in *Benedictione.* Sicuti *Patres* tui, inprimis Abraham Isaac Jacob David fuere *Benedicti* a Deo, corporaliter & magis spiritualiter *Gen.* XII. 2. XXI. 22. XXII. 17. XXVI. 12. 13. 16. 28. *Heb.* XI. 16. sic & hi Filii tui *Benedicentur* a Deo. Nonnulli corporalibus quoque hujus Vitæ bonis juxta promissum conditionatum 1 *Tim.* IV. 8; Omnes verò spiritualibus & cælestibus Benedictionibus in Tui communione fruentur *Ephes.* I. 3, cum fideli illo Abrahamo *Gal.* III. 9, juxta Oracula prisca *Gen.* XVIII. 18. XXII. 18.

18. postea repetita sæpius *Psalm.* LXXII. 17. *Jes.* LXI. 9, & sic per eandem Patriarcharum illorum in Te fidem, & per eorundem Beneficiorum Gratiæ ac Gloriæ Communionem, *accumbent cum Abrahamo Isaaco & Jacobo in regno cælorum Matth.* VIII. 11.

XIX. *Quintò*, in *Numerosâ Prole*. Sicuti *Patriarchæ* illi aliique *Patres* tui carnales numerosâ prole beati, & Patres multarum gentium fuere *Gen.* XII. 2. XV. 5. XVII. 4. XII. 17. XXVI. 4. 24. XXVIII. 14. Ita etiam hi *Filii* tui Semine, non carnali, sed spirituali quàm plurimo gaudebunt. Inprimis in Initio Regni tui in Gentes, quando *cantabit Sterilis* credentium ex Israële Ecclesia, ut *Mater* filiorum *multorum*, atque *dextrorsum & sinistrorsum prorumpet*, *& Gentes hæreditario jure possidebit Jes.* LIV. 1, 2, 3. Et deinde iterum in Fine N. T. *Jes.* LXVI. 19, 20. quando *Plenitudo Gentium intrabit*, *& totus Israël servabitur Rom.* XI. 25, 26.

XX. *Sextò*, in *Successione Longa* per multa secula. Quemadmodum *Patres* longâ successione per quatuor fere millennia inde a creatione Mundi habuisti: Ita & *Filios* habebis spirituales, non per unum, sed per plura secula, imo forte millennia successive Tibi natos, usque ad finem Mundi. Secundum â Christo nato Millennium jam labitur, & ad finem vergit. An consummabitur, an Tertium sequetur, imo & Quartum, incertum est, & hactenus inter Arcana Dei reservatum, quæ temere involare, aut curiosè nimis rimari, nobis religio est. Quod interim, non æqualis, sed aliqua proportio sit futura in duratione Mundi & Ecclesiæ ante & post Christum, haud improbabile videtur ex eo quod Scriptura omne Tempus Mundi & Ecclesiæ militantis in Duo Magna Tempora dispertiat, nempe in Tempus PRIMUM ante Christum, & ULTIMUM post Christum *Jes.* VIII. 23; Quod *Secundum* Mundi Tempus, absque ullo tempore intermedio cum *Primo* connexum, ULTIMUM vocatur; ut & alibi *Fines Seculorum* 1 *Cor.* X. 11, *Ultimi dies Heb.* I. 1, & *Ultima hora* 1 *Joh.* II. 18; quia in dura-

ratione cum *Primo* tempore aliquam ſaltem proportionem habebit, & quia poſt hoc tempus *Secundum*, non dabitur aliud *Tertium* in terris, quare etiam *Plenitudo temporis Gal.* IV. 4. vocatur, cui nihil ex Decreto Divino addi poteſt vel debet Vide, ſi placet, quæ hac de re notavimus ad *Orationem* noſtram *de Admiranda Gentis Judæorum Conſervatione.*

XXI. *Septimò* tandem in *Conditione Externa.* Sicuti *Patres* tui variæ ſortis in mundo ac conditionis Homines fuerunt, partim Reges ac Principes, cum *Davide*, partim vero Plebeji cum *Iſai coll. Jeſ.* XI. 1, quemadmodum ex Genealogia Chriſti apud Lucam in Euangelio facile colligitur: Ita etiam hi *Filii* tui erunt plures quidem ex vili plebe 1 *Cor.* I. 26, 27, quidam tamen inter eos Nobiles Divites Potentes Principes ac Reges terræ. Quod etiam alibi prædictum eſſe à Prophetis, nempe *Pſalm.* XLVII. 10. LXXII. 10, 11. *Jeſ.* XLIX. 23. *&c.* obſervavimus in *Diſſert.* præcedente ad *Verſ.* 10. hujus Pſalmi. Interim, quamvis quoad externam Conditionem etiam viles & plebeji homines plures inter hos Filios Meſſiæ locum habituri eſſent; Omnes tamen futuri erant *Principes* ſpirituales *in* & *ſuper tota Terra.*

XXII. Sic *Specialius* nunc porro *Filios Patribus* Meſſiæ *Comparat*, & ſimul comparando quadantenus *Extollit* ſupra Illos; Dum ait תשיתימו לשרים בכל הארץ CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM. Non opus eſt ut moneam iterum hoc quoque de *Salomone* intelligi non poſſe, ne quidem ſi *Terra* de *Solâ* Cananæâ capiatur, quoniam Rehabeami regnum laceratum eſt, & *Filii* Salomonis *partem* modò *Terræ* illius imperio ſuo ſubjectam tenuerunt. De ſolo igitur Meſſia agitur in hoc Epithalamio. Duo prædicit Vates de *Filiis* Chriſti in Verbis noſtris: I. Futuros *Principes in tota terra*, vel *ſuper totam terram*: II. *Ponendos* vel *Conſtituendos* tales *à Meſſia* Patre. I. Si vertamus Verba illa בכל הארץ *in tota terra*, Belgice OP *de geheele aerde*, vel *per totam terram*, Belgicè DOOR *de geheele aerde*, indicantur *Eminentia*, & *Dig-*

Dignitas Filiorum Messiæ, in quibus *Similes* essent Patribus, & simul Illorum *Extensio* per totam terram, in quâ *Præcellentiores* essent Patribus. Nempe futuri erant hi *Filii* Messiæ PRÆSTANTISSIMI Mortalium omnium *in tota terra*. Principes *Præstantiam* habent. Mercatores Tyri, quia aliis præstabant divitiis ac potentiâ mundanâ, dicuntur שרים *Principes Jes.* XXIII. 8. Quam tamen ob *mundanam* Præstantiam *Filii* Messiæ non dicuntur *Principes*, quamvis & illa in nonnullis ex iis locum habitura erat, *coll. vers.* 13; sed ob *Spiritualem*. Cujus respectu Abraham potissimùm dicitur fuisse inter Cananæos נשיא אלהים *Princeps Dei Gen.* XXIII. 6, nempè non modò propter opum vim, sed magis quia *Propheta* & *Vir Sanctus* erat atque *Amicus Dei*. Quemadmodum & Jacob Patriarcha verè *Israël* dictus est, quia se *Principem gessit* cum Domino, & fide & ardentibus precibus prævaluit *Gen.* XXXII. 28. *Hos.* XII. 4. Ad horum Patriarcharum sanctorum similitudinem forent Messiæ Filii *Principes*, id est *Præstantiores* reliquis omnibus Hominibus; *tum* Donis Spiritus Sancti eximiis *Joël.* II. 28, 29; *tum* Divitiis Incorruptibilibus *Jac.* II. 5; *tum* Operibus Bonis ac Hominibus utilibus *Prov.* XII. 26. *Psalm.* XVI. 3; *tum* denique Natalium cælestium splendore *Joh.* I. 12, 13. 1 *Joh.* III. 1. Deinde futuri erant hi Filii Messiæ IMPERATORES; non *Politici* & Mundani, quales tamen forent quoque inter Filios hosce Messiæ *Psalm.* LXXII. 9, 10, 11, sed non vi Filiationis suæ, vel quà *Filii* Christi, nam Regnum ejus non est de hoc mundo *Joh.* XVIII. 36; verùm *Spirituales*, qui dominarentur pravis affectibus suis, carnem subigerent 1 *Cor.* IX. 27, mundum irridentem ac illudentem, persequentem, allicientem ad peccata, & seducentem ad incredulitatem ac securitatem carnalem vincerent 1 *Joh.* V. 4, & Satanam sub pedibus contererent *Rom.* XVI. 20. Quo sensu *Reges* in sacris dicuntur 1 *Pet.* II. 9. *Apoc.* I. 5, 6. V. 10, Denique futuri erant hi Mortalium *Præstantissimi*, & Spirituales *Reges*, non in *uno Terræ Angulo*, in

in quo Patres Messiæ habitarunt olim, sed in UNIVERSITATE TERRÆ, usque ad *Fines ejus habitaturi*, magno numero, juxta Prophetias alias bene multas *Psalm.* II. 8. VIII. 10. XXII. 28. LXXII. 8. 19. XCVIII. 3, 4. *Jes.* XI. 9. XLV. 22. LIV. 5. *Mich.* V. 3. *Zach.* XIV. 9. *Malach.* I. 11.

XXIII. Sed fortè rectius vertuntur hæc Verba *Super tota terra* vel *totam terram*, ita ut *Objectum* Dominii ac Imperii notetur, non *Locus* habitationis modò. Quando *tota terra* non est sola & integra Cananæa cum habitatoribus ejus, 2 *Sam.* XIV. 25, sed totus terrarum Orbis habitabilis; uti ex allatis modò Vaticiniis de Messiâ liquet. Quo sensu heic promittitur Ecclesiæ Christi, non Imperium absolutissimum in spiritualia ac temporalia, & in Regna & Reges hujus Mundi; quod contra naturam Regni Christi est, qui Reges convertit quidem ad se, sed Thronos eorum non evertit, & vult ut Ecclesia sit in temporalibus subjecta Regibus & Magistratibus ut â Deo ordinatis *Rom.* XIII. 1—7. Sed prædicit Vates, א *Filios* Messiæ, illos nempe quos eligeret ex reliquis in Verbi sui Præcones publicos, *Gentium* fore PRÆCEPTORES, qui Præcepta fidei & resipiscentiæ, Legemque Regiam illam Amoris Dei & Proximi, cunctis Nationibus, Persis, Medis, Ægyptiis, Thracibus, Romanisque ipsis Orbis Dominis darent *Jes.* II. 3, 4 XXXII. 1. XLII. 4; ut *Ministri* scilicet summi Principis & *Præceptoris gentium Jes.* LV. 4; & qui ita pascerent ipsos Magistratus suos Verbi Ministerio, ut tamen simul in Corporalibus ac Circumstantiis Ecclesiastici regiminis externis pascerentur Imperio Principum terrenorum, ac ab ipsis dirigerentur. ב. Hostium suorum & Patris sui fore VICTORES, qui Legem Messiæ Regis sui promulgarent cum *Effectu; tum Obedientiæ* & Subjectionis Populorum sub Regnum Ejus *Psalm.* XLVII. 4. *Jes.* LX. 22, tum *Extirpationis* Idololatriæ Gentium, & Regni Satani inter eas hactenus erecti *Psalm.* VIII. 2, 3. *Zach.* XIII. 2. ג DOMINOS fore *Terræ*: Qui Christi Patris ac Mariti, *Heredis omnium Heb.* I. 2, cujus

 ut

ut Creatoris *Terra* quoque est *Psalm.* XXIV. 1. 2, *Cohæredes* forent *Rom.* VIII. 17. ac in Ipso *Hæredes Mundi Rom.* IV. 13: & Qui certi esse possunt, quod Terræ hujus Bonis, etsi non magna copia concessis, fruantur ut Hereditate sua: dum Impiis terrena bona dantur; non ut *Sua*, neque ut Dominis ac Hæredibus legitimis, sed veluti mancipiis, & tanquam ultima mensa quæ apponitur sceleratis supplicio afficiendis: Qui denique *Domini Terræ*, non *Servi* Ejus sunt, neque ei serviliter addicti; quæ potius cum omnibus creaturis Fidelibus inservire cogitur, & revera inservit ex Regis Messiæ, qui Regnum Potestatis in omnia Mediatorium habet *Psalm.* VIII. 7, 8, 9, jussu; salutemque eorum modis apertis & opertis promovet *Job.* V. 23. *Ezech.* XXXIV. 25. *Hos.* II 17—21. *Rom.* VIII. 28. 1 *Cor.* III. 22. ז. Tandem JUDICES fore *totius Terræ* Omniumque Impiorum; partim per Verbum, quod prædicarunt, & juxta quod summus Judex etiam judicabit; partim per Fidem & Pietatem sinceram, quam irridere potius quàm imitari maluerunt improbi; partim per Sententiæ Christi Judicis lætam Approbationem; partim denique per honorificam apud Judicem Collocationem, *Psalm.* XLIX. 15. CXLIX. 6—9. *Matth.* XIX. 28. 1 *Cor.* VI. 2. *Apoc.* II. 26, 27. Ex quibus omnibus facile colligitur, quomodo in his Verbis *Patribus* Messiæ *Filii* Ejus *Comparantur*, & simul supra eos *Extolluntur*.

XXIV. II. Hos verò Præceptores Gentium, Victores Hostium, Terræ Dominos, & Judices omnium in Die Illo, *Constitueret* Rex Messias. Non raperent hi sibi *Principatum* hunc, non suis Meritis acquirerent, non suâ Virtute Terram totam occuparent; sed Merito Christi Mediatoris, quo Ille Regnum Potestatis in omnia Mediatorium in Suorum Bonum consecutus est *Psalm.* VIII. 6, 7, 8, 9, omnia terrena ipsis, ipsorumque saluti inservire cogerentur. Cujus etiam Virtute Mundum sibi & Patri suo subjicerent Doctores, coll. *vers.* 4, 5, 6. *Psalm.* VIII. 2, 3. *Matth.* XXVIII. 20. *Apoc.* VI. 2, 3, eumque per Fidei constantiam vincerent

rent omnes Fideles *Phil.* IV. 8. Cujus denique Auctoritate mitterentur qui ex Filiis Christi Legatorum apud Homines munere fungerentur ad promulgandas Leges Ejus *Joh.* XX. 21. XXI. 15, 16, 17. Et Qui tandem hosce, ut & reliquos Filios suos omnes, antea judicatos, suos veluti Assessores in Judicio ultimo constitueret. *Matth.* XIX. 28. *Apoc.* II. 26, 27.

XXV. De *Implemento incboato* hujus Vaticinii, a nobis in Explicatione ejus subinde indicato, nemo dubitabit, si attendat: *Tum* ad Apostolos Jesu nostri, (quos ut *Pater* eorum per mortem suam redderet sed non relinqueret *Orphanos Joh.* XIV. 18.) & Apostolicos Viros, reliquosque Doctores Euangelii, qui præcipuum inter *Filios* Messiæ, similes *Patribus* ejus futuros, locum obtinent, quique Ipsum per Euangelium suum *notum fecerunt* mundo 1 *Cor.* 1. 23. 2 *Cor.* II. 14, & ut *Principes terræ* præcepta fidei & resipiscentiæ dederunt Gentibus, Satanæ regnum destruxerunt, Idololatriam paganam extirparunt, regnumque Christi ad fines terræ usque extenderunt *Rom.* XV. 18, 19. *Coloss.* 1. 6: *Tum* ad innumerabilem multitudinem *Christianorum* Credentium ex omni gente ac linguâ; per Quos Nomen Ejus ut *Patris* propagatum est in Mundo in hunc usque diem; Qui porro ut genuini *Filii* Patri suo *Similes* fuerunt, ut in afflictionibus, ita etiam in admirandâ patientiâ ac constantiâ fidei usque ad mortem; sic quoque sese ut *Principes* gerentes, & verè *Victores* Mundi Carnis & Satanæ existentes *Apoc.* VII. 9. 14; Qui præterea, *Variæ Conditionis* ac fortunæ homines, & per *totam Terram* habitantes, per plura jam secula, & *duo* ferè *Millennia*, successione continuâ & nunquam abruptâ, Christo nati sunt, & nascuntur hodie; sic jam in longâ duratione Patribus Messiæ aliquatenus similes facti. Ex qua inchoata Impletione Oraculi hujus, futurum ejus certò in omnibus reliquis implementum concludere licet.

XXVI. Magna est profectò *Felicitas* & *Dignitas Credentium*

tium in Christum Jesum. Hi sunt Filii Regis Tzijonis genuini, ut & Matris Ecclesiæ. Hi sunt Veri Filii Abrahami cum fideli Patriarcha illo benedicendi in æternum. Hi sunt Principes, reliquis mortalibus Præstantiores, & Reges Spirituales, non Servi sed Domini terræ, quibus omnia terrena, modis nobis occultis, inserviunt. Hi erunt Victores Satanæ & peccati in morte, imo ipsius mortis in die ultimo, quando dominabuntur Impiis, judicabunt mundum, cum Christo Rege & Patre sedebunt in Cælesti Throno, Cæli tertii & Paradisi incolæ erunt perpetui & beatissimi, Terramque etiam renovatam, impiis omnibus ex eâ extirpatis in æternum, hæreditario jure possidebunt, modo nobis incognito, juxta promissa *Psalm.* XXXVII. 9. 10. 11. 22. 27. 28. 29. *Prov.* II. 21, 22. *Matth.* V. 5. Sint coram mundo Contemtissimi, Peripsemata, Catharmata, Abominationes & Opprobrium hominum; in oculis Dei & Christi sunt Reges, Principes, ac Præstantiores omnibus Terræ hujus Dominis, quorum & Judices erunt in die illo. Quod Fidelium omnium, & Speciatim Verbi Dei Ministrorum Consolationi etiam inservire debet, quorum Munus, præstantissimum certè, à multis hodie contemnitur, & qui ridentur â Sapientibus hujus mundi, quando hoc præsens nostrum Oraculum & similia Scripturæ Loca sibi & Fidelibus applicant. *Sicut quidam in hoc faceti esse volunt*, sunt Verba *Lutheri* in Locum nostrum, *ut, cum contemtissime de nobis loqui volunt, dicant*, EST THEOLOGUS, *quod nomen tantum eis significat, ac si dicant*, FATUUS, *& nescio quid. Sed sint beati, colligant opes & existimationem, videbunt tamen judicium Dei suo tempore, quòd verum sit, quod hic Propheta dicit*, CONSTITUES EOS PRINCIPES.

XXVII. Sed si velimus hanc Felicitatem & Dignitatem Credentium nobis applicare ad Consolationem in Vita & in Morte, necesse est; ut Imaginem Patris nostri tanquam Ejus Filii Veram ubique & omni modo exprimamus; Ejus Virtutes Imitemur; Eum supra omnia Diligamus, filia-

liali timore ac obſequio Veneremur: Ejuſque Gloriam filiali Zelo quæramus. Decet præterea hos Filios Meſſiæ: ut Patribus Ejus ſimiles fiant, Veſtigia Fidei Abrahami, & Sanctitatis Ejus & Amoris Dei, & Abnegationis ſui ipſius, premere conentur: ut ſollicitè caveant ne Natalium Cæleſtium ſplendor & Principalis Eminentia, mundanâ filiorum hujus ſeculi vitâ, turpi facinore, imo ne quidem ullo putri ſermone, obſcurentur ac vileſcant: ut præterea ſeſe oſtendant non Servos Terræ, Ventris ac Cupiditatum ſuarum, ſed Dominos, imperent affectibus & concupiſcentiis pravis, Rationem carnalem ſeſe Revelationi opponentem in captivitatem, & Corpus peccati in ſervitutem redigant: ut denique Vivant in Mundo, non ei conformes eſſe ſtudentes, non probantes ejus vanitatem & malitiam & perditos mores, non annuentes peccatoribus, neque cum iis currentes ad effundendam iniquitatem, ſed ita inculpati & ſancti, ut Mundum impium & incredulum Vitâ & Factis ſuis condemnare poſſint ut Ejus Judices futuri in die æternitatis. Denique & hoc decet Filios Regis Meſſiæ, ut ſimiles ſe præſtent Patribus Ejus in Deſiderio Adventus Ejus Secundi ac Glorioſi, & ut viva fide, firmaque ſpe expectent Eum. Veniet certò Dominus juxta promiſſa ſua: Fruſtra Irriſores dicunt: *Ubi eſt pollicitatio Adventus Ejus? Non tardat Dominus promiſſum.* Si Filii Meſſiæ Patribus Ejus in longa ſucceſſione ſimiles ſint futuri; ſi aliqua ſit proportio inter Dies Mundi hujus Primos & Ultimos, atque inter Horam Primam & Ultimam ſtatuenda, ut decet, nondum venit Tempus Adventus Ejus. Citius Ille ad nos veniet in Morte, vel potius nos veniemus ad Illum, introducendi quoad animas immortales in Cæleſte Ejus Palatium; Ubi Mille anni in oculis noſtris erunt ut Dies unus. Redibit tandem ex Cælo, tempore a ſe præſtituto, & aſſumet nos in corporibus glorificatis quoque, ut in æternum ſimus ubi Ille eſt. *Veni Domine Jeſu!* Interim Expectemus Eum, & Oremus indeſinenter Patrem noſtrum, ut generet continuè novos Filios

quorum nomina sunt scripta in cælis, & ut inter Filios hosce suos semper constituat *Principes* illos, qui Leges suas fideliter dent populis, illisque adsit sua Virtute & Spiritu, ut tandem per eos reliquum Mundum sibi subjiciat per conversionem Judæorum & Gentium.

XXVIII. Sic Felicissimi hi Messiæ Filii certi esse possunt: Ecclesiam Ejus mansuram in terris usque ad finem Mundi: se â Patre cælesti amandos & perpetuò in hac lacrymarum valle curandos esse: omnia sibi, Cohæredibus Christi & Terræ Dominis, cooperatura esse in bonum: Mundum se judicaturos esse, Satanam sub pedibus conculcaturos, mortem ipsam triumphaturos, & Cæli tertii incolas perpetuos futuros; ubi Regem hunc in omni Pulchritudine sua conspicient, & terram hanc lonquinquam, ad usus eorum incognitos renovatam, videbunt, *Jes.* XXXIII. 17. & sic omnia hæreditario jure *Apoc.* XXI. 7. possidebunt.

DIS-

DISSERTATIO UNDECIMA

DE

MEMORIA NOMINIS MESSIÆ PERPETUA IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONE.

AD *Psalm.* XLV. 18.

I.

inis ultimus omnium Operum Dei est Laus & Gloria Ejus, *Rom.* XI: 36: sive sint Opera Naturæ, *Job.* XII: 7—10. *Psalm.* XIX: 1, 2: sive Iræ *Prov.* XVI: 4: sive denique sint Opera Gratiæ erga Electos in Christo Jesu,, *Psalm.* LXVIII: 27. CII: 19. *Jes.* XLIII. 21. LX. 21. 1 *Cor.* VI: 20. *Ephes.* I: 4, 5, 6. 1 *Pet.* II: 9.

II. Hinc Auctor hujus Epithalamii in Clausula ejus promittit Filio Dei, Regi & Sponso Ecclesiæ, propter spirituale & æternum Conjugium cum illâ initum, *Nominis celebritatem perpetuam*, *Laudesque perennes*; per Filium ad Patrem, totamque Trinitatem redundaturas: Sic simul indicans Finem intentionis Adorandæ Trinitatis in hoc Opere Gratiæ, quem & certo assecutura erat, esse *æternam* Sponsi ac Sponsoris divini nostri *celebrationem*. Ex quo iterum sequitur, quòd Conjugium Salomonis cum Filiâ Regis Ægypti in hoc *Amorum Cantico* neutiquam sit laudatum; quia ex eo nulla laus nullaque gloria Salomoni competit, aut deferri debet: Qui cæteroquin propter insignem inprimis sapientiam laudem meretur, & celebratur in Mundo.

III.

III. Clausula hæc seu Epiphonema dirigitur, non ad Deum Patrem, multò minus ad Sponsam, ob genus masculinum heic rursus adhibitum; sed ad Messiam Regem. In cujus Explicatione considerabimus; I. *Quid* Auctor Divinus *Ipsemet facturus* esset ad Gloriam Regis nostri. II. *Quid* hoc *Operaturum* esset in *populis*, *æternas* nimirum *Laudes Ejus*.

IV. *Primum* ita exprimitur in fontibus Hebraicis אזכירה שמך בכל דר ודר Quæ *Hieronymus* ita transtulit; *Recordabor Nominis tui in omni generatione & generatione*. Sed rectiùs *Arias Montanus*, *Memorare faciam Nomen tuum in omni generatione & generatione*; & *Belgæ* nostri, *Recordari faciam Nominis tui ab una quaque Generatione in Generationem*.

V. Nomen Regis heic non est Ejus *Posteritas* spiritualis, laudata *Versu præcedente*; quamvis haud diffiteamur *Nomen* pro *Posteritate* aliàs sumi *Deut*. xxv: 6. 1 *Sam*. xxiv: 22. *Job*. xviii: 17. quia per eam conservatur *Nomen* Patris 2 *Sam*. xviii: 18. Neque est *Laus* Ejus, quia sic idem bis diceretur in hoc versu; *memorare faciam laudem tuam; propterea populi laudabunt te:* quamvis iterum concedamus *Nomen* sæpe pro *Laude* boni in Sacris; ut cum dicitur aliquis Vir *Nominis Gen*. vi: 4. *Num*. xvi. 2., *Nomen* habere 2 *Sam*. xxiii: 18: 22. *Nomen* facere alicui 1 *Reg*. 1: 47, aut sibi ipsi *Neh*. ix: 10. Sed est: *Vel* Ipse *Rex* revelatus in Verbo & Opere suo, uti sic *Nomen* pro *Nominato* alibi ponitur *Psalm*. xx: 2, *in edito collocet te* Nomen *Dei Jacobi*, id est ipse Deus Jacobi: *Vel Omne* id quo *Innotescit* nobis in *Excellentia sua*: ut sunt; & Divinæ Perfectiones Ejus, *coll. Exod*. xxxiv: 6. *Psalm*. ix: 11. *Prov*. xviii: 10; & Operationes Gratiæ, in Sponsione Ejus, atque Obedientiâ Vicariâ, quæ supra *vers*. 3. & 8. laudantur, conspicuæ, *coll*. 1 *Cor*. vi: 11; & Verbum Gratiæ, *coll. Psalm*. lxxv. 2. *Act*. ix. 15, 16; & Tituli ratione divinæ & humanæ Naturæ ac Muneris Mediatorii Ipsi dati in Sacris, ubi appellatur *Elohim Vers*. 7, 8. *Jehova*, *Jehova Tzebaoth Jes*. liv. 5. *Jer*. xxiii: 6, *Filius Dei Heb*. 1: 4, 5. λόγος *Apoc*. xix. 12, 13, *Filius hominis*

per

per excellentiam *Psalm* VIII. 4, 5, *Immanuel Jes.* VII: 14. *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis Jes.* IX: 6: &c, *Vel* denique *Nomen* aliquod ipsi quodammodo *Proprium*, quo distingueretur ab aliis, & vulgò appellaretur; ut est Nomen MESSIAS CHRISTUS, ipsi inditum â Prophetis 1 *Sam.* 11: 10. *Psalm.* II: 2. *Dan.* IX: 25, 26, & datum postea â Judæis & Gentibus *Matth.* XXVII: 17. *Joh.* I: 42. &c: *Vel* tandem *Omne hoc* simul; quia Prædicatum permittit ut Subjectum hoc tam latè capiamus.

VI. Hujus *Nominis* RECORDARI est I. Christum *Cognoscere* in Verbo revelatum, quod in *Recordatione* supponitur, & decens est, atque necessarium ad salutem omni adulto *Jes.* LIII: 11. *Joh.* XVII: 3: II. *Fide* sincerâ Eum ut Sponsorem suum *Recipere* ad Justificationem, & se ad Eum ut Dominum ac Regem *Convertere* Resipiscentiâ seriâ, *Psalm.* XXII: 28, 29. יזכרו RECORDABUNTUR *&* CONVERTENTUR *ad Jehovam omnes fines terræ: & incurvabunt se coram Te omnes familiæ Gentium. Quoniam Jehovæ* est *regnum: & dominatur in gentibus. Zach.* X: 9. *Et in longinquis locis* יזכרוני RECORDABUNTUR MEI. III. Frequenter *Meditari* de Illo cum Admiratione, Delectatione & animi Consolatione magnâ, quod decens, utile ac jucundum est, & fieri inprimis debet in Lectione & Auditu Verbi, ac Sacramentorum usu *Exod.* XX: 24. *Luc.* XXII: 19. 1 *Cor.* XI: 24. Hinc David Verba זכר & הגה conjunxit ut synonyma, *Psalm.* LXIII. 7. *Quum* זכרתיך recordor tui *super stratis meis, in vigiliis* אהגה meditor *de te.* IV. Ipsum & de Ipso *Commemorare;* (quo sensu Verbum זכר sæpe venit) Tum se Denominando â Nomine Ejus: Tum Ipsum publicè Prædicando (*coll. Jerem.* XX: 9.), & liberè Profitendo coram hominibus, quod decet *Matth.* X: 32. *Rom.* X. 10: Tum in Nomine ejus solo Deum invocando & veniam petendo *Joh.* XIV: 13, 14: Tum denique admirabilem ejus erga peccatorem gratiam Enarrando ac Laudando apud

Deum & homines, cum gaudio & gratiarum actione: *Cantic.* I: 4. נזכירה Commemorabimus *amores tuos meliores vino.*

VII. Quoniam verò Auctor hujus Cantici, Verbo אזכירה sibi ipsi *Actum Recordandi* non tribuit, ut vertit Hieronymus *Recordabor*; (nam hoc Auctori Principali, qui Spiritus sanctus est, minus conveniret, & Auctor Ministerialis, sive David, sive Alius quidem Vir Dei, Homo mortalis, dicere de se non poterat; se *in omni Generatione & Generatione*, in hisce terris scilicet, recordaturum esse Nominis Messiæ); sed *Productionem Actus* istius in aliis, utens forma *Hiphil* אזכירה, sensu transitivo, (uti alias sæpe sumitur 2 *Sam.* XVIII: 18. *Psalm.* XXXVIII: 1;) & cum ה paragogico sensum intendente: Ideo de *Auctore* heic *loquente* prius inquiremus; & deinde videbimus, quo sensu dicat אזכירה Faciam Recordari *Nominis tui.*

VIII. *Auctor* minus principalis est Propheta aliquis, & fortè *David.* Hunc loqui existimant Nonnulli, ut *Basilius*, *Euthymius*, *Genebrardus*, *Bugenhagius*, in *Persona Sponsæ* seu Ecclesiæ, quæ nunc gratias ageret Sponso suo pro tantis beneficiis, & promitteret Ei, Se *Recordaturam* esse semper Ejus & Nominis Ejus, & Se curaturam ut hæc Nominis *Recordatio perpetua* esset, etiam per *prolem numerosam*, quam Ei Se parituram esse, *per omnes Generationes* usque ad finem sæculi, fortiter speraret Illa. Sed Alii Davidem loqui credunt in personâ suâ; ita ut ad Canticum hoc suum respiciat, per quod faceret homines *Recordari* Messiæ, & *memorare Nomen* Ejus, per *omnia secula* usque ad finem mundi hujus; atque ita ut *Prædicat* simul *perdurationem* hujus sui Epithalamii *perpetuam*, ejusque *Usum* privatum & publicum in Ecclesia *Continuum*, ad Nominis Christi Celebrationem. Ita *Theodoretus*, & *Chrysostomus*, cujus hæc sunt Verba. Ὅρα δὲ πῶς καὶ τῆς οἰκείας προφητείας τὸ διηνεκὲς προφητεύει. Εἰπὼν γὰρ, μνησθήσομαι τοῦ ὀνόματός σου ἐν πάσῃ γενεᾷ καὶ γενεᾷ, τοῦτο ἐδήλωσε. Κἂν ἐγὼ τελευτήσω, φησὶν, ἀλλ' ἔσον-

ᾄσομαι εἰς σὲ, καὶ τελευτῶν. Τὸ μὲν γὰρ σῶμα διαλυθήσεται, τὰ δὲ γράμματα μένει. *Vide quomodo suæ quoque Prophetiæ prædicit perpetuitatem. Cum enim dixit*, Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione, *hoc significavit: Etsi ego, inquit, mortuus fuero, te tamen cantabo vel moriens. Corpus enim dissolvetur, litteræ autem manent.* Cui Prophetiæ cum respondeat Eventus in hunc usque diem, ex eo concluditur, hoc *Amorum Canticum* per Spiritum Sanctum, futurorum omnium præscium, inspiratum fuisse, atque Usum Psalterii Davidici in Ecclesiis esse Divinæ potius quàm Ecclesiasticæ Ordinationis. Confer, si placet, quæ hac de re observavimus in *Dissertatione* IV. ad *Psalm.* XXVI: 4. §. I.

IX. Sed *Auctor* Principalis est *Spiritus Sanctus*, quo *acti Sancti Dei Homines loquuti sunt* 2 *Pet.* I: 21. & quo David actus fuit: *Spiritus Jehovæ loquutus est in me*, vel *per me*, & SERMO EJUS fuit SUPER LINGUA MEA, 2 *Sam.* XXIII: 2. Quem Principalem Auctorem Cantici hujus nunc loqui in hac Clausulâ, *in Personâ suâ*, judicant Alii. Et profectò non est insolitum in Psalmis; ut Spiritus Sanctus loquatur in Personâ suâ, ubi antea Psaltes nomine suo vel Ecclesiæ loquutus fuerat; absque ullo alio *sui Loquentis* indicio expresso, quàm quod ex Prædicatis colligitur. Hujus rei Exemplum extat; fortè in *Psalm.* XXXII: *vers.* 8; sed certè in *Psalm.* XCV. 7, 8, 9, 10, 11. *coll.* cum *Heb.* III: 7 — 12. In quo Psalmo cum scripsisset Vates ex afflatu Divino Verba sua & Ecclesiæ; *Cum ipse* (*sit*) *Deus noster*, *nos verò Populus pastus ejus*, *&* *Grex ductus ejus*; mox subjicit Verba *Spiritus Sancti* sibi dictata: *Hodie si vocem ejus audieritis. Ne obduretis animum vestrum*, *ut* (in) *Contentione*; *ut die tentationis in deserto. Ubi tentaverunt* ME *majores vestri*; *probaverunt* ME, *etiam experti sunt Opus* MEUM. &c. Quod *Spiritus Sanctus* hæc loquutus sit, patet satis ex Verbis ipsis, & confirmatur Auctoritate Apostoli in Epistola ad Hebræos. *Quapropter*, inquit, sicut DICIT SPIRITUS ILLE SANCTUS, *Hodie si*

vocem ejus audiveritis. &c.

X. Et certè multò efficaciora sunt hæc Verba, & pleniorem sensum habent, si Spiritus S. ea loquatur, quàm si in Persona Davidis aut Ecclesiæ illa accipiamus prolata. Sonant enim idem ac si dixisset *Spiritus* S. hunc in modum. I. Ego *efficiam*. ut *Cognoscatur* Nomen tuum, & ut *Fide* Te recipiant Nationes, atque sese ad Te *Convertant*, Tuoque imperio se subjiciant, & ut Personæ Tuæ Excellentiam Gratiæque tuæ Magnitudinem *Meditentur* cum magnâ Admiratione & Delectatione incredibili. Idque efficiam, per Meam vorticordiam Virtutem; ut qui sum *Spiritus fidei* 2 *Cor.* IV: 13; & per *Canticum* hoc *Amorum* excellentissimum, totumque Verbum Propheticum atque Apostolicum, duraturum ad finem Mundi *Jes.* XL. 8. 1 *Pet.* 1: 25, ex quo Cognoscent Gentes Te esse Messiam, Salvatorem Mundi, & Regem Ecclesiæ. II. Ego *faciam* ut *Prædicetur Nomen tuum* per *Custodes* illos Meos, qui *tota die & tota nocte non tacebunt*, sed *Commemorabunt* Te *Jehovam Jes.* LXII: 6. id est per Præcones Euangelii, quos Ego, *Dominus Messis*, mittam magno numero; *coll. Matth.* IX: 13. *Act.* XIII: 2. XX: 28. III. Porro Ego *efficiam*; ut Te *Dicant Jesum Dominum*, quod *Nemo dicere potest nisi per* ME, 1 *Cor.* XII: 3, & ut *Nomen* tuum liberè & constanter *Profiteantur* subditi tui, 2 *Cor.* IV: 13. absque pudore præpostero *Rom.* 1: 16. & mortis metu, dum Ego *Spiritus Patris loquar in ipsis Matth.* X: 19, 20. Et prætereа efficiam; ut *Nomen* tuum indesinenter *Invocent*, atque in *Nomine* tuo *solo* preces fundant, ut qui sum *Spiritus gratiæ & precum Zach.* XII: 10. *Joh.* XIV: 13. *Rom.* VIII: 26. *Gal.* IV: 6; & denique ut Tibi immortales *Gratias* agant pro omnibus Beneficiis tuis, à Te promeritis, & in ipsos collatis. IV. Imo tandem Ego *Curabo*, ut *memoretur Tuum*, O CHRISTE! *Nomen*, per *Filios* illos Tuos, Tibi *loco Patrum* tuorum Futuros, qui de Tuo hoc Nomine nominabuntur CHRISTIANI; ut solent

Filii

Filii à Patribus suis denominari *Gen.* XLVIII: 16. *Jes.* XLVIII: 1, ut illud nempe perenne faciant *Ruth* IV: 11. *Job.* XVIII: 17. *Jes.* LVI: 4, 5. Quod Nomen CHRISTIANORUM accipient illi ex *Meo Mandato* & *Impulsu*, & propagabitur a Patre ad filium, quamdiu erit Sol. Atque ita habemus in hoc Oraculo Spiritus Sancti illustre Vaticinium de *Nomine* CHRISTIANORUM, quod gererent *Filii* Christi sub Novo Testamento. Hujus rei notabilis Primum fortè heic occurrit Vaticinium; sed non Unicum. Dantur & alia Loca Prophetica, in quibus hoc CHRISTIANORUM Nomen prædictum esse videtur. Huc spectant Duo apud *Jesaiam* Loca: *Cap.* LXII. 2. *Videbunt enim Gentes Justitiam tuam, & omnes Reges Gloriam tuam, &* INDETUR TIBI NOMEN NOVUM QUOD OS JEHOVÆ *expressè nominabit:* & *Cap.* LXV. 15. *Et relinquetis nomen vestrum* (JUDÆORUM scilicet) *execrationi electis meis, quoniam morte afficiet te Dominus Jehovi;* SERVIS VERO SUIS INDET NOMEN ALIUD, nempe CHRISTIANORUM. Ad quem Locum ita *Cyrillus Hierosol. Catechesi.* X. §. VIII. *Sed dicet aliquis*, καινὸν τὸ ὄνομα τῶ Χριστιανῶν NOVUM *est* NOMEN CHRISTIANORUN, *& antea non erat in usu, quæ autem nuper facta sunt, sæpe his, propter novitatem, contradicitur. Præmunierat hoc Propheta, dicens:* SERVIENTIBUS *mihi* vocabitur NOMEN NOVUM, quod benedicetur super terram. *Quæramus ex Judæis:* SERVITIS *Domino, an non? Ostendite igitur* τὸ ὄνομα ὑμῶν τὸ καινὸν NOMEN VESTRUM NOVUM. JUDÆI *enim* & ISRAELITÆ, *a Moyse & aliis Prophetis vocati estis, & post reditum ex Babylone, & huc usque.* πῦ ἐν τὸ ὄνομα τὸ καινὸν *Ubi ergo est* NOMEN NOVUM? *Nos verò posteaquam* SERVIMUS *Christo, habemus* NOMEN NOVUM; *Novum, quidem sed quod benedicetur super terram. Comprehendit Universam terram hoc Nomen* &c. Inprimis huc spectat Oraculum *Psalm.* LXXII. 17. *Erit* NOMEN EJUS *in seculum, quamdiu erit Sol* ינון שמו FILIABITUR NOMEN EJUS; id est, PROPAGABITUR PER FILIOS generandos IPSI; seu SOBOLESCET, id est in *Sobole* Ipsi suc-

succrescente ut Patri succrescet & propagabitur & vivet *Nomen* Ejus, certum aliquod ac *Proprium*, quod per filios propagari & permanere solet, uti modò observavimus. Hunc Locum haud indiligenter tractavimus in *Nestorianismo* & *Adoptianismo redivivo Confutato*, *Cap.* xv. p. 350. — 369.

XI. Hoc omni modo *Recordari faceret Nominis* Messiæ Spiritus Sanctus בכל דר ודר IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONE, ut vertit *Hieronymus* ex Hebræo. Merentur hæc Verba paullò diligentius expendi â nobis, quia plus quam unum sensum, cumque satis commodum & aptum, admittunt. Nempe verti possunt: I. *In Omni* (seu *qualibet* nam כל distributive alias sumitur *Gen.* I: 29. VII: 21. *Psalm.* VIII: 7.) *hominum cohabitantium Societate & Societate*, id est quoad sensum, *per totum Orbem terrarum habitabilem*, Belgicè, *door* vel *in alle de werelts Kreytzen*, aut, *in alle de Gemeenschappen* en *Woonplaetsen der Menschen*. Nempe vox דור in primâ & formali significatione suâ notat id quod *rotundum* est. Quod meritò colligunt Eruditi; ex nominibus מְדוּרָה *Pyra Jes.* XXX: 33. *Ezech.* XXIV. 9. דור *Pila Jes.* XXII: 18. XXIX. 3. דַּר quæ Bocharto *Margarita* est *Esth.* I: 6; atque ex Verbo דור apud Chaldæos frequentius, sed & in Sacris *habitavit Psalm.* LXXXIV. 11. nempe in *rotundis tentoriis, domibus, imo & pagis ac civitatibus, non obstantibus] angulis quibusdam, extra globi formam excurrentibus*, uti scripsit *Gussetius*; qui & addidit; *quòd homines ita domos vulgo collocent, ut societatis partes sibi uniantur, & opem sibi invicem melius ferre possint*. Unde Nomen דור significat Societatem hominum eodem tempore cohabitantium; vel in una Domo, vel Civitate, vel Regione, vel etiam in Regionum plurium Circulo; *Gen.* VI: 9. *Noach Vir justus integer fuit* בדרתיו in *societatibus* Hominum, suo tempore in tentoriis, pagis, urbibus, regionibus una habitantium. Confer *Exod.* I: 6. *Num.* XXXII: 13. *Jud.*

Jud. 11: 10, & Locum *Esth.* IX: 28. ubi vox דור; distincta â משפחה *Familia*, *Tribu* (coll. *Judic.* XVIII: 19.) מדינה *Regione*, *Provincia*, & עיר *Urbe*; haud ineptè capitur pro hominibus in eadem *Domo cohabitantibus*. Hoc autem sensu heic prædicitur *Extensio* Ecclesiæ Christi per *totum terrarum Orbem*. In quo *toto*, non simul sed *successivè*, Euangelium annunciaretur, & Spiritus Sanctus, vi meriti Christi, operaretur in Electis ad salutem eorum; Ita ut nullus in terrâ angulus in fine mundi existeret, qui non aliquando luce Euangelii collustratus fuerit. Quomodo etiam intelligenda arbitror alia Vaticinia, quæ de extensione Regni Christi per totum terrarum Orbem, atque de *Omnibus Regibus*, ac de *Omnibus Gentibus servituris* Messiæ, *Psalm.* LXXII: 11; *Jes.* 11: 2. & de *Omnibus finibus terræ salutem Dei nostri visuris Psalm.* XCVIII: 3. *&c.* loquuntur. Confer *Jes.* LIX: 19. *Mich.* V: 3. *Malach.* 1: 11. &c.

XII. II. *In Omni* Hominum *Genere & Genere*; Belgicè *By allerleye slach en soort van Menschen.* Scilicet quia Nomen דור ex origine notat *Cohabitantes* ac *Vicinos*; ideo etiam quandoque significat Homines inter se conjunctos & ab aliis distinctos, *origine*, *moribus*, *ingeniis*, *fortunâ*, *vitâ*, *legibus* &c. Ita sumitur sæpè, *Psalm.* XIV: 5. *Prov.* XXX. 11—14. &c. Sic verò prædicitur Gratiæ Christi Extensio ad Omnis Generis Homines; ne quis existimaret Judæos Græcis Barbaris aut Scythis, Divites Pauperibus, Sapientes Idiotis, Viros Mulieribus, Dominos Servis, præferendos esse in Regno cælorum. Concinunt alia Vaticinia plura *Psalm.* LXXXVII: 4, 5, 6. *Jes.* XIX: 25. XLIX: 6, 7. *Zach.* VIII: 20, 21, 22, 23.

XIII. III. *In Omni*, seu *Qualibet*, *Generatione* & *Generatione*, seu *in Omni* & *Qualibet Posteritate & Posteritate*; Belgicè *In elken Geslagte en Geslagte*; vel *In elken Nakoomelingschap en Nakoomelingschap.* Quia Vox דור notat *Una habitantes*, & quia inter illos sunt *Patres* & *Filii* & *Nepotes*; hinc quoque *homines sibi succedentes juxta ordinem Generatio-*

rationionis significat *Exod.* XII: 14. XVI: 33. *Eccles.* I: 4. inprimis ubi *alterius Psalm.* CIX: 13: *tertiæ Deut.* XXIII. 8. *quartæ Gen.* XV 16. & *decimæ Generationis Deut.* XXIII: 2, 3. fit mentio. Si quis, hoc sensu capiens has voces, existimaret Spiritum Sanctum *promittere*, Se in *Unaquaque Generatione Piorum*, vi meriti Christi, habiturum aliquos, quibus daret fidem in Christum salutarem; is quantum ad rem ipsam attinet, non abluderet ab analogia Fidei & Scripturæ, in qua *Semini* Justorum gratia & salus addicitur *Exod.* XX: 6. *Act.* II: 39. *Psalm.* CXII: 2. *Generationi rectorum benedicetur*, *Luc.* I: 50. *Cujus misericordia* εἰς γενεὰς γενεῶν *in Generationes Generationum*, id est filiorum filios, parata est *timentibus ipsum.* Sed dubito an liceat vocabula דור ודור *Generationem* & *Generationem* restringere ad Generationes *Justorum*, ubi Spiritus ipse indeterminate loquitur. Præstat itaque ut statuamus sic *prædicere* Spiritum S. *Nomen* simul cum *Populo Christianorum* nunquam intermoriturum & delendum esse è terra, sed duraturum quamdiu homines erunt sibi juxta ordinem Generationis succedentes. Quod ipsum & alibi prædictum est *Psalm.* LXXII: 5. *Timebunt Te quamdiu* erit *Sol: & durante luna*, דור דורים GENERATIO GENERATIONUM, seu GENERATIO GENERATIONI SUCCEDENS: & *Vers.* 17. *Erit* Nomen *ejus in seculum*; *quamdiu erit Sol*, PROPAGABITUR, SOBOLESCET NOMEN *ejus:* & *Psalm* CII: 3. *Tu autem Jehova* (dictum hoc est Filio, coll. *Heb.* I: 8. 10, 11.) *in æternum permanes* וזכרון לדר ודר *&* RECORDATIO TUI IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM.

XIV. In hunc ferè eundem sensum redibit Oratio; si IV. vertamus Verba hæc, *In omni Seculo & Seculo*, seu *in omni Ætate & Ætate*; Belgicè, *In elken Eeuwe en Eeuwe*, vel *in elken Leeftyt en Leeftyt.* Nam Vocabulum דור etiam notat *Tempus*, quia in illo est quædam *Rotunditas* quoque, in circulatione scilicet atque revolutione dierum mensium & annorum. Quare apud Ægyptios olim Temporis figura fuit *Serpens*, qui multis voluminibus se gyrat.

Sic

Sic ſumitur vox Hebræa דור pro *Ætate hominis Jeſ.* XXXVIII: 12. & fortè *Jeſ.* LIII: 8; & ſimiliter Græca vox γενεὰ *Act.* XIII: 36; quæ, uti apud exoticos ſcriptores *Seculum*, etiam longiſſimum notat, ita etiam in N. T. ponitur pro *Tempore præterito Act.* XIV: 16. XV: 21. *Epheſ.* III: 5. *Coloſſ.* I: 26. & *futuro omni*, *Epheſ.* III: 21. εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. *in omnes ætates ſeculi ſeculorum.* Unde & noſtra phraſis בכל דור ודור, & ei analoga לדור ודר uſurpatur de *Duratione continua* usque ad finem Mundi, & ultra *Pſalm.* XXXIII: 11. CII. 25. CXIX. 90. CXXXV: 13. CXLV. 13. *Thren.* V: 19. Quo ſenſu, ſi heic etiam capiamus hanc phraſin, prædicitur *Continuatio* absque *interruptione*, & *Perpetuitas Eccleſiæ* Credentium, quæ Chriſtum agnoſceret, profiteretur ac laudaret, & *Nominis* Ejus *Recordaretur* continuè uſque ad finem mundi hujus, & ultra. Cui Promiſſioni congruunt & aliæ ſupra laudatæ; ut & omnes reliquæ, quæ de *Perpetua* duratione Eccleſiæ veræ *Jeſ.* XXXIII: 20. ac Mediorum ſalutis *Jeſ.* LIX. 21. *Zach.* XIV: 8. atque de Regni Meſſiæ Æternitate loquuntur; non tantum in hoc Cantico *verſ.* 7. ſed & alias ſæpe; tum in V.T. 2 *Sam.* VII: 12. *Jeſ.* IX: 5, 6. *Dan.* II: 44. VII. 14; tum in N.T. *Luc.* I: 32, 33. &c. Quæ Regni Meſſiæ Perpetuitas Cauſſa eſt Longanimitatis Dei erga Mundum impium, 2 *Pet.* III: 9. & ob quam *terra ſtat in ſeculum Eccleſ.* I: 4.

XV. Quoniam verò hanc *Recordationem Nominis* Meſſiæ effecturus erat in Gentibus Spiritus Sanctus, non morali tantùm Suaſione, ſed etiam phyſicâ vel potius hyperphyſicâ & inſuperabili Operatione ac Victrice Gratiâ ſuâ: ideo *Effectum* cum *Cauſſâ* conjungens, ita pergit: על כן עמים יהודוך לעלם ועד *Propterea Populi Confitebuntur*, (vel *laudabunt*, *celebrabunt*) *Te in ſeculum & ſempiternum.* Ubi loquitur de *Populis*: & indicat: Quid acturi ſint; *Confitebuntur* Te, ſeu *Laudabunt* Te; Quamdiu; *in ſeculum & ſempiternum*; Quare; *propterea.*

XVI. Populi עמים, indefinite nominati ſunt *Omnes*

Populi, seu omnia Genera eorum, *Judæi* non solùm, sed & *Gentiles* עמים dicti *Gen.* XLIX: 10; non tamen omnes & singuli, sed bene multi ex iis Electi, Redemti, Vocati, qui novum illum Populum Christi constituerent, de quo *Jes.* XLIII: 21.

XVII. Actio his tributa exprimitur Verbo יהודוך. Fortè est allusio ad *Gen.* XLIX: 8, 9, 10. יהודה *Tu* (es) יודוך *Te laudabunt fratres tui*, id est Messiam Filium illum Tuum שילה, *cui erit obedientia* עמים *Populorum*. Verbum הודה notat *Confiteri* 1 *Reg.* VIII: 33, *Laudare Psalm.* LXXV: 2. *Gratias agere Jes.* XII: 1.4; quæ omnis significatio heic locum habere potest. Sensus itaque est I. CONFITEBUNTUR TE: *Deum* suum verum ac summum, abnegatis omnibus idolis *Psalm* LXVIII: 20, 21. *Jes.* XXV: 9: *Messiam* promissum & Mediatorem unicum, abnegatis omnibus Pseudo-Messiis, & fictis Mediatoribus, imo & typicis Sponsoribus Aaronicis, ac Merito Patrum, omnique Justitia propria *Jes.* XLV. 23, 24, 25. LIII: 4, 5, 6. LXIII: 16. coll. *Heb.* III: 1: *Regem* suum Æternum, abnegato omni Dominio carnis & peccati *Psalm.* II: 10, 11, 12. *Hos.* III: 5, coll. *Psalm.* CXVI: 16. *Phil.* II: 9, 10, 11: *Doctorem* denique suum ac *Magistrum* summum, abnegata in Mysteriis revelatis omni Sapientiâ carnali ac Ratione finitâ sua, juxta Monita Divina *Deut.* XVIII: 15. 18. *Matth.* III: 17. XVII: 5. XXIII: 8 — 10. Atque ita ore suo Te *Confitebuntur ad salutem*, ut simul *Corde in Te credant ad justitiam Rom.* X: 9, 10. II. LAUDABUNT TE: *Deum* supra omnia benedictum in secula, & simul *Hominem* Verum ac *Sanctum*; & sic ut Hominum *Pulcherrimum*, & *Immanuëlem* ac Goëlem suum unicum: *Tua Beneficia*, a Te promerita & ipsis collata *Psalm.* C: 1, 2, 3. CIII: 1 — 4. *Jes.* XLIII: 21. 1 *Pet.* II: 9. atque simul *Caussam* illorum; tum meritoriam, Tuam Obedientiam vicariam activam & passivam *Jes.* LIII: 4, 5. *Apoc.* V: 9, 10; tum impulsivam internam, incredibilem nempe amorem Tuum *Ephes.* V: 2. 25. *Apoc.* I: 5, 6, ut & Patris Tui *Joh.* III: 16. *Rom.* V: 8. VIII: 32:

Tua

Tua denique *Judicia* in hostes Tuos, Judæos, & Gentiles, & qui postea sub specie Christiani Nominis ac Vicarii Tui in Terris Tibi revera adversabuntur *Apoc.* XIV: 7: 8. XV: 4. Conf. *Psalm.* VII: 14. Atque ita laudabunt Te, apud Deum & Homines, summa cum Admiratione ac Tui Veneratione *Psalm.* XXXV: 18. LXVI: 16. *Zach.* IX: 17. III. GRATIAS AGENT TIBI pro his omnibus, atque sacrificia תודה *gratiarum actionis* spiritualia Tibi offerent *Psalm.* L. 14. 23. *Heb.* XIII: 15. Neque *Ore* tantùm Gratitudinem suam testabuntur, sed Opere omni declarabunt Eam: de Communione Tui supra omnia Gaudentes *Psalm.* IV: 8, 9. CXLIX: 2. *Jes.* LXI: 10. *Phil.* IV: 4. 1 *Pet.* 1: 8: omnis generis Adversitates Tui caussa patienter & constanter Ferentes *Habak.* III. 17, 18. *Matth.* V: 11, 12. *Rom.* V: 2, 3. *Phil.* II: 17 & juxta Tuam Voluntatem sese in omnibus Componentes *Psalm.* L. 23. *Tzeph.* III: 9. 2 *Tim.* II, 19. Et hoc omne facient, non solum singuli per totam vitam suam terrestrem, & Ecclesia integra Militans per omnia hujus Mundi secula; sed & posthac Tota Ecclesia in cælis Triumphans in omnem æternitatem.

XVIII. Hinc additur לעלם ועד *in* SECULUM & SEMPITERNUM, sive IN ÆTERNUM ET USQUE, id est, in hoc & in futuro Seculo, in hac & in alterâ Vitâ; in Terrâ hac & postea in Cælo, ubi *interminabilis* erit *æternitas*; quæ hisce Vocibus alibi exprimitur; supra *vers.* 7. & *Psalm.* X. 16. XXI: 5. XLVIII. 15. &c. Hujus rei *Fiducia* est in Fidelibus *Psalm.* CXLV: 1, 2, & *Promissio* Spiritus Sancti infallibilis habetur in hisce Verbis. Quæ nititur, & immutabili Dei Electione *Ephes.* 1: 4, 5, 6; & Filii sponsoris æterna Redemtione, ac Perpetuâ Intercessione *Luc.* XXII: 32. *Heb.* VII: 23; & Spiritus Sancti efficacissimâ in Electis ac Redemtis Operatione salutari, Ejusque apud Ecclesiam Permansione stabili *Joh* XIV: 16.

XIX. Hinc præmittitur tandem illud עלכן PROPTEREA. Eodem sensu jam tertiâ vice recurrit particula על כן, posita

sita post Caussam, & ante Effectum. Si David loqueretur in Persona sua, sensus esse posset. Quia Ego in hoc Cantico, quo utetur Ecclesia usque ad finem Mundi, laudavi Te, â Pulchritudine summâ, Sponsione benevola, Victoriis de hostibus reportandis, Æterno Solio, Vicariâ Justitiâ, Gloriâ Cælesti, Connubio spirituali cum fideli Animâ quacunque &c. *Propterea* Meo Exemplo moniti atque excitati *Populi laudabunt Te.* Quando hæc Particula על כן ad omnia ista præcedentia referretur, & â Caussâ moraliter suadente Effectus deduceretur cum spe probabili. Sed quia על כן ad *Caussam*, in proxime præcedentibus Verbis descriptam, heic æque ac *vers.* 3. & 8. respicit tantum; & quia Effectus hic certò prædicitur, præstat sanè ut â Caussâ insuperabili virtute operante derivetur, & proinde ut statuamus *Spiritum Sanctum* loqui, hoc sensu. Quia Ego vorticordiâ meâ potentiâ Efficiam, ut Electi omnes ac Redemti *Recordentur Nominis tui*, Te Cognoscant, & Fide Recipiant, ac *Profiteantur* & *Laudent;* PROPTEREA *Singuli* perseverabunt in Fide & bono Opere, ac nunquam deficient in Terris *Te Celebrantes:* Et *Omnes* qui Te receperunt ac coluerunt, id facient in Cælis Glorificati sine fine & interminabiliter. Est enim inter Fidem Gratiæ & Aspectum Gloriæ nexus inseparabilis, ex Patris Decreto immutabili, Filii Sponsoris Merito infinito, ac Meâ in Electis Habitatione perpetuâ, ac Operatione efficaci *Jes.* LIX. 21. *Joh.* XIV: 16. *Ephes.* IV: 30.

XX. Continetur itaque hoc illustri Oraculo non una *Doctrina* Salutaris. Docet nimirum Spiritus: *Tum Extensionem successivam* Regni Christi, per *omnia* tandem totius Orbis terrarum Loca futuram: *Tum Perseverantiam* Fidelium singulorum, quos cum semel Recordari fecisset per veram fidem Nominis Christi, *propterea* illi in æternum Laudarent Eum: *Tum Indefectibilitatem Ecclesiæ* Christi in *terris*, duraturæ per *omnes Generationes* & omnia secula usque ad finem Mundi: *Tum* esse nunc, & futuram esse olim Ecle-

clesiam *Triumphantem*, in cælis Deum & Christum in *æternum Laudaturam: Tum* denique *Signa* inprimis *Messiæ;* Cujus *Nomen* celebre foret in toto Mundo, per Ministerium Verbi Ejus perpetuò duraturum, per Usum hujus Epithalamii, & per Professionem Credentium, qui Eum ut Immanuëlem, & Unicum Mediatorem suum ac Salvatorem celebrarent, & ab ipso denominarentur CHRISTIANI; Quæ Signa in Jesu Nazareno inveniuntur; a Quo denominamur CHRISTIANI, *Actor.* XI: 26, quod Nomen, quo gloriamur, & quod absque Spiritus Sancti singulari directione nobis non est impositum, nondum deletum est è terra; Cujus etiam Præconium per Euangelium hactenus durat, successivè in plurimis Orbis partibus auditum, etiam nunc in America prædicatum, ulterius certò per omnes Mundi regiones propagandum; & denique Cujus Ecclesia, quæ Ipsum ut Deum summum, promissum Semen Abrahami, unicum Mediatorem Sponsorem Caput ac Maritum suum quærit colit & veneratur, à Portis inferorum nondum est superata, nec superabitur unquam *Matth.* XVI: 18: *Tum* tandem *Signa* veri *Christianismi.*

XXI. Nempe Veri *Christiani*: *Cognoscunt* Christum in omni Excellentia Ejus, ut sibi Necessarium, cum omni Justitia Ejus ac Robore *Jes.* XLV: 23, 24, & ut sibi sufficientissimum Salvatorem *Psalm.* LXVIII: 20, 28. *Jes.* XXV: 9. *Joh.* VI: 68, atque Eum Fiduciali amplexu suum esse volunt ac desiderant: *Meditantur* de Eo frequenter cum admiratione, æstimatione, delectatione animi ac consolatione incredibili: *Commemorant Nomen* Ejus, non solum sese ab illo denominando, sed & in Nomine Ejus Deum continuè orando, atque dignè isthoc Nomine vivendo 2 *Tim.* II: 19: Denique, abnegata Justitiâ omni propriâ, carnis Concupiscentiâ, ac vanis Ratiociniis, Ipsum liberè *Profitentur* Unicum Servatorem, Dominum ac Magistrum suum, absque præpostero pudore, aut pusilli animi metu: *Laudant* illum jugiter, Illiusque Beneficia supra omnia extollunt,

ac de Communione gratiæ Ejus summopere, etiam in afflictionibus *Jac.* I: 2, lætantur: *Gratias* tandem Ei *agunt*, corde ore & opere, & propterea desiderant Gloriam cælestem, ut in eâ immortales Ipsi, sine intermissione, & sanctissimas, sine ullo defectu morali, Gratias referre possint.

XXII. Ex quibus *Signis* facile apparet, quod hoc Nomine *Christianorum* digni haud sint: *Qui* per Baalismum Pontificium, Sanctorum Sanctarumque cultum quotidianum, Nominis Christi Unici Mediatoris penitus obliviscuntur & oblivisci faciunt, coll. *Jer.* XXIII: 27: *Qui* per impiam & flagitiosam vitam aliis caussam & occasionem præbent Blasphemandi illud Nomen Christi *Rom.* II: 24: *Qui* Illud *Nomen Unum* datum sub cælo non invocant, nec *per Illud* ad Deum accedunt, Ejusque gratiam quærunt *Jes.* LXIV: 7: Imo *Qui* Illud proterve contemnunt *Malach.* I: 6, nunquam cum laude aut gratiarum actione commemorantes illud apud Deum & homines *Amos* VI: 10: Et tandem ingratissimi illi mortalium, *Qui* Euangelio Christi vocati & illuminati præ aliis Populis, nunquam tamen gratias Ei egerunt pro Magno hoc Externæ etiam Vocationis Beneficio. Hi sanè non sunt Christi, quia Spiritum Ejus non habent, qui recordari facit Ejus *Rom.* VIII: 9. Et Horum Recordabitur Rex Messias, sed in irâ tremendâ suâ, quando per Judicia sua Justissima sese in iis gloriosum reddet.

XXIII. Quam iram Filii Dei si effugere velint; Recordari debent: Tum Miseriæ suæ naturalis quamdiu sine fide in Christum verâ vivunt *Joh.* III: 36: Tum Temporis Gratiæ & Visitationis præsentis, ne illud absque fide & verâ resipiscentiâ præterfluere sinant: Tum *Nominis* Christi, seu Justitiæ Ejus Vicariæ ipsis necessariæ, & Euangelii Ejus ipsis hactenus prædicati: Tum Nominis *Christiani*, quod gerunt: Tum denique horrendæ iræ Divinæ quæ manet omnes non credentes in Filium. *Psalm* II: 12: Ut

sic

sic hodie Fide Eum recipiant Sponsorem suum, Eique se subjiciant Magistro ac Regi suo. Et hunc in finem Orent Eum, ut eorum Recordari velit apud Patrem, & Spiritum suum mittere, qui faciat ut tandem *Recordentur verè Nominis* Messiæ nostri, coll. *Jes.* XXVI: 13.

XXIV. Qui verò per Spiritus Gratiam *Signa* hæc, majori vel minori mensurâ, in se reperiunt: Humili animo Agnoscant Gratiam Spiritus Sancti, qui illos Recordari fecit Nominis Christi: Crescant in Cognitione Domini 2 *Pet.* III: 18: Vivant continuè in Fide Ejus *Galat.* II: 20: Meditentur jugiter cum admiratione & gaudio Personam, Officia, Status, Beneficia Mediatoris Divini: Nominis ejus Contumelias, Contemtum, Oblivionem apud plures acerbis lacrymis & cum animi dolore serio deplorent: Vivant dignè Nomine CHRISTIANI quod gerunt, ne propter eos unquam blasphemetur illud 1 *Pet.* II: 12: Libere illud Profiteantur absque metu hominum aut pudore præpostero: Lætentur Ejus communione magis quam ullâ re mundanâ vanâ & caducâ: Laudent & extollant Ejus Beneficia, ob Magnitudinem eorum, & Multitudinem, & Caussam Meritoriam, & Particularitatem, & denique ob æternam Durationem, ut finem Electionis suæ, & Redemtionis & Vocationis sic assequantur, & cæleste Beatorum Opus in his terris inchoent: Orent denique Triunum Deum, & nominatim Spiritum Sanctum, ut efficiat tandem ut *Omnes* populi Christum laudent & colant: & Spe tandem certa Expectent cælestem Gloriam, ubi laudes nostræ erunt sanctissimæ & immortales. Quando & certi esse poterunt; quòd professurus sit Christus Nomina eorum coram Deo Patre suo, nunquam eorum obliturus *Jes.* XLIX. 14, 15. *Malach.* III: 16. *Heb.* VI. 10, sed in Vita, in Morte, & in die Resurrectionis universalis Recordaturus in omnem æternitatem.

DIS-

DISSERTATIO DUODECIMA

DE

MOSE LEGISLATORE GRATIAM CHRISTI REDEMTORIS IMPLORANTE.

AD *Psalm*. XC. 16, 17.

I.



T repente veniet in templum suum Dominus quem vos QUÆRITIS, *&* *Angelus fœderis quem vos* DESIDERATIS, (ὃν ὑμεῖς θέλετε, LXX.), inquit Malachias Vates *Cap.* III. I. Christus, qui *Desiderium* est *omnium gentium Hagg.* II: 8. fuit quoque *Desiderium* Patrum sub V. T. omniumque Electorum ex *Israële.* Et quidem duplici modo. Desiderarunt enim Adventum ejus in Carnem ad Opus Redemtionis electi peccatoris perficiendum. Ita desiderarunt Eum, cum Abrahamo Patre credentium *Job.* VIII: 56. multi *Prophetæ Reges* ac *Justi Matth.* XIII: 16, 17. *Luc.* X: 24. totaque Ecclesia *Judaica*, quæ *Gravida clamabat parturiens Apoc.* XII: 1, 2. Sed & Desiderarunt Gratiam & Gloriam omnem, sibi tunc applicandam, propter vicariam Satisfactionem ab Ipso, vi Decreti ac Promissionis immutabilis, certo præstandam, & propter Justitiam seculorum ab Ipso adducendam. Sic Multitudo Credentium Veterum utrumque illud, & ut Messias Caussa salutis veniret, & ut ipsa Salus, ab Illo acquirenda & promerenda certò, sibi applicaretur, vehemen-

menter desideravit, *magis quam Custodes ipsum mane Psalm.* CXXX: 5, 6. Sic etiam moribundus Patriarcha Jacobus; & salutis Caussam, tempore præstituto venturam, semen illud Mulieris statim post lapsum promissum; & Salutem ipsam, sibi mox applicandam, flagranti desiderio expectavit *Gen.* XLIX: 18. *Salutem tuam expecto Jehova.* Sic quoque Moses Legislator, una cum Populo Israëlitico, cujus ori indidit Verba, petit in *Textu* hæc Duo; nempe ut *Opus* Redemtionis peccatoris Electi per Messiam in postremis diebus peragatur, in *versu* 16. יראה אל עבדיך פעלך והדרך על בניהם *Appareat Servis tuis Opus tuum, & gloria tua,* vel *decor tuus, super filios illorum:* deinde ut vi Redemtionis & Lytri â Messia certò solvendi sibi & populo credenti concedatur omnis illa Gratia & Gloria â Sponsore promerenda, in *versu* 17. ויהי נעם יהוה אלהינו עלינו ומעשה ידינו כוננה עלינו ומעשה ידינו כוננהו: *Et sit Amœnitas,* vel *Amabilitas,* vel *Gratia Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos: & opus manuum nostrarum confirma* illud!

II. Sic supponimus hanc esse *Orationem* Mosis Legislatoris, qui eam simul *Populo Dei* conscripsit, ut uteretur eâ in Fide ad consequendam salutem æternam. Et meritò: nam ita habet expresse *Inscriptio* hujus Psalmi *Hebraica* תפלה למשה איש האלהים *Oratio Mosis Viri Dei.* Præfixum *Lamed* in *Lemosche* heic non est nota *Dativi*, & *Objecti*, in cujus gratiam & usum conscripta esset hæc Oratio; ut *Lamed* accipi posset in *Inscriptione* Psalmi CII. תפלה לעני, & sicuti in Versione Græca hujus nostri tituli, quæ extat in Exemplari Alexandrino, accipitur, προσευχὴ Μωυσῆ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ. Nam nullum commodum sensum haberet hoc modo hæc Inscriptio: sicuti patet ex glossis Interpretum; quorum Alii dicunt esse Orationem *pro Mose*, id est *populo* Israëlis, cujus ille Dux & pars præstantissima fuit; Alii verò esse Orationem pro *Posteris Mosis* confectam, eisque traditam, ut eam decantarent in Sanctuario,

 con-

conferentes locum 1 *Chron.* XII: 27. ubi *Aharon* pro *filiis* ejus ponitur. Verum præfixum *Lamed* eſt heic nota *Genitivi*, & *Auctoris* hujus Orationis; uti recte tranſlatus eſt hic titulus in Verſione Græca, quæ habetur in Exemplari Vaticano, προσευχὴ τοῦ Μωυσῆ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ. Unde Hieronymus in Epiſt. ad Cyprianum; *juxta* LXX. *Oratio Moyſi hominis Dei.* Quod etiam ſecutus eſt Interpres Vulgatus. Certè eodem modo hic Titulus capi debet, ac ille, תפלה לדוד *Oratio Davidis* Pſalm. XVII. & LXXXVI., & תפלה להבקוק *Oratio Habakkuki Hab.* III: 1. Utrobique enim eſt, vel Enallege ſtatus abſoluti pro conſtructo, vel per ellipſin τοῦ שיש legi debet תפלה שיש למשה, & תפלה שיש לדוד *Oratio, quæ eſt Moſis, Oratio, quæ eſt Davidis*, uti bene adnotatum eſt â *Sontagio* de *Tit. Pſalm. p.* 244. Quemadmodum igitur nemo dubitare poteſt, quin *Oratio Davidis* & *Habakkuki* ſit Oratio a Davide & Habakkuko compoſita: ſic & nobis dubitare haud licet ſenſum hujus Inſcripſionis eſſe, quod Moses ſit *Auctor* hujus Orationis. Et quidem Ille Celebris Legislator, non alius aliquis Propheta ejusdem nominis, diverſus ab Illo Principe & Liberatore Iſraëlis, de quo conficto Moſe heic ſomniarunt nonnulli. Epitheton איש האלהים Viri Dei nos quoque ad nullum alium quam ad excellentiſſimum illum Prophetam ducit, qui iſthoc Elogio *Viri Dei* ſæpius inſignitus legitur *Deut.* XXXIII: 1. *Joſ.* XIV: 6. 1 *Chron.* XXIII: 14. 2 *Chron.* XXX: 16. Hic porro Magnus Propheta Moses hujus *Orationis Auctor* ſic perhibetur, non modò ratione materiæ & doctrinæ contentæ, de creatione Mundi & ira Dei propter peccatum hominis; nam ſic plures Pſalmi ob eandem doctrinam ex fonte Moſis hauſtam, ipſi inſcribi deberent: ſed etiam & magis ratione formæ & compoſitionis. Neque hujus Orationis *Auctor* ſic ponitur Moses, juxta erroneam Judæorum quorundam opinionem, qui ſerioribus temporibus hunc Titulum Pſalmo huic præfixiſſent; ſed ſecundum rei veritatem.

III.

III. Leontius Byzantinus contra Nestorium *Lib.* III. *Num.* 15. de *Theodoro*, ut putem, *Mopsuesteno*, plurimorum errorum Patre, refert, quod *Inscriptiones hymnorum* & *Psalmorum* & *Canticorum penitus ejecerit*, nempe ut mere humanas, a Spiritu Dei neutiquam profectas, & proinde non authenticas. In quo, si ad Titulos Psalmorum in Codice *Hebraico* repertos quoque respexerit, non solùm *temerarius* fuit ex judicio *Theodoreti*, sed & falsus. Idem tamen cum *Theodoro* & quidem apertè asserere haud dubitavit Vir Doctus & litteratus *Esromus Rudingerus*, gener quondam Joachimi Camerarii, qui vivo adhuc Philippo Melanthone in Academia Witebergica Philosophiam & Græcas literas docuit, postea in Moraviam translatus, *Euanzizii* ludo litterario Fratrum Bohemicorum præpositus, conscripsit *Paraphrasin Psalmorum*, quæ edita est Anno D. MDLXXXI. In *Protheoria* ad *Lectionem Psalmorum* priori Tomo præfixa ita generatim de Titulis Hebraicis scripsit: *pag.* 13. *Davidem quidem ipsum nullius inscriptionis auctorem esse nemo dubitat:* & *p.* . *Inscriptiones*, & *tituli*, *sunt* incuriosiores, inprimis in Chronicis, *qui* obscuritatem *etiam insuper habent* magnam & inexplicabilem, *ipsis etiam Hebræis fatentibus. Hoc quidem res ostendit*, & *declarabitur sæpe*, *ut* ordinem nullum in *Psalmis collocandis servatum*, *ita in* titulis *horum nimis* incuriose *esse annotata* & *omissa omnia*, *non tantùm in recentiore libro*, *quo Græci usi videntur*, *sed in* Hebræo etiam antiquiore illo, *quem hactenus omnes sequimur:* & *p* 12. *Nequaquam igitur alienum fuerit suspicari à primis Collectoribus*, *Esdra* & *aliis*, omnes Psalmos *sine ulla inscriptione*, *ulloque titulo autoris*, *temporis*, *aut modorum editos*, & posteriorum, atque Grammaticorum esse commenta, inscriptiones universas, *cum non doctissimi homines*, *aliquorum tempora* & *auctores parum feliciter inquirerent*, & *suorum temporum in templo Musicæ*, *prisca illa accommodarent. De quibus diversorum diversas conjecturas fuisse etiam ea arguunt*, *quæ Græci in suo libro Hebræo Psalmis aliquibus præscripta repererunt*,

& in græcam linguam transtulerunt. Nam Esdræ *talia σφάλματα tribuere alienissimum fuerit, ut supra monuimus. Confirmat hanc conjecturam hoc etiam quod* Arabicus Interpres in suo libro nihil reperit annotatum, *ut puto, quod præscriberet, apud quem* sine titulis *sunt* universi, *ut dictum est:* & denique *p.* 13. *Ego quidem sic suspicor, quorum Psalmorum autores exquirere non potuit, & ignoravit* prisca etiam illa posteritas, post Esdræ tempora, *eos illam vel Davidi, vel Salomoni, vel Coraidis, vel Asapho, inscripsisse, etiam Hemani, & Ethani, atque* Mosi *etiam, cum non essent ex antiquitate tota noti nobiliores Psalmigraphi alii. Non dissimili modo ab eo, quo Græci ad Palladam retulerunt, eique inscripserunt epigrammata ea, quorum qui autor esset, non constabat, quod Palladas esset in eo genere celeberrimus omnium.* Ibidem de hoc nostro *Psalmo* xc. speciatim dicit *pag.* 8. *Nonagesimus Mosi inscribitur, etiam ab antiquis, falsò, sine dubio:* & *p.* 10. *Qui autem* Mosi *adscribitur in veteri libro, numero* xc, quid habet Mosaicum? *aut cui hoc persuaserit Autor tituli illius* Judæus, Mosis *esse eum.* In Explicatione Paraphraseos hujus Psalmi xc, atque in Argumento ejus ita porro loquitur. *Mosis tamen Psalmum non esse, mihi quidem est indubitatum.* Et: *Nequid tamen dissimulem, sicut alias* multas aliorum Psalmorum Inscriptiones alienas *esse demonstravimus, neque ab antiquitate prisca,* sed posterioribus Judæis, non satis doctis, ideoque audacioribus *factas,* πεπαλαίας esse, *ita* hunc etiam Psalmum, *cum titulum non haberet,* ab aliquo in cogitantiore Mosi *inscriptam puto, neque priscam antiquitatem hoc unquam sensisse. Neque pro* Mosaico *eum habere* possum, *neque magis est* Mosaicus, *quam* xcii. Adamicus. *Inquo* adstipulatorem *habeo* Augustinum. *Et potest fieri, ut is idem, qui hunc Mosi inscripsit, illum etiam Adamo tribuerit. Verisimilius multò fuerit, magisque consentaneum,* Antiochici temporis Psalmum *esse existimare.* Cujus conjecturæ de *Antiochico tempore* quo confectus fuerit hic Psalmus, nullum aliud fundamentum reperi apud *Rudingerum*, quam hoc, quod *versu*

versu 15. agatur de *certis* quibusdam *diebus* & *annis*, quibus *afflicti* fuerant, & *malum viderant.* Nam ad hunc versum hæc adnotavit Ille. *Sed Mosaicum non esse non dubito, & Davidico etiam tempore recentiorem.* Macchabæos *autem exercuerunt* 25 annorum *persecutiones.* Quemadmodum etiam unam rationem modò ab ipso adductam video, ob quam Mosi abrogat hunc Psalmum, (quem tamen *nihil habere Mose indignum* ipsemet fatetur), nempe hanc quam petit ex *versu* 10,. & his verbis proponit. *Me quidem etiam versus* 10 *dubitare facit, an sit Psalmus Mosaicus, cum Mosis ætate nondum ita defecerit ætas hominis, ut maxima esset octogenariorum.*

IV. Verùm alii Viri Docti ac Pii Titulorum hebraicorum Psalmis præfixorum *Authentiam* agnoverunt, & haud contemnendis argumentis probaverunt; quæ videri possunt apud *Sontagium* de *Tit. Psalm.* p. 48. & *Carpzovium* in *Introductione* ad *Libros* V. T. *Poeticos p.* 128, 129. Mihi persuasum est, Inscriptiones Psalmorum Hebraicas, ut partem Canonis, ab Ecclesiâ Judaicâ, cujus fidelitas in asservando & custodiendo Canone laudatur in N. T, nobis esse traditas. Gratus agnosco Dei Bonitatem, qui Psalmis plurimis Titulos præfigere jussit, quibus Ecclesiam de Auctoribus secundariis, de Occasione scriptionis, Argumento & Dignitate Psalmorum monere voluit. Neque me de horum Titulorum Origine ac Auctoritate Divinâ dubitare faciunt Psalmi ἀνεπίγραφοι, numero viginti quinque; non magis quàm Epistola Pauli ad Hebræos, Inscriptione destituta, me movet ad dubitandum de Inscriptionibus reliquarum Epistolarum ejus, quibus se ipsum Auctorem earum declaravit. Et fortè Deus voluit quosdam Psalmos tantum, non omnes nomina Auctorum titulis præferre, ut doceret fidem Divinitatis Scripturæ ab Auctoribus secundariis non pendere. *Incuriosiores* esse titulos illos, *inprimis in Chronicis*, audio quidem dicentem *Rudingerum*; sed minimè probantem quod dicit. Respexit sic maxime, ut puto, ad

 Psal-

Psalmum LX. sed attente legens & relegens quæ scripsit ad illum Psalmum, nihil solidi offendi quod me coëgit dubitare de Tituli auctoritate. Repetit quidem in *Protheoria* jam dicta; *sed de titulorum hebræorum Chronicis notationibus, cur dubitetur, caussæ multæ sunt;* Verum has caussas non indicat. *Obscuritatis* præterea incusat Titulos Psalmorum, ut eorum auctoritatem elevaret. Sed hæc si obtineat in quibusdam titulis, qui Musicam & canendi rationem docent, non tamen in omnibus æque locum habet. Et hæc, quæ nunc nobis sunt obscura, olim Ministris Sanctuarii satis clara ac perspicua fuerunt, quibus in cultu Dei Israëlis solenni tunc inservierunt. Et denique *difficilia* quædam in Epistolis Paulinis harum divinam originem & auctoritatem non tollunt. *Alienos* quoque esse quosdam Titulos ait *Rudingerus*, quia scilicet Auctorem produnt, quem Psalmi Argumentum & Verba apertè respuunt. Uti *Psalmus* LXVIII. *Davidi* adscribitur in Titulo, sed *Templi* mentio *vers.* 30. Titulum erroris convincit. *Cum versus, ut nos numeramus* XXIX, inquit *Rudingerus*, *diserte Templi mentionem faciat, convinci ex hoc videtur, Psalmum Davidicum non esse, cujus tempore* Templum non fuit. *Itaque in hoc etiam Psalmo a titulo Hebræo recedere cogimur.* Similiter Psalmus LXXIV. dicitur esse לאסף. Sed *Asaphi* Davidici, de quo 2 *Chron.* XXIX: 30., & quem titulus respicit, esse nequit, quia *versu* 9. dicitur *non est amplius Propheta.* Ex quo infert Vir Doctus Psalmi hujus Auctorem non esse temporis Davidici, vel exilii Babylonici, sed *Antiochici* & *Maccabæorum.* coll. 1 *Maccab.* IV: 46. IX: 27. Malè profecto: quasi Auctor Principalis horum Psalmorum particularia quædam Ecclesiæ fata non prævidertit, atque ex prævisione infallibili prædicere non potuerit, coll. 1 *Maccab.* VII: 16, 17. Et periculosè sic pressit Doct. *Rudingerus* vestigia impii *Porphyrii*, qui ideo tantum contra Daniëlis Prophetiam calamum suum strinxit, quod evidentia illius convictus, animadvertit, *non futura in eo prædici, sed præsentia narra-*

rari, ut ait *Hieronymus* in Præfat. in Danielem. Quemadmodum & imprudenter plurimos Psalmos Antiochici & Maccabaici temporis esse contendit idem *Rudingerus*, quando Spiritus Prophetiæ & afflatus Prophetici deficiebant. Denique provocat sæpius ad *Arabicum* Psalmorum *Interpretem*, *apud quem sine titulis sunt universi* Psalmi, quia, inquit *Rudingerus*, *in suo libro nihil reperit annotatum*, *ut puto*, *quod præscriberet.* Respicit ad Psalterium Arabicum, vel quod Episc. *Nebiensis*, vel quod *Gabriël Sionita* edidit, de quo utroque testatur Clar. *Hottingerus* in *Thes. Phil. p.* 499. quod Interpres *neque Psalmorum* ἐπιγραφῇ, *neque instrumentis Musicis expressis*, *ad ipsam statim textus Davidici translationem accesserit.* Sed vana est hæc *Rudingeri* conjectura, quod hoc fecerit Interpres quia in suo *Codice Hebræo* Titulos præpositos non inveniebat. Incertum est an ex Hebræo versionem suam instituerit. *Exprimit*, inquit Cl. *Hottingerus* p. 278., *sæpissime editionem Græcam.* Haud est probabile Interpretem illum incidisse in Codicem, & Hebræum & Græcum, qui uterque Titulis Psalmorum erat destitutus. Aliâ itaque de causſâ Titulos omisit Ille. Et quam parum fidat huic suæ conjecturæ Vir Doctus, ostendunt satis ejus Verba ad *Psalm.* LX: pag. 151. *Et minimè improbo in Arabico Interprete*, *quod nullos titulos suæ Conversioni præposuit*, *sive ipse* proprio judicio hoc fecit, *sive liber de quo convertit*, *titulos nullos habuit:*

V. Sicuti ergo Tituli Psalmorum Hebraici pro *authenticis* haberi debent, ita & speciatim hæc Inscriptio *Psalmi* XC. *Oratio Mosis Viri Dei.* Quam Hebraicus Codex exhibet, & Versio Græca antiqua translatam ex Hebræo, quia in Codicibus Hebraicis, communi Ecclesiæ Judaicæ; cui haud multo ante Esdras cum reliquis Prophetis contemporaneis præluxerat; consensu comprobatis invenerant Auctores ejus. Cujusque authentiam non quidem negavit *Augustinus*, sed sensum ejus depravavit; negans Mosen

Mosen composuisse eam. Cum tamen alium sensum habere nequeat, quam quod Moses sit *Auctor Ejus*, & quoad Materiam & quoad Formam, uti supra dictum est. Quod quia sibi persuadere non poterant Aliqui, quia *Augustini* Aliorumque eum sequentium Expositionem coactam & alienam deprehendebant; hinc Tituli hujus αὐθεντίαν rejecerunt, â Mose, Davide, Esdra appositum negarunt, sed cuidam post Esdræ tempora *incogitantiori Judæo* cum *Rudingero* adscripserunt. Rationes verò, ob quas fidem Hebraicæ *Inscriptioni* abrogant, sunt quidem numero plures, sed pondere leves, nec ullo modo nos cogunt, auctoritatem ejus in dubium vocare. Et Primò quidem dicunt, non esse *Mosis*, quia non habetur in Pentateucho, nec ulla ejus, ut â Mose factæ & Israeli præscriptæ, ibidem occurrit mentio. Hauserunt hoc ex *Augustino*, qui in Enarratione hujus Psalmi ad *vers* 1. ita scripsit: *Non enim credendum est ab ipso omnino Moyse istum Psalmum fuisse conscriptum, qui ullis ejus litteris inditus non est, in quibus ejus Cantica scripta sunt.* Sed hæc ratio invalida mihi videtur. Non scripsit Moses omnia, & cum omnibus circumstantiis, in Pentateucho suo, quæ gesta sunt in Ægypto & deserto. Non commemoravit nomina Magorum *Jannes* & *Jambres*, qui obstiterunt ei in Ægypto, de quibus Paulus 2 *Tim.* III. 8. Neque in Pentateucho occurrunt illa Mosis in deserto verba pronunciata *Expavefactus sum & tremebundus*, quæ idem Paulus *Heb.* XII. 21. literis consignavit. Neque habetur ibi *Prophetia Henochi*, quam Apostolus *Judas* ex afflatu Spiritus Sancti Divinam esse agnovit, & *Epistolæ* suæ inseruit. Nulli tamen dubitamus, ob silentium Mosis de his omnibus, de authentia narrationis Apostolicæ. Sic etiam nobis dubitare non licet de *authentiâ* hujus *Tituli*, qui Mosi adscribit hanc Orationem; quia de illâ satis constitit Collectoribus Psalmorum, vel Davidi, vel Esdræ, vel Aliis ante Esdram Viris Dei, etsi Moses ipse in Pentateucho illius nullam mentionem fecerit. Scilicet Prophetæ olim, a Spiritu Dei acti 2 *Pet.* 1. 21, illa

illa tantùm inseruerunt Canoni Scripturæ, & illo tempore, quæ Spiritus volebat, & quando Spiritui placebat. Similiter & Euangelistæ multos conscripserunt Sermones Domini, non tamen illis permisit Spiritus Sanctus ut referrent dictum illud Domini, *Beatum est dare potius quam accipere*; quod Paulus adduxit, & ab Luca in Actis literis demandatum est *Act.* xx. 35. Optime Henr. *Mollerus de titulo* Psalmi hujus. *Ego cur titulum immutem caussam non habeo. Video enim complures Psalmos in hunc librum esse congestos, cum a Davide tum ab aliis compositos: quorum tamen in historiis sacris, ubi res gestæ recitantur, nulla fit mentio. Horum auctoritatem si elevare hoc Augustini argumento velimus, vix unus atque alter Davidi erit relinquendus.* Deinde ajunt quod *Ordo* Psalmorum obstet Tituli Auctoritati. Si enim prænominati illi Collectores Psalmorum credidissent, inquiunt, hunc Psalmum verè esse Mosaicum, omnibus reliquis ut antiquissimum illum præposuissent, & primo loco collocassent, non post octoginta novem alios recentiores præmissos. Verùm & hæc ratio minimè stringit. Conciones Jeremiæ, quas omnes divinitus inspiratas esse, & a Jeremia conscriptas, nemo dubitat, non sunt eo ordine digestæ, quem tempus, quo editæ sunt ab illo, postulabat, sed deprehenditur in iis πρότερον ὕστερον & ὕστερον πρότερον. Postquam enim recensuit excidium templi & regni Zedekiæ exitum, redit ad narrationem gestorum regis Jehojakim, qui tamen Zedekiam præcessit. Certè in digestione Psalmorum ordinem temporis, quo compositi sunt singuli, non fuisse observatum, liquet cum ex aliis bene multis, tum ex Psalmo III. & LIV, atque ex Psalmo LXXII, (quem circa inaugurationem Salomonis factum atque ad ultima Davidis verba referendum esse meritò judicant,) collato cum Psalmo CX, quem Davidis esse constat ex N. T. Collecti itaque videntur, atque hac serie dispositi, juxta ordinem temporis, non quo facti sunt; sed quo citius vel serius in manus Ministrorum Sanctuarii vene-

runt; aut quo successive in Templo solenniter decantari solebant, juxta conjecturam *Huetii* in *Dem. Euang. Prop.* IV. *Cap.* de *Lib. Psalm*: §.Iv.ubi scribit; *eo ordine fuisse ab Esdra & Synagoga magna digestos* Psalmos, *quo in Templo canebantur, prout nempe vel anniversariæ festivitates, vel sacrorum ratio postulabat. Atque inde esse*, conjicit, *quod collocatæ ab Esdra in ordinandis Psalmis operæ Ebræi non meminerunt: quippe Psalmos neque ipse, neque Synagoga magna digessit, sed quem in iis servari solere comperit ordinem, eundem retinuit.* Addunt alii in coordinandis saltem quibusdam Psalmis ad aliquam argumenti cohærentiam respexisse Collectores. Quemadmodum *Eusebius* Cæsariensis scripsit, sibi videri *hanc orationem Mosis post* Psalmum LXXXVIII (LXXXIX) in quo de *semine David* & *throno illi promisso prænunciantur* multa, *positam* esse *non sine consilio*, *quia* scilicet Collectores Psalmorum *Populi* Israelis *post Adventum Domini abjectionem* finalem *subindicare censebant.* In quo tamen sequi Ipsum nequeo, quia Moses, non in Persona populi hodie abjecti, ut vult *Eusebius*, sed olim in Deserto oberrantis & cum magnis calamitatibus conflictantis, loquitur. Tandem, ut alias levissimas rationes nunc prætercam, *quid habet Mosaicum Psalmus* XC? rogat *Rudingerus*; imo addit, habere aliquid quod Mosis tempori manifestè repugnet, nimirum *vers.* 10, ubi *maxima ætas hominis* statuitur esse *octogenarii*, cum tamen Moses & Aharon octogenarii erant ambo cum ad Regimen Populi & Sacerdotium a Deo vocabantur: & non sit credibile, electos â Deo fuisse ad hæc gravissima munera homines decrepitos, sed quorum ætas adhuc satis vigens matura atque ad res magnas gerendas satis apta erat atque idonea. Idem urget valdè *Bellarminus. In hoc Psalmo*, inquit, *definitur vita hominis*, *ut plurimum annis* LXX & *in robustioribus annis* LXXX: *at Mosis tempore plurimi centesimum annum transcendebant. Ipse enim Moses obiit annorum* CXX &c. Ad hoc argumentum respondent nonnulli, quod Moses ut Propheta præviderit sequentibus

bus temporibus homines haud ultra ſeptuageſimum vel octogeſimum annum *in Vigore* manſuros eſſe. Sed hæc reſponſio non placet, quia non agitur de Vigore ſed *extrema duratione vitæ*, neque de Univerſi generis humani calamitatibus, ſed *Iſraelitarum* in Deſerto; quorum illi, qui poſt illam Dei ſententiam, *Num.* XIV: 29 — 34 anno ſecundo poſt Exitum latam, trigeſimum aut quadrageſimum annum attigerant, LXX tantùm, vel ad ſummum LXXX annos, vel paullò ultra, vivere poterant. Retorquemus itaque hoc telum in Adverſarios, atque ex hoc *verſu* 10. colligimus potius hunc *Pſalmum eſſe Moſaicum*, atque ori Iſraelitarum eſſe inditam a Moſe hanc Orationem, in quâ conqueruntur de hac calamitate *ſua*, *ſibi propria*, cui ſimile nunquam in ulla gente aut ætate hominum fuerat aut futurum erat Exemplum; dicentes ſingulari cum emphaſi, *Dies* ANNORUM NOSTRORUM; quomodo ſe manifeſte ab omnibus aliis populis reliquiſque mortalibus diſtinguunt, de quibus in *tertia perſona* locuti fuerant *verſ.* 3, 4, 5, 6, vitæ eorum brevitatem ac calamitatem commemorantes. Quando ergo rogat *Rudingerus*, *quid habet Moſaicum* Pſalmus iſte XC. reſpondemus ipſi; hoc habet *Moſaico tempori* plane *peculiare* & *proprium*, quod in *verſu* 10 narratur: ad quod etiam reſpiciunt *dies* & *anni* illi *certi* magnæ afflictionis populi, qui nominantur *verſ.* 15; & qui ſunt, non 25 *anni* perſecutionis Antiochi Epiphanis, ut inepte vult *Rudingerus*, ſed 40 *anni*, quibus pœnam iniquitatis ſuæ ferre debebat Natio deſerti illa ferox & immorigera *Num.* XIV: 33, 34. Præterea habere *aliquid Moſaicum* hunc Pſalmum diſcere potuit a Magno *Luthero*, cujus verba in *Enarratione* hujus Pſalmi ſunt profectò notatu digna. *Præſentem autem Pſalmum Moſi eſſe, non titulus tantum, ſed ipſa dictio, res ipſæ & tota Theologia ejus arguit. Magnitudinem* enim *iræ divinæ* prædicare, quod fit *verſ.* 11, & *rudiori* penicillo opus Redemtionis per *Chriſtum* venturum depingere, quod fit *verſ.* 16, 17 *Moſaicum* eſt; & pertinet ad Miniſterium Condemnationis & ad Pædagogiam legalem. Unde,

recte pergit *Lutherus*, *qualis*, inquit, *est Moses in docenda lege*, *talis est hic in Orando.* Digna etiam sunt Verba *Amyraldi*, in *Argumento* hujus *Psalmi*, quæ adscribantur. *Cæterum quemadmodum hæc oda antiquissima est*, *sic etiam* antiquitatis *genium & characterem quam maximè redolet. Gravis est*, *majestatis & auctoritatis plena*, *paulò concisior*, *variis similitudinibus ornata*, *splendida figuris*, *sed raris illis*, & *parum usitatis*, *& ad quarum intelligentiam extrordinaria quadam animi attentione opus est.*

VI. Mosis itaque est hæc *Oratio*, ut Auctoris: (non item *decem* sequentes Psalmi, ut vult Hieronymus cum Rabbinis) Hoc docet titulus authenticus Hebraicus, cujus auctoritatem perperam confundit *Rudingerus* cum traditione & glossis Rabbinorum, qui *Psalmum* XCII. *Adamo* tribuunt; nam hoc non faciunt ex auctoritate Tituli, sed ex propria & vanâ conjectura. Loquitur autem *Moses* in hac *Oratione* in *Persona Populi Israelitici*; non in Babele captivi futuri, ut *Basilius* & *Theodoretus*; neque hodie rejecti & per totum Orbem dispersi, quod *Eusebius Cæsariensis* voluit; sed in *Deserto* per 40. annos oberrantis. Cui tradidit eam, ut describeret, & usurparet quotidie, atque sic documentum fidei & resipiscentiæ ederet. Hoc dudum adnotavit Chaldæus Interpres, quod sit *Oratio Mosis Prophetæ Domini*, *quâ oravit*, *quando peccavit populus domus Israelis in deserto.* Optimè *Trem.* & *Jun* in Notis. *Videtur autem Mosche hanc Orationem conscripsisse populo*, *quum reversis exploratoribus Num.* XIII. XIV., *populus obmurmurasset Deo*, *& Deus sententiam mortis dixisset majoribus viginti annis*, *ut hoc saltem haberent ederentque documentum resipiscentiæ suæ*, & *saluti suæ abjectæ prospicerent.*

VII. Hoc ordine verò procedit Moses. I. Præmittit Fundamenta Invocationis Dei a populo instituendæ *vers* 1: 2. II. Judicii divini præsentis Magnitudinem & Justitiam confitetur & exponit *vers* 3—11. III. Petit; *tum* divinam Instructionem, ad salutarem Judicii hujus usum necessariam

riam *vers* 11.; *tum* Judicii hujus corporalis Ablationem, & Boni oppositi corporalis Collationem, quâ post has tenebras diuturnas tandem lætum *Mane* exoriretur populo, in terram promissam tandem ingressuro *vers* 13, 14, 15; *tum* denique, quia ab opere Redemtionis Messiæ pendebat omnis salus populi, & corporalis & spiritualis, petit sibi & populo resipiscenti *salutem spiritualem* ac *æternam*, una cum *caussa* ejus *meritoriâ*, *Adventu* sc. Christi in *carnem*, ad *Opus Redemtionis* per vicariam satisfactionem perficiendum, de quo sic simul ut *Vir Dei* & magnus propheta vaticinatur *vers* 16, 17.

VIII. *Duo* itaque petit Moses una cum populo in Textu. I. *Caussam* salutis, seu *Missionem* Messiæ Redemtoris, ut perficiat divinum Redemtionis *Opus*, per vicariam satisfactionem in Concilio Trinitatis decretam, *vers* 16. *Appareat servis tuis opus tuum*, & *gloria tua super filios illorum.* II. *Effectum* ejus, seu *salutem* ipsam, omnemque *gratiam* & *gloriam*, sibi & credenti populo applicandam propter illud Divinum *Redemtionis opus*, certò ab Angelo Fœderis perficiendum. *vers* 17. *Et sit Amabilitas* (vel *gratia*) *Domini Dei nostri super nos*, *& opus manuum nostrarum fac stabile super nos: & opus manuum nostrarum confirma illud.*

IX. Quod ad PRIMUM attinet, salutis omnis CAUSSAM desiderans alloquitur JEHOVAM, disertè nominatum *vers.* 13. שובה יהוה *Revertere* JEHOVA. Ita Deum *Triunum* compellat, cui omnia opera Divina ad extra, ut vocant, sunt communia; & speciatim *Filium Dei*, Angelum illum Domini, qui ipsi apparuit in Rubo, dixitque illi, *Ego* sum *Deus Patris tui*, *Deus Abrahami*, *Deus Isaaci*, *& Deus Jacobi*, ... JEHOVA *Deus Patrum vestrorum* ... *hoc* est *nomen meum in seculum*, *& hoc memoriale meum*, *in omnem ætatem Exod.* III. 6, 15, 16. Huic tribuit *opus singularissimum*, פעלך OPUS TUUM. Hoc capi debet in summa emphasi. Multa sunt Dei Opera, *omnia* ipsi *nota* ab æterno *Act.* XV. 18. Sed hîc loquitur non de *operibus* Dei in plurali, uti malè habent LXX.

& *Vulg.* sed in *singulari* de *Uno* eximio quodam opere Dei. TUUM, inquit, *opus*, quod nempe a *Te solo* peragi potest, & *immediatè* peragetur, quodque tibi soli est *proprium*, distinctum ab opere humano omni, a nudo homine perficiendo, quod NOSTRUM appellat *vers.* 17 *Et opus manuum* NOSTRARUM *fac stabile super nos*, &c. TUUM porro *opus*, quod a Te non modò ab æterno decretum est, sed etiam in tempore dudum Patribus nostris *promissum*, quodque proinde ex Tua Promissione *cognoscimus*, & supra omnia *desideramus*, ut nobis ad æternam salutem absolutè necessarium; & in quo propterea, ut *summam* omnium nostrorum votorum continente, *finimus* has preces nostras. Tribuit ipsi præterea *Opus gloriosum* cum addit והדרך. Et GLORIA TUA, uti bene *Hieronymus*. Duo substantiva heic junguntur, ut sæpe alias, ita ut posterius sit loco adjectivi. Sic *Imago* & *similitudo* est *imago simillima Gen.* I: 26. *Nomen* & *gloria* est *Nomen gloriosum* 1 *Chron.* XXII: 5. *Salus* & *Gloria* est *gloriosa salus Jes.* XLVI: 13. *Regnum* & *Gloria* est Regnum gloriosum 1 *Thess.* II: 12. Sic quoque *Opus* & *Gloria* est *Opus Gloriosum*, quod a *Domino gloriæ* ipso erat perficiendum, Dei *Glorias* 2 *Pet.* II: 10. seu Gloriosas Virtutes manifestaret, & quod in *Honorem* ei cederet quam maximè, à populis ipsi propterea deferendum. Hoc porro Opus Gloriosum Dei foret quoque *Visibile* & in oculos incurrens. Nam dicit יראה APPAREAT, OSTENDATUR servis tuis, & CONSPICIATUR ab iis. Sic verbum ראה, cum אל constructum, alibi de rei visibili apparitione, quâ omnium oculis, & conspectui objicitur, & clarè videtur, cum mentis convictione & animi affectu debito, adhibetur *Levit.* IX: 4. 6. 23: *Num.* XVI: 19. &c. Atque adeo sic petit Moses ut publicè hoc Opus gloriosum peragatur a Deo, ita ut oculis corporis videri posset: imo ut peractum ita, publicè quoque annunciaretur & prædicaretur, cum fructu *intuitus fidei*, & cum affectu amoris & timoris Dei decente, & ita ut oculus corporis cum

eum illo fidei ad salutem æternam, saltem in aliquibus, conjungatur. Non erat autem Opus Præteritum, sed *Futurum*. Vox יראה est in futuro posita, *Apparebit*, *Videbitur*, *Conspicietur*. Quod si retineamus, *Moses Vir Dei* heic prophetaret de hoc Opere certò *futuro*. Sed præstat ut Futurum capiamus pro *Imperativo* optantis. Sic יאבד *peribit* est idem ac pereat *Job* III: 3. ישקני *Osculabitur* me, est idem ac *Osculetur me*. Et hoc maxime obtinet ubi Imperativus futurum præcedit & sequitur, ut heic fit *vers.* 13, 14: 15. & *vers.* 17. Quando heic est Votum quidem, sed Propheticum, adeo ut Imperativus precantis simul cum prædictione Prophetantis concurrat. Neque tamen hoc Opus erat *paulo post* futurum, sed *diu post tempora Mosis extiturum*; perficiendum tamen in *Medio populi Israelis*, in terra promissionis adhuc habitantis. Hinc dicit Moses; *Appareat* אל עבדיך Servis Tuis (confer quoad sensum phrasis *Gen.* XII: 7. *Exod.* VI: 2.), & conspiciatur ab illis; & *Gloria tua* על בניהם Super Filios Illorum. *Servi* Dei heic sunt *Israelitæ*, redemti à Deo ex Ægypto *Levitic.* XXV: 42: 55. Non Israelitæ *tunc viventes*, de quibus *vers.* 13, *& pœniteat te propter servos tuos*: nam hi *tunc viventes*, pronomine primæ personæ *Nos*, diserte distinguuntur ab *his servis* Dei in tertia persona nominatis, quando dicit Moses in *versu* sequente 17 Et *sit Gratia Domini Dei nostri super* Nos. Sed sunt *Israelitæ* in Terra Canaan *postea victuri*. Nec tamen sunt *proximè post* victuri, sed *longe post*, in ultimo dierum Oeconomiæ Veteris. Ideo addit *Filios illorum*. *Servi* Dei heic sunt itaque Israelitæ *post extituri*, distincti a populo deserti, quem pronomine *Nos* in vers. 17 designavit. Et *Filii illorum* sunt *Israelitæ ultimi temporis* Oeconomiæ Mosaicæ. Atque adeo sensus est; Appareat Opus tuum Gloriosum *Servis tuis*, id est, *Filiis servorum tuorum*, seu posteritati nostræ longe post extituræ, *in Terra promissâ* tamen, & manente Sceptro ac Legislatore Judæ, atque *discrimine Gentium*

tium adhuc locum habente, quo Israelitæ, ut *Servi Dei soli*, ab aliis gentibus rejectis distincti forent, singulari Dei privilegio. Eodem sensu legitur de *semine servorum* Dei *Psalm* LXIX: 37. de *filiis servorum* Dei *Psalm* CII: 29, & de *Filiis* ac *Filiabus* Israelis *Joel*. II: 28. *coll.* cum *Act*. II: 39. Nec præterire possumus voculam על, quando dicit Moses, *Appareat* על בניהם Super *Filios* eorum, quasi ex *alto*, & *de Cœlo demissum Donum*; quam emphasin non respuit sed admittit præpositio illa.

X. Loquitur ergo Moses de *Opere* Dei *Singulari*, *Glorioso*, *Visibili*, *Longè Post futuro*, in *Medio* populi *Israelitici*, hactenus distincti ab aliis omnibus gentibus, *perficiendo* & *manifestando*, & quidem per Divinam Personam *desuper* ex *alto* descensuram; & denique de opere Dei *Necessario* peccatori, quo solo nititur *Gratia* ejus & *Favor* erga Peccatorem *coll. vers*. 16.; atque ideo quoque de *Desideratissimo Opere*, ab omnibus piis, ab initio mundi, expetito & sperato; quare Moses in hoc *Opere Dei finit Orationem* hanc suam, tanquam in quo omnium desideriorum suorum esset *Consummatio*.

XI. Ex hisce Characteribus & signis haud difficile erit nunc porro colligere ac determinare, quod & quale *Opus Dei* heic intellexerit Moses. Nempe Hoc Opus Dei, *non* est *Opus Creationis*, non sunt *Cœlum* & *Terra*, quæ *Opus* & *Opera Dei* dicuntur *Psalm* VIII: 4. 7. CII: 26. CIV: 24: quia hoc non futurum sed *præteritum* erat *Opus* Dei tempore Mosis. *Neque* est Opus Divinæ *Providentiæ Præsens*, de quo *Eccles*. VII: 13. Quamvis verum sit, hæc esse Opera Dei Gloriosa, in omnium oculos incurrentia, & videri ea debere à nobis, ita ut gloriam Creatoris ex iis cernamus & celebremus *Psalm* XIX: 1. CIV: 24: *Jes*. XL: 26. *Rom*. I: 20. *Neque* etiam hoc *Opus Dei* est ipse *Populus Israel*, qui vocatur *Opus Dei*, ut volunt aliqui, *Habakkuki*, III: 2.; aut *Ecclesia* Electorum & Credentium, quæ Dei ποίημα dicitur *Ephes*. II: 10. ad quam videtur respexisse *Augustinus*: *Ipsi*

Ipsi enim Servi tui, ait, *Opera tua sunt. Non solum ut homines sint, sed etiam ut sint Servi tui, id est, obedientes jussis tuis.* Nam hoc *Opus* Dei à *Populo* hoc, & *a Servis* Dei horumque *filiis* apertè distinguitur, ut ab iis *conspiciendum*. *Neque* porro est *Opus Liberationis* hujus Populi ex Ægypto: quod quidem *Magnum Opus Dei* dicitur *Deut.* XI. 7. *coll.* cum *vers.* 3: 4: 5, sed jam erat *præteritum*. *Neque* est *Opus*: Vel *Defensionis* totius *Ecclesiæ* in cruce & calamitatibus, ac *Liberationis* ex iis, quod *proprium Dei Opus* est, inquit *Mollerus*, *sicut calamitates & pœnæ alienum Opus ab Esaia dicuntur cap.* 28. Nam hoc *omni tempore* operatur Deus, qui *depauperat* & *ditat*, *deprimit & extollit* 1 *Sam.* 11: 6: Vel *Sustentationis* Populi miraculosæ in deserto, quod *Dei Opus*, פעל *Psalm* XCV. 9. & מעשה *Psalm* CVI: 13. appellatur. Quia hoc rursus non futurum, sed *præsens* erat. *Neque* est *Opus* Divinum *Introductionis* Populi in terram promissam, cum multa gloriæ demonstratione. Quod quidem *Magnum Opus Jehovæ* dicitur, Israeli *ostensum Jos.* XXIV: 31. *Judic.* 11: 7. 10, & celebratur à Psalte *Psalm.* XLIV: 2, 3, 4; sed hoc non erat *longè post* tempora Mosis, sed proximè post *futurum*. *Neque* etiam est *Opus Liberationis* ex *Babylone*, & Reductionis *Filiorum* horum Servorum Dei ex illa Captivitate, uti vult *Basilius*. Nam nihil de Captivitate illa futura præmissum erat in hac Oratione, sed tantùm de Calamitatibus Populi in Deserto actum *vers.* 7 — 11. *Neque* tandem est *Opus Tabernaculi*, cujus constructionem ac consummationem, & felicem omnium Operum Levitarum in eo successum sic petiisset Moses, quem volunt quoque hisce *iisdem Verbis* esse usum in illa *Benedictione*, quâ *Benedixit* ille filiis Israelis, postquam Opus Tabernaculi totum ita confecissent, prout Jehova jusserat *Exod.* XXXIX. 43. Ita *Nicolaus Lyra* cum *Jarchio* & aliis. Nam hoc *Opus* Tabernaculi erat Opus *Humanum*, *Manufactum*, & ταύτης τῆς κτίσεως *Hebr.* IX: 11. 24: Probè distinguenda sunt in hac Clausulâ Orationis

 Mo-

Mosaicæ, *Opus* TUUM, seu Divinum, & *opus manuum nostrarum* seu Humanum. Ad hoc referri posset Ministerium Levitarum in Tabernaculo, sed non ad illud, *Opus* TUUM seu *Divinum*. Deinde hoc Opus *Divinum* erat *longè post futurum*, & seris nepotibus demum ostendendum: verùm Tabernaculum jam erat constructum, ceu patet ex *Exod.* XL: 17 *Num.* VII: 1 IX: 1 X: 11 *coll.* cum *Num.* XIII & XIV, ubi historia illa narratur, quæ Mosi ansam dedit ad conscribendam hanc Orationem.

XII. Verùm hoc *Opus Dei* est MISSIO *Messiæ* in Mundum, INCARNATIO Filii Dei æterni, Actualis REDEMTIO Peccatoris Electi per *vicariam* Divini Redemtoris *Satisfactionem*, & per λύτρον illud quod invenerat *Job.* XXXIII: 23, 24. Huic *Operi* Divino conveniunt omnes illi *Characteres* ex Verbis Textus supra notati. Hoc *Opus Dei* per excellentiam vocatur *Joh.* IV: 34. *Esca mea est exequi voluntatem ejus qui misit me*, *& consummare* IPSIUS OPUS. *Joh.* XVII: 4. *Ego te glorificavi in Terra*: OPUS *consummavi quod* DEDISTI MIHI UT FACEREM. Et revera est Opus *Dei* SINGULARISSIMUM, & inde *à seculo inauditum Jes.* LXIV. 4. 1 *Cor.* II: 9. Opus DIVINUM, a *Solo* Deo Divinaque persona peragendum *Jerem.* XXX: 21. *Hos.* I: 7. *Act.* XX: 28. 1 *Joh.* I: 7. A Deo inde a Paradiso *Promissum Psalm.* XL. 9. *Luc.* I: 70; est enim ipsa *capitis serpentis* per *Semen* mulieris *Contritio*, de qua *Gen.* III: 15; & hinc â Patriarchis, a Jobo & Elihu *Job.* XIX: 25, 26, 27 XXXIII: 23, 24, & â Mose *Cognitum Heb.* XI. 26, 28; ab ipso ut Magno Propheta Prædictum *Joh.* V: 46 *Luc.* XXIV: 27: 44, atque totâ ejus Oeconomiâ Legali Adumbratum *Rom.* X: 4 *Heb.* VIII: 5 *Coloss.* II: 17. Quodque & heic prædici ab illo vel ideo minus mirum videri debet, quia in *Inscriptione* haud absque Caussâ vocatur *Vir Dei*, id est *Propheta* Eximius. Imo est hoc *Opus Necessarium* plane ad electi peccatoris salutem, & expiationem peccatorum veram, quam rivi sanguinis brutorum, aut hominum etiam, efficere non poterant *Heb.* X: 4.

Psalm.

Psalm. XLIX: 8, 9 *Matth.* XVI: 26. Et propterea hoc Opus a Patribus tantoperè *Desideratum* fuit, ut supra § 1. diximus. Est præterea hoc *Opus Dei* GLORIOSISSIMUM. *Quia* peragendum erat ab ipso *Domino Gloriæ* semetipsum oblaturo in Victimam piacularem *Jer.* XXXI 21. *Quia gloriosæ* Dei Virtutes in eo & ex eo patefierent *Jes.* XXXV: 2. LX: 1, 2, 3, infinita Ejus potentia *Jes.* VII: 14, imperscrutabilis sapientia *Ephes.* III: 10, infallibilis veritas *Jes.* XL: 5. *Luc.* I: 69, 70, & inprimis incomparabilis misericordia erga peccatores *Luc.* I: 78, atque simul tremenda Ejus justitia in Sponsore demonstranda *Jes.* VI: 3. *Rom.* III: 25, 26. *Quia* denique hujus Operis *sequelæ* forent *Gloriosæ*. Post peractum Redemtionis Opus Messias gloriose resurgeret; *Gloria* & *honore coronaretur* Psalm. VIII: 6, 7; *Quies* Ejus ab hoc Opere laborioso foret *Gloria Jes.* XI: 10; *Spiritum Gloriæ* effunderet in omnem carnem *Joël* II: 28; gentes vocaret ad fidem in se *Jes.* XI: 10, ac justificaret per fidem illam *Gen.* XXII: 18 *Jes.* LIII: 11, quæ ipsi *Gloriam* darent, & Nominis Ejus *recordarentur* cum laudibus perpetuis *Psalm.* XLV: 18 LXXII: 17. *Quia* tandem *Finis* hujus Operis non est ut peccatis indulgeant Redemti, sed ut ad Dei Redemtoris *Honorem* sanctè vivant in æternum *Jes.* XLIII: 20 LX: 21 *Gal.* II: 17, 18, 19 *Tit.* II: 14. 1 *Pet* II: 24, 25. 1 *Cor.* VI: 20. Est porro hoc *Opus Dei* VISIBILE, & *publicè peragendum* coram omnium oculis. Deus in carne assumta sese *manifestaret* verbis & factis Divinis *Jes.* XL: 5 *Revelabitur Gloria Jehovæ*. *Publicè* moreretur Messias, & pretium Redemtionis solveret, *pœnamque exemplarem* מוסר supplicii crucis ferret *Jes.* LIII: 5 *coll.* cum *Rom.* III: 25, 26. Hinc Messias crucifixus conqueritur, OMNES VIDENTES ME *subsannant me; diducunt labrum, movent caput Psalm.* XXII: 8. Et quod hoc Opus Redemtionis per Messiam in *omnium conspectu* esset perficiendum, indicare videtur David *Psalm.* XXXI: 20. Publicè quoque erat *Annunciandum* hoc Opus per Euangelium ex *Tzijone* proditurum *Jes.* II: 4. XL. 12, 9 LII:

7; & *Fide* recipiendum ab Electis numero paucioribus, servatis & *Custoditis* in *Israële* *Jes.* XLIX: 6. *Zach.* XII: 10. Erat denique tempore Mosis & Israelitarum in Deserto hoc Opus LONGE POST FUTURUM. & seris nepotibus eorum demum ostendendum, *Gen.* XLIX. 1, 10. *Num.* XXIV: 17. in *medio* tamen *Israelis*, ut populi Dei peculiaris, â reliquis Gentibus hactenus discreti, & qui solus titulo *servorum Dei* gaudebat, peragendum; juxta Oracula alia Prophetica *Deut.* XVIII: 15, 18 *Jerem.* XXX: 21. *Mich.* V: 1 *Zach.* II: 10. VIII: 3, quæ dicunt Messiam ex Israele proditurum, atque in medio ejus habitaturum. Quibus addi debent & alia, quæ *Opus Redemtionis* â Messia *ibidem* perficiendum, per sui ipsius Oblationem Vicariam, prænunciarunt. Huc pertinet non modò Illustre Vaticinium Danielis *Cap.* IX: 24, 25, 26, sed etiam antiquissimum illud ab Abrahamo uni ex Montibus Morijæ inditum Nomen, *Jehova Providebit*, atque hinc derivatum Oraculum, *in Monte Jehovæ providebitur*, id est procurabitur salus Electorum per Messiam, qui in uno montium Morijæ, nimirum Golgotha, se offeret in Victimam piacularem pro peccatis eorum. *Gen.* XXII: 14. De quo loco egimus in *Dissertationibus* nostris *Leidensibus*. Tandem de hoc *Opere* Filii Dei; de cælo descensuri, carnem assumturi, & se in ea manifestaturi, atque morituri ad expianda peccata; cum emphasi adhibetur illa phrasis, *Ostendatur* על SUPER *Filios servorum tuorum*. Nam Messias *desuper* veniret atque ex *alto*; cujus *Figura* illustris erat *columna nubis & ignis*, quæ erat *super Tabernaculum* *Exod.* XL: 38, & super Populum *expansa pro tegumento* *Psalm.* CV: 39: ad quam fortè heic alluditur a Mose, petente, ut, non Figura, sed Res significata ipse Messias, *Gloria Jehovæ*, manifestetur *Jes.* XL: 5, *desuper* ex Cælo veniat, Tabernaculum carnis assumtæ impleat, & *super* Populum suum, *Filios servorum suorum* dona Spiritus sui effundat.

XIII. Omnes itaque *Characteres* hujus *Operis Dei* nobis non permittunt cogitare de alio aliquo divino Opere heic in-

indicato, quam de *Opere* hoc *Glorioso* Missionis Messiæ in Mundum, ac Redemtionis nostræ & Expiationis peccatorum nostrorum per Eum faciendæ. Sed fortè dicet aliquis, quid *hoc Opus* ad Mosen? cur illud vehementer adeo desiderat *Legislator* Israëlis, Christo oppositus *Joh.* I: 17, & qui Legem, observandam ad expianda peccata & ad acquirendam salutem, multiplicem præscripsit populo? Respondeo: Lex *infirmata* est *per carnem* seu peccatum *Rom.* VIII: 3, *non potest vivificare* peccatorem *Gal.* III: 21, nec *sanguis taurorum & hircorum auferre peccata Heb.* X: 4, *carnem* modò purgans, non *conscientiam Heb.* IX: 13. Cerimoniæ erant *Umbræ*, cum naturalibus Umbris in eo similitudinem habentes, quòd Corpus adventurum præfigurarent, & vicariam per Messiam præstandam satisfactionem prænunciarent. Cujus certò futuræ Vis Mosi opus erat ad salutem æternam. Hic quidem; ut Minister *condemnationis* 2 *Cor.* III: 9, *describens Justitiam quæ est ex Lege Rom.* X: 5, *Opponitur* Christo *Joh.* I: 17; & *Comparatur* Illi ut *Propheta* eximius *Deut.* XVIII: 15: 18; sed simul ut *Minister* Ecclesiæ, *Domûs Dei*, & ut *Testis* agendorum per Messiam, ac vicariæ satisfactionis per Illum præstandæ, *Subordinatur* Christo *Heb.* III: 2, 3. *Joh.* V: 46. *Luc.* IX: 30, 31; & denique ut Electus *Peccator* salvari debuit per *Gratiam Christi*, *fide* apprehensi, *Act.* XV: 10, & arctissime cum Illo *Unitus*, salvatus est *Heb.* XI: 26, & *Pars Domus* Ejus, ac insigne Membrum Ecclesiæ fidelium extitit *Heb.* III: 3. Hujus *Fidei* suæ in Messiam Redemtorem venturum documenta dedit; quando *benedicens* Filiis Israëlis pro Josepho petiit רצון *Gratiam inhabitantis rubum Deut.* XXXIII: 16, & quando in hac *Oratione* suâ, *pro Se* & *Populo* Deserti, eandem *Gratiam Domini nostri Christi*, *vi lytri* ab eo solvendi olim pro omnibus Electis, imploravit.

XIV. Ita enim à *Caussa salutis venturâ* descendens ad

EFFECTA pergit in Oratione suâ *vers.* 17. *Et sit* נעם *Amœnitas, Amabilitas, Gratia Domini Dei nostri super nos* &c. Quod ad hoc *Secundum* Petitionis Ejus *membrum* attinet; *Generalius* orat *Gratiæ* salutaris omnis *Communicationem*: *Et sit Amabilitas* vel *Gratia Domini Dei nostri super nos.* Deinde *Specialius*: *Tum* ut *Conservet* Deus *Vitam Spiritualem Gratiæ* in suis ad omne bonum *Opus* faciendum: *Et Opus manuum nostrarum fac stabile super nos*: *Tum* etiam ut *Fortunet* ipsis Deus omnia incæpta ac *Opera* eorum, etiam in *Ecclesia*, *Civitate*, ac *Oeconomia* peragenda: *Et Opus manuum nostrarum confirma illud.*

XV. *Generalius* petens omnis *Gratiæ* & *Gloriæ*, ab Divino Redemtore promerendæ, *Communicationem*, connectit hanc suæ Orationis *Posteriorem* partem cum priori, & sic *Effectum* Gratiæ Divinæ cum *Caussa* ejus, per copulam ו, ויהי ET *sit*. *Objecta* porro, pro quibus nunc orat designans, non utitur *tertiâ personâ* ut ante, dicens, *sit super servos tuos*, & *Filios eorum*, sed *primâ*, עלינו *super* Nos, *Me* & afflictum hodie *Populum* Deserti. Huic enim hanc formulam Orationis primò & directè præscripsit. Ita tamen ut *Servis* Dei ac *Filiis eorum*, postea victuris, æque necessariam esse hanc Orationem ad salutem æternam, satis simul significet. Respicit verò ad Electos & Resipiscentes ac Credentes in Populo, quoniam Bonum, quod petit, illis est proprium. Hoc porro est, נעם יהוה אלהינו AMABILITAS, vel GRATIA, DOMINI DEI NOSTRI. *Jehova Deus Noster* est Deus Triunus, & speciatim Filius Redemtor; qui est Angelus Jehovæ, & ipse *Jehova* simul *Exod.* III: 2. 4. *Jer.* XXIII: 5, 6. & *Deus Israëlis Deut.* VI: 4. *Psalm.* LVIII: 9. 36. quia est Creator ejus *Jes.* XLIII: 1; & Liberator ex Servitute Ægypti *Exod.* III: 6, 7, 8. *Jes.* LXIII: 9., Legislator ejus *Psalm.* LXVIII: 8, 9. CXLVII. 19, 20. *Jes.* XXXIII: 22; Rex & Imperator Exercituum ejus, Symbolice in Tabernaculo habitans *Jos.* V: 14. *Psalm.*

XXIV:

XXIV: 10 LXXX: 1. *Jerem.* XXX: 21; qui denique vi fœderis Sinaitici Deus & Dominus fœderatus erat quidem totius populi *Exod.* XIX: 5, 6. *Deut.* VII: 6, 7, sed specialissimo modo Dominus Electorum ex Populo, vi electionis æternæ & redemtionis futuræ *Psalm.* CX: 1; & tandem qui Corporaliter in medio Ejus habitaturus erat, ut perficeret *Opus* Redemtionis desideratum *Zach.* II: 10, & promereret omnem Gratiam salutarem pro Electis peccatoribus. Quam exprimit voce נעם, quæ notat id quod suave & jucundum est, & mentem ac sensus voluptate ac delectatione perfundit, atque adeo id quod *Amabile* est. Hoc in loco נעם יהוה AMABILITAS *Jehovæ* est: *Primò Id quod in Deo Amabile* est peccatori, nempe *Favor* Ejus erga Peccatorem, qui aliàs dicitur *Amor Dei* Patris *Joh.* III: 16. 2 *Cor.* XIII: 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* 2 *Cor.* XIII: 13. & רצון *Benevolentia*, *Favor*, *Gratia Habitantis in rubo Deut.* XXXIII: 16. *Secundò Id* quod *à Deo est* Suave & Jucundum, Ipsum nobis reddit amabilem, & nos Illi, & simul quod nos magna delectatione perfundit. Ad quod pertinent omnià *Beneficia*, ex Favore illo Dei in Christo, & ex hujus Redemtione dimanantia *Psalm.* XXVII: 4. *Prov.* III: 17. Qualia sunt: *tum* Justificatio Gratuita *Rom.* III: 24, quæ Deum *amabilem* reddit peccatori *Luc.* VII: 47, & hunc maxima voluptate perfundit *Jes.* LXI: 10. *Act.* VIII: 38, 39: *tum* Sanctificatio, quæ nos Deo & Christo facit *amabiles Psalm.* XVI: 3. *Jes.* LXII: 4, & quâ delectantur Pii omnes *Psalm.* CXIX: 14. *Rom.* VII: 22: *tum* denique Glorificatio in Paradiso cælesti, cujus etiam mentionem heic fecit Chaldæus Paraphrastes, ubi *Amabilitatis* Divinæ omnis plenissima erit fruitio *Psalm.* XVI: 11. Hanc omnem *Amabilitatem* & *Gratiam* Jehovæ heic intelligit Moses, quia est Effectus *Operis Redemtionis* per Messiam, olim perficiendi, & nunc perfecti 1 *Cor.* I: 30. Et significanter addit, *sit* SUPER *nos.* Sic respicit: *Tum* ad *Originem* hujus Boni, quod descendit a Jehova, qui in cæ-

lo,

lo thronum habet *Jac.* I: 17. *Apoc.* XXII: 1: *Tum* ad *Abundantiam* ejus, quod pluviæ cælestis instar largiter effundi desiderat in exsiccata cordium arva, juxta promissa Fœderis Gratiæ *Psalm.* LXXII: 6, 7. *Jes.* XLIV: 3: *Tum* ad *Dominium* hujus Gratiæ Divinæ; (על de *Dominantibus* usurpatur *Gen.* XXXVII: 8. XXXIX: 4.) sit *super* Nos, inquit, id est, dominetur nobis suaviter & potenter, dirigatque nos, ut illi Gratiæ, impellenti nos ad Officium Timoris Divini, & constringenti nos ad Amorem Christi, non resistamus, sed ei nos sponte ac alacriter subjiciamus, *coll.* 2 *Cor.* V: 14, 15. *Coloss.* III: 15, 16: *Tum* tandem ad tutissimam *Defensionem*, quam credentibus præstat hæc *Gratia Dei* & *Christi* adversus omnia mala perdentia, instar *Nubis Gloriæ* olim Tabernaculum & Populum obtegentis *Jes.* IV: 5, 6. XXXII: 1, 2.

XVI. Atque ita petit Moses Justificari Sanctificari Glorificari *propter* illud Redemtionis *Opus Divinum* & *Gloriosum* a Messia peragendum ultimis temporibus. Nec quicquam dubitavit de *Effectu* hoc sibi & credentibus communicando, etiamsi *Caussa* ipsa nondum existeret. Nam dantur Caussæ Morales, quæ operantur antequam sunt. *Opus* hoc Redemtionis erat *certò* futurum. Imo existebat jam in Decreto Dei immutabili, & in Promissione ejus infallibili, ac in Umbris legalibus, corporis adventuri Testibus indubitatis. Et hinc per vim quandam, uti loquuntur, retroactivam Satisfactio Messiæ futura operabatur salutem Patrum æque efficaciter, ac si jam actu esset præstita *Act.* XV: 11. *Rom.* III: 25. *Heb.* XIII: 8. Quod & minime ignorabat *Moses Vir* DEI. Sed, inquies fortè, *Fides* in Christum tum nondum erat, dicente id Paulo *Gal.* III: 23. At, inquam ego, Fides in *Jesum* Christum eumque *jam mortuum* tunc nondum erat. Verum omnino tunc Fides in Christum *moriturum*, & morte suâ vicariâ pro peccatis Electorum satisfacturum, locum habuit, & in *Abrahamo*, patre omnium credentium *Rom.* IV: 3. *Joh.* VIII: 56, & in

Da-

Davide, ut supra ostendimus in *Dissert.* V ad *Psalm.* XXVII: 4, & in *Mose Heb.* XI: 26.

XVII. Quia vero Moses Gratiam non solum Justificationis in Fide, per gratiam Dei donatâ quoque, sed etiam *Sanctificationem* petiit, quâ apti redderentur, ut in novitate vitæ Deo grati viverent: & quia Deus ideo *operatur* pro nobis, & in nobis, ut & nos moti a Deo *operaremur* ad ejus gloriam: hinc *specialius* nunc petit *Conservationem* hujus *Vitæ novæ* in Se & in Fidelibus aliis, & descendens ab *Opere Dei* ad *Opus nostrum* orat, ut illud *stabile* faciat. Et *Opus manuum nostrarum fac stabile super nos.* Antea de Divino & soli Deo proprio Opere agens illud nominaverat *Opus* TUUM; nunc verò de suo aliorumque piorum opere loquens, appellat illud OPUS MANUUM NOSTRARUM. Quia multa Opera manibus peraguntur, ideo, phrasi in Scripturâ frequenti, per synecdochen, *Opera manuum* poni solent pro Operibus quibuscunque, sive manibus, sive pedibus, linguâ, aliisque corporis membris perficiantur; sive etiam sint Opera externa sive interna, Dicta, Facta, Cogitata. Intelligit Moses *Opus Bonum*, non Unum aliquod, sed Omne; tum Fidei *Joh.* VI: 29 tum Charitatis *Heb.* VI: 10, tum Justitiæ *Jes.* XXXII: 17. Quod vocat Opus, non Dei nunc, sed *suum*, seu *manuum nostrarum.* Non quia Opus est Liberi arbitrii ac virium nostrarum naturalium *Jer.* XIII: 23. *Rom.* VIII: 7. 2 *Cor.* III: 5; est enim Effectum Victricis Gratiæ Dei supranaturalis *Jer.* XXXI: 33. XXXIII: 39, 40. *Ezech.* XXXVI: 25, 26, 27. *Phil.* II: 13. Sed quia à Deo, Caussa Prima omnium actionum in Naturâ & Gratiâ, moti, nos metipsos quoque, ex viribus datis, lubenter & alacriter movemus ad Gloriam Dei *Cantic.* I: 4. *Ezech.* XVIII: 31. 2 *Cor.* VII: 1. *Philipp.* II: 12, 13. *Jud. vers.* 20, 21. Deinde quia hoc Opus omne nos decet, & Officium est Redemtorum Jehovæ, ad quod Electi sunt ab æterno, Redemti, Regeniti & Sanctificati in tempore *Ephes.* I: 4. *Tit.* II: 14. *Ephes.* II: 10. &c. Sicuti vero Deus hoc omne

Opus bonum in nobis inchoat, ſic etiam idem perficit *Pſalm.* LXVIII: 29. CXXXVIII: 8. *Philipp.* I: 6. Quapropter orat Moſes כוננה STABILE FAC, CONFIRMA. *Confirmat* Deus Opus bonum noſtrum: quando principium novæ vitæ conſervat, vireſque datas confirmat, imminutas reſtaurat, imo auget *Pſalm.* LXVIII: 10. *Jeſ.* XL: 29, 30, 31. XLI: 10. *Epheſ.* III: 16, 17. 2 *Tim.* IV: 17: & præterea quando nos in virtutis ſtadio conſtanter perſeverare facit ad mortem uſque, nunc majori nunc minori alacritate currentes 2 *Tim.* IV: 18. 1 *Pet.* I: 5. Quia autem hæc *Confirmatio* in Bono eſt *Dei* Opus, qui *in Cælo* habitare dicitur, idcirco repetit illud עלינו SUPER NOS: ſic indicans hanc Gratiam *Conſervationis*, una cum reliquis Beneficiis Chriſti & *Donis*, *deſuper* deſcendere *Jac.* I: 17, & quod *Cæleſtis Virtus* nobis opus ſit ad perſeverandum in fide ac bono opere, *Philipp.* IV: 8. Quare etiam hoc ardenti Voto petit Moſes, utens Imperativo obſecrantis cum ה paragogico כוננה. Certe *Neceſſaria* eſt hæc Divina *Confirmatio* omnibus Piis; quia ſi ſibi relinquerentur, omnibus horis caderent atque a fide vera deficerent *Job.* XV: 5. 1 *Corint.* XV: 10. *Certa* quoque eſt ex Dei Decreto, Promiſſione, Merito Chriſti atque continuâ ejus Interceſſione, juxta loca *Pſalm.* XXXVII: 23, 24. LXXXVII: 5. CII: 29. CXXV: 1. *Jeſ.* LIV: 10. LXI: 8. *Jerem.* XXXII: 39, 40. *Luc.* XXII: 32. *Joh.* X: 28, 29, 30 &c. Nihilominus tamen vult Deus ut eam ab ipſo petamus; ut noſtram ab Ipſo dependentiam agnoſcamus ac profiteamur *Ezech.* XXXVI: 37.

XVIII. Quare etiam Moſes non ſemel eam petit, ſed iterum, Repetitque Vota ſua, dicens: IMO OPUS MANUUM NOSTRARUM CONFIRMA illud. Sic verò: *Vel* reſpicit ad Confirmationis Divinæ Actum continuum; petens ut Deus, non nunc modò, ſed & deinceps & ſemper ad finem uſque Vitæ fidelium ſingulorum, hoc Opus gratiæ ſuæ perpetuare velit; coll. *Pſalm.* CXIX: 94: *Vel* indicat Neceſſitatem hujus Confirmationis Divinæ ſummam, ob Carnis

nis imbecillitatem, hostium spiritualium Multitudinem, & magnum Apostasiæ periculum, si Deus manum suam vel ad momentum subtrahat, coll. *Psalm.* CXXIV: 2, 3, 4; in periculo constituti clamores multiplicare solent: *Vel* denique significat Zelum suum, & quàm vehementer desideret hoc Conservationis in Statu Gratiæ Divinum Beneficium, ut sic Deum salvatorem suum constanter glorificare posset, qui tantam sibi gratiam donabat, & præstiturus erat in Opere Redemtionis perficiendo; fervidè orantes eadem sæpe verba repetere solent *Psalm.* CXXIII: 3. *Dan.* IX: 19: *Vel* tandem ad *aliud* aliquod, & fortè non unum, *Opus* Manuum respicit, â Deo pariter fortunandum. Scilicet respicit fortasse in hac repetitione sua ad *Opus Levitarum*, tum in Ministerio Tabernaculi, tum in Institutione Populi, ipsis divinitus demandatum, quod *Opus manuum* eorum dicitur *Deut.* XXXIII: 10, 11. Quando petit Moses, ut ipsi Levitæ Opus hoc suum utrumque sanctè & fideliter peragant, ut *jura* Dei *Jacobum doceant*, & *Legem* Ejus *Israëlem Deut.* XXXIII: 10, *in Viis* Ejus *ambulent*, *Observationem* Ejus *observent*, *jus domui* Ejus *dicant*, atque *atria Ejus custodiant Zach.* III: 7. Petit porro ut *Opus Ministerii* eorum Deus Conservet usque ad Messiam, & deinceps *Ministerium Verbi* sui in *Israële Dei*, seu Ecclesia ex gentibus, perpetuum reddat, ne *Sacerdotibus Leviticis exscindatur* hoc modo *Vir a conspectu suo*, *qui offerat holocaustum*, *& qui adoleat munus*, *& qui sacrificet victimas*, *omnibus diebus Jerem.* XXXIII: 18. coll. *Jes.* LIX: 21. Petit amplius ut Deus *Opus* Ministrorum suorum efficax faciat ad Salutem electorum, & Refrænationem impiorum, & sic *benedicat strenuitati* eorum, OPUS MANUUM *eorum benevole suscipiat; transfigatque lumbos iis qui insurgunt in eos*, *& iis qui oderunt* eos *Deut.* XXXIII: 11; atque sic efficiat, ut fideliter & strenue *doceant* Illi *peccatores vias suas*, ut *convertantur Psalm.* LI: 15. Petit denique ut preces illorum, quas Ipsemet præscripsit Illis *Num.* VI: 24-27, solenniter pro po-

populo fundendas, clementer exaudiat. Et tandem ut Deus *Umbrarum*, innumerabilium nempe Victimarum ab illis oblatarum, *Corpus* sistat, omnesque *Prophetias*, quas Populum docebant, impleat, mittendo Semen illud Mulieris ac Abrahami promissum, ad gloriam Israëlis & salutem Gentium! Imo forsan respicit quoque ad *Opus* omne reliquum, *Politicum* & *Oeconomicum*, omniumque & singulorum ex Populo Conatus, Consilia, Vitæque institutum. Nil magis frequens est in Sacris, quàm ut vitæ genus, & rei familiaris cura, *Opus Manuum* vocentur *Deut.* XIV: 29. XXIV: 19. *Job.* I: 10. &c. Quod Deus *confirmat;* quando efficit sua providentia communi, ut unusquisque sedulo & fideliter mandato munere fungatur, & curet rem domesticam, quod decet *Gen.* III: 19. *Ephes.* IV: 28. 1 *Tim.* V: 8; & quando licito ac honesto unius cujusque labori benedicit, quod necessarium est, nam absque Dei Benedictione omnis labor noster frustraneus est *Psalm.* CXXVII: 1, 2. *Hagg.* I: 5, 6, 9. Quapropter etiam ad hoc omne *Opus*, *Ecclesiasticum Politicum* & *Oeconomicum* respexisse Mosem, valde est probabile. Quod haud absque ratione conjungit cum *Opere Redemtionis*, & *Gratiæ* salutaris petito, quia Messias quoque est Caussa Benedictionis temporalis populi sui *Dan.* IX: 17. & quia *Pietas* habet *Promissum hujus* quoque *Vitæ* 1 *Tim.* IV: 8.

XIX. Hæc sunt illa Decentia, verè Utilia & Necessaria peccatori ad salutem temporalem ac æternam, quæ Magnus *Legislator* ac *Propheta Moses* petiit a Deo Redemtore suo, & Populo ab ipso petenda præscripsit. Impletum est dudum hoc Mosis Votum Propheticum. *Deus in Carne manifestatus* est 1 *Tim.* III: 16, & ab Angelis primò annunciatus *Pastoribus* Judæis, qui *Gloriam* & *Pacem* Deo, in *cælo* & *terra existenti*, apprecati sunt *Luc.* II: 11 — 15. *Opus* Redemtionis hoc, desideratum tantopere â Mose, ab Immanuele nostro Jesu Nazareno peractum est *Joh.* XVII: 4, 5, longè *post* tempora Mosis, in Terra Canaan, & medio

dio Israelis, in uno ex montibus Morijæ, ubi Exitu illo *defunctus* est Christus, quem hic petiit Moses, & cum Elia glorificatus Ei prædixit *Luc.* IX: 31, & ubi exclamavit, *Consummatum est Joh.* XIX: 30, ac publice ac *Visibiliter propositus* est in ἱλαστήριον *Rom.* III: 25. Qui postea *Resuscitatus* & *Assumtus* in *gloriam*, *Spiritum Gloriæ* effudit in omnem carnem; & manifestatus est toti mundo per Euangelium impletionis: ita ut nonnulli ex *servis* Jehovæ, *Israelitis* videlicet, *viderint* hoc *Opus Domini Act.* II: 41, 42, 47. & *Cap.* VI: 7. *Sermo Dei crescebat, & valde multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis: multaque turba* Sacerdotum *auscultabat fidei:* Plures tamen ex *Gentibus* Redemtorem fide receperunt, *Opusque* Redemtionis grato corde ore & opere celebrarunt, juxta Promissa vetera *Gen.* XXII: 18, XLIX: 10. &c. Exauditæ quoque sunt hæ preces Mosis & Ecclesiæ Israeliticæ, quibus *Gratiam* Justificationis Sanctificationis Conservationis, & Glorificationis pro se implorarunt propter hoc Redemtionis *Opus* certo perficiendum. Eadem *Gratiâ Christi salvati* sunt illi ac nos *Act.* XV: 11, eademque *Fide* in Christum Redemtorem *Hab.* II: 4. Vox enim Fidei Justificantis est *Amabilitas Jehovæ Dei nostri sit super nos*, utpote eadem cum illâ, GRATIA DOMINI JESU CHRISTI sit nobiscum *coll.* 2 *Cor.* XIII: 13.

XX. *Promissionem* tamen, id est, Caussam Salutis promissam, *non obtinuerunt* Patres, *ne sine nobis consummarenrentur Heb.* XI: 39, 40. Nobis APPARUIT Lux mundi, Sol Justitiæ, *salutifera illa Gratia Dei Tit.* II: 11, & promissus Patribus Redemtor *nobis*, in Euangelio & Sacramento, *ob oculos depingitur, inter nos crucifixus Gal.* III: 1. CERNIMUS *Jesum illum Gloria & bonore coronatum, qui paulisper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpessionem: ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret Heb.* II: 9. Cognitio hujus Mysterii, olim taciti, ingentis *Gaudii* argumentum præbet; quia absque eâ viveremus *sine spe* in mundo, ut Majores olim nostri in Gentilismo. *Ephes.* II: 12.

Et decet profectò nos omnes immortales agere *Gratias* Deo Triuni, & præsertim Filio incarnato, pro hoc *Opere* Redemtionis in Cruce peracto. Quod Caussa fuit *Gloriæ* Dei manifestatæ, *Jes.* VI: 3, Cultus onerosi & umbratici abrogati, Parietis intergerini confracti, Discriminis Populorum sublati *Ephes.* II: 12—19. *Coloss.* II: 14—17, & Vocationis Gentium ad salutem. Inter quas & Nos quoque sumus, nunc illuminati Euangelio illo æterno, in quo hoc *Opus Redemtionis*, Vicaria Christi satisfactio, Justificatio Peccatoris Gratuita per fidem solam, perspicuè exponuntur. In quo etiam *Admirari* debemus *Glorias illas Dei* 2 *Pet.* II: 10, seu *gloriosas* Ejus, inprimis Justitiæ & Misericordiæ *Virtutes*, easque indesinenter prædicare *Joh.* III: 16. 1 *Pet.* II: 9. Quoniam verò neminem salvat, nisi Credentem, *Gratiam* Ejus implorantem, ac justitiæ Ejus Vicariæ imputationem fervide desiderantem; necesse est ut *sitiamus* & *esuriamus* eam *Matth.* V. 6. *Philipp.* III: 9. *Jes.* XLV: 22. 25. Est enim hæc necessaria peccatori *Matth.* XVI: 26. *Jer.* XXX: 21. *Rom.* I: 16, 17. Et absque hac *Gratiâ* Christi omnis Benedictio est Maledictionis aggravatio. *Gratiam* verò *Sanctificationis*, æque ac illam Justificationis propter justitiam Christi imputatam, implorare debemus. Nemo sibi persuadeat, se esse Redemtum per Christi sanguinem pretiosum, nisi qui *accensus est studio bonorum Operum Tit.* II: 14. 1 *Pet.* II: 24. Christus enim non est *Minister peccati Gal.* II: 18, 19. Et sicuti *Fideles*, in Communione hujus *Gratiæ* Christi per fidem viventes, oportet; in illâ omnem Voluptatem ac Gaudium ponere *Psalm.* IV: 8. *Jes.* LXI: 10. *Hab.* III: 16, 17. *Phil.* IV: 8. 1 *Pet.* I: 8; *Amabiles* se Deo & Christo Redemtori per amorem & studium sanctitatis infucatæ præstare; Diligenter, Fideliter & Sanctè omne Opus Ecclesiasticum, Politicum, Oeconomicum, ipsis a Deo demandatum, peragere; omnesque prosperos successus Deo ferre accepto 1 *Chron.* XXIX: 12, 13, 14; Ita etiam fervidè & indesinenter

ter *Orare* debent; ut *Gratia* Christi *sit* & maneat super eos constanter; ut *Conservet* Illos in Fide & omni bono opere, potenti virtute sua & Intercessione validâ; ut *Benedicat* quoque omnibus piis & decentibus Consiliis, Conatibus atque *Operibus*, pro Bono Civitatis Ecclesiæ atque Familiæ susceptis; Imo ut *Appareat* hoc Opus Redemtionis per Euangelium & Spiritum suum priscorum *servorum* suorum *liberis*, hodie & per tot secula rejectis, omnibusque etiam *gentibus* in tota Terra, quæ hactenus non *audiverunt famam ejus*, neque *viderunt gloriam ejus*, ut tandem *videant eam*, & credant & salventur *Jes.* LXVI: 18, 19; & tandem ut *Appareat* iterum ex Cœlo Dominus, in *Secundo Adventu* suo, nobis promisso, ad *Opus* salutis nostræ, & totius Ecclesiæ consummandum. Sic certi esse poterunt, omne *Opus manuum* eorum fortunaturum esse Dominum, quod ad suam Gloriam & illorum Salutem facere potest; & speciatim *Opus Fidei* in ipsis conservandum esse ad finem usque; & Opus *Sanctificationis* inchoatæ perficiendum esse certò in die mortis, & æternitatis. Quando videbunt Redemtorem suum uti est 1 *Joh.* III: 2. *Job.* XIX: 25. 27. & *Regem* in *pulchritudine* sua *intuebuntur Jes.* XXXIII: 17. & fructibus *Operum* bonorum beatissimis fruituri sunt in æternum!

DIS-

DISSERTATIO DECIMA TERTIA

DE

MESSIA, EX TORRENTE IN VIA BIBITURO.

Ad *PSALM.* CX. 7.

I.

Nter Loca Prophetica, quæ, breviter ſummatimque, Exinanitionis & Exaltationis utrumque Meſſiæ ſtatum prænunciant, connumerandus eſt quoque hic *Davidis* in Pſalmo cx: *vs.* 7. מנחל בדרך ישתה על־כן ירים ראש / De Torrente in via bibet: propterea exaltabit Caput; ex Veterum & Recentiorum Interpretum communiori ſententia. Qui nulli quoque dubitant; quin Dominus, ex Moſe & omnibus Prophetis diſſerens apud Emmaunticos de Chriſto *paſſuro*, & *in gloriam intraturo Luc.* xxiv: 26, 27, & Petrus, aiens, *τὰ εἰς χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας* prænunciaſſe Spiritum Chriſti, qui erat in Prophetis, qui exquiſiverunt de *ſalute animarum*, id eſt, non de Regno Meſſiæ mundano quodam, verùm ſpirituali ac æterno, in quâ perfruemur cæleſtibus bonis & gaudiis, vitâque æternâ, 1 *Pet.* 1: 9, 10, 11; ad hunc quoque Locum Davidicum reſpexerint.

II. Non deſunt tamen magni Nominis Interpretes, potiſſimum inter Recentiores, qui hoc Dictum Davidicum, in utroque membro, atque adeo totum, referunt ad ſtatum Meſ-

Messiæ Victoris, in gloriâ cælesti nunc sedentis ad dextram Dei Patris, minimè verò ad statum Humiliationis ejus jam præteritum. Deinde illi, qui de hoc Humiliationis statu prius Textûs Membrum exponunt, optimè quidem conveniunt in rei summâ, Exinanitione Messiæ significata; sed in Explicatione phrasios, *de torrente in viâ bibet*, quoad formalem ejus significationem, & quomodo Messiæ Humiliando conveniat, admodùm dissentiunt. Quocirca, cùm ad petitionem Defendentis conscribenda mihi esset Disputatio Academica, etiam ex temporis occasione, quo solenniter celebravimus memoriam Christi, qui post passiones & per eas in gloriam introivit, de hoc Illustri Vaticinio Davidico breviter & modestè agere constitui: certus omnino, neminem ægrè laturum, si in expositione tum Dicti, de cujus obscuritate dudum conquesti sunt Alii, tum Phrasios, *Bibendi ex Torrente*, quæ adhuc semel modò legitur in Sacris, & quidem propriè intelligenda, de Elia nempe 1 *Reg.* XVII: 4, 6. nullibi autem præterea sensu figurato occurrit, quam hîc; aliquantulum discederem ab Illis quoque conjunctissimis Viris, quos præ alii veneror & amo.

III. Perlustratis atque expensis præcipuorum Interpretum commentariis, uti communior ita & verior visa fuit, & videtur mihi hactenus illa sententia, quæ statuit *hoc in loco* esse Illustre Vaticinium de Unius ejusdemque *Messiæ Statu duplici*, *Exinanitione* antecessurâ, & *Exaltatione* secuturâ. Quale etiam occurrit multiplex alibi, non modò in integris Psalmis ac Capitibus Propheticis, sed & in singularibus versibus, *Psalm.* VIII: 6. CXVIII: 22. *Jes.* LII: 13. LIII: 10. *Ezech.* XVII: 22. *Zach.* IX: 9, 10. *&c.*

IV. *Subjectum* itaque Dicti hujus Prophetici est: Non *Volatilium quodlibet*, de *torrente sanguinis* cæsorum hostium illorum bibiturum, uti perfidia Judaica in *Midrasch Tillim*, apud *Viccars*, commenta est, collato ineptè Textu *Ezechielis*, *Cap.* XXXIX: 17—20. Neque est *Jehova Deus*

Yy *Pater.*

Pater. Judæi nonnulli ad Deum Patrem illud bibere *ex* torrente in via *accommodant*, inquit *Dorſcheus*, *Diſp.* XII. de *Chriſti ad dextram Dei ſeſſione*, §. 54. Non caret tamen veri ſpecie hæc ſententia, ſi velimus in verſiculo quinto compellari *Filium*, & *Adonai* ibi eſſe *Deum Patrem*, quod ſanè multi & magni nominis Interpretes tenent. Quare etiam in hoc *Verſiculo ſeptimo*, uno ſermonis & conſtructionis tenore conjuncto, absque ullo ſubjecti mutati indicio, *Deum Patrem* cogitarunt eſſe ſubjectum hujus dicti ex Noſtris illi, qui egregiè ex hoc Pſalmo pro Meſſiâ noſtro contra Judæos nuper diſputarunt. Sed *Subjectum* eſt *Dominus Davidis*, qui & Filius ejus ſecundum carnem futurus erat. *Hunc ultimum verſiculum exponunt magno conſenſu omnes Veteres de Chriſti Humilitate in carne mortali*, & *exaltatione in gloria cæleſti*, *tum illi*, *qui verba ſuperiora exponunt de Chriſto ipſo*, *tum qui exponunt de Patre. Quare mirum eſt aliquos Recentiores aliter ſenſiſſe*, ſcripſit BELLARMINUS. Ita eſt, etiam illi, qui *Verba ſuperiora exponunt de Patre*, hæc noſtra *Verba* de *Filio Meſſiâ* interpretantur. *Sive* cogitent, in ſecunda perſona quidem compellari Meſſiam his verbis, *Adonai ad Dextram tuam vs.* 5. & proinde *Adonai* eſſe ibi *Deum Patrem*; verùm, mutata ſubitò perſonâ ſecundâ in tertiam, de *Meſſia* agi in reliquis omnibus ſequentibus, *confregit in die iræ ſuæ reges*, *judicabit in gentibus*, *cumulavit cadavera*, *confregit caput ſuper terra ampla*, *de torrente in via bibet* &c. *Sive* porro velint *Adonai*, id eſt, *Deum Patrem â dextris* Chriſti non modò conſtitui, in initio *verſiculi quinti*, ſed & in altero membro ejus, ut & in ſequenti *verſiculo ſexto* de eodem Patre agi, & dici, illum *confregiſſe Reges in die iræ ſuæ*, & *judicaturum in gentibus*, omnia *implendo cadaveribus*, & *confringendo caput ſuper terram magnam*; quia ſcilicet hæc hoſtium proſtratio & perditio res illa erat, quam Pater ſibi gerendam deſumpſerat verſu primo, *donec ponam hoſtes tuos ſcabellum pedum tuorum.* Sic RIVETUS ad Verſiculum ſeptimum. *Hæc verba*

ba de Messia dici apud omnes Christianos interpretes convenit. Nec videri debet dura transitio à Patre ad Filium, quandoquidem per Filium agit Pater, & Filius a Patre. Cum autem bibere in via, & capitis exaltatio, *etsi figuratè intellecta, melius filio conveniant, existimamus etiam objectum dicti istius, Filium esse in carne manifestatum, humiliatum & exaltatum. Sive* denique *Personarum enallegen, apud Hebræos frequentissimam*, cum PICHERELLO, in Opusc. Theol. p. 360. statuant, inchoandam à versu sexto, *judicabit in nationibus, &c.* pro *judicabis*; *implebis* omnia *cadaveribus, confringes caput, Bibes* de torrente &c. ô Messia! scilicet *quia ad tuam dextram* est *Adonai* Dominus.

V. Certe MESSIAS est *Subjectum* dicti hujus, cui attribuitur *Bibitio ex torrente*, & *Exaltatio capitis. Hic* est enim *Principale* subjectum sermonis Davidici in toto hoc Psalmo. *Hunc*, ex indicio summi Prophetæ, *David vocavit Dominum suum vs.* 1. ἐν πνεύματι, *Matth.* XXII: 43, 44. ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ *Marc.* XII: 36. id est, non κατὰ πνεῦμα *secundum Deitatem*, quâ λόγος erat, uti ORIGENES contra *Marcionitas sect.* IV. *p.* 127. sed *per Spiritum Sanctum*, Prophetiæ Auctorem, quo acti fuerunt Prophetæ, 2 *Pet.* I: 21. & qui *loquutus fuit in* Davide 2 *Sam.* XXIII: 2. & sine cujus inspiratione proferre haudquaquam potuit David arcana illa quæ in decreto æterno inter Jehovam Patrem & Dominum suum gesta erant, longè post fata sua demùm executioni danda, uti bene observatum est ab EUSEBIO in *Psalmum hunc.* De *Hujus præterea Messiæ sessione ad dextram* Patris, ex hujus ore vaticinatus fuerat idem David, sermone ad Ecclesiam, uti videtur, directo, in versu *primo. Dictum* יהוה *Jehovæ* (*fuit* in decreto, *eritque* in executione ejus, & *est* denique in prævisione Prophetica meâ) לאדני *Domino meo, sede ad dexteram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* HUNC porro compellaverat *David*, atque Regni ejus spiritualis, novo titulo & modo administrandi, tùm

Originem è *Tzijon*, *vs.* 2. tum ejus ut militantis *inter medios hostes Conditionem* in terris, *vs.* 2. tum *subditorum Spontaneum Obsequium*, *gloriosam Sanctitatem* ac *innumerabilem Multitudinem*, *vs.* 3. tum Regni hujus perpetui, in sanguine vicario sacrificii Ejus fundandi, *Fundamentum*, *Sacerdotium* nempe Ejus *vs.* 4. grandi oratione Propheticâ prædixerat. Imo Hujus *Messiæ* denique amplissimas *victorias*; sive statuamus *de Ipso* ut *Adonai* ad dextram Patris existente loqui Davidem, sive *ad Ipsum*, qui *Dominum*, Patrem, habebat ad *dextram suam*, Auxiliatorem potentissimum, *in Filio* & *per Filium*, Mediatorem *Regemque Tzijonis* & *Judicem* omnium, omnia quoque in Regno gratiæ operantem; lætis vocibus deprædicaverat *versiculo quinto* & *sexto*. Hic ergo quoque, qui *Principale* subjectum orationis hactenus fuerat, sive directe magis, sive indirecte etiam, in hoc *ultimo versiculo* subjectum certè Orationis agnosci debet. Eo magis, quia *Exaltatio* Messiæ, per Sessionem ad dextram Jehovæ, & Sacerdotium æternum, *Reale* est *subjectum* Orationis Davidicæ per totum Psalmum, de qua *Exaltatione* ejus in hoc *versu septimo* nominatim cum agatur, vix dubium ulli esse poterit, heic per brevem ἀνακεφαλαίωσιν de eâdem Messiæ *Domini* Davidis *Exaltatione* agi, quam in præcedentibus tam grandi eloquio depinxerat. Hieronymus in Commentario. *Quis bibit de torrente in via? Iste cui dictum est: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Iste qui audivit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Iste, qui confringit in die iræ suæ reges . . . Iste quid facit aliud? De torrente in via bibit.*

VI. Nec tantùm Principale subjectum totius Psalmi est *Messias Dominus Davidis*, sed & *Proxime Nominatum* in *vs.* 5. & 6. præcedentibus immediatè. Ex quo idem sermonis concatenati in hoc *versu* 7. subjectum esse, meritò colligitur. Verba *vs.* 5. & 6. ita sonant in fontibus.

אדני

אדני על ימינך מחץ ביום אפו מלכים:
מלא גויות ראש על ארץ רבה:

In Verſione HIERONYMI. *Dominus a dextera tuâ, percuſſit in die furoris ſui Reges, judicabit in gentibus, implevit valles; (quaſi legiſſet* גאיות*) percuſſit caput in terra multa.* Ex Verſione ARIÆ MONTANI. *Dominus ad dexteram tuam, transfixit in die naſi ſui reges. Judicavit in gentibus, implevit corporibus, transfixit caput ſuper terram multam.* Apud MELANCHTHONEM: *Dominus à dextris tuis, percutit in die iræ ſuæ reges, judicat inter gentes, cumulat cadavera, percutit in terra caput Magnum.* Ubi אדני *Adonai* vocatur *de quo* ſermo inſtituitur *vs.* 5. & continuatur in ſequentibus. Ille vero אדני *Adonai* Idem eſſe creditur meritò cum illo quem eodem nomine vocaverat David *v.* 1. אדני *Adoni.* Eſt enim idem Nomen, ſed aliter punctatum. Nomen יהוה eſt nomen Dei Patris in hoc Pſalmo: dixit יהוה לאדני, *Jehova Domino meo v.* 1. Sceptrum roboris tui mittet יהוה *Jehova ex Tzijon v.* 2. Juravit יהוה *Jehova v.* 4. Sed Nomen ארון Dei Filii incarnati. Dixit Jehova לאדני *Ladoni Domino meo v.* 1. Sic etiam in *verſiculo* 5. אדני *Adonai Dominus* vocatur Idem Dominus Davidis, quia idem radicaliter nomen eſt, & quia idem eſt *Prædicatum.* In initio Pſalmi tribuitur ei *τὸ ſedere ad dextram Jehovæ* Patris, heic *τὸ eſſe* vel *ſtare* vel *ſedere ad dextram* Ejusdem Dei Patris. Quæ phraſes in N. T. permutantur, ut æquipollentes in re ipſâ. Hinc *Trem.* & *Jun.* verba verſiculi quinti אדני על ימינך verterunt, *Dominus*, qui ſedet *ad dextram tuam.* Placuit hæc ſententia Clar. COCCEJO, qui aliis quoque haud contemnendis rationibus eam corroboravit in Commentario. *Auguſtinus*, inquit, *Proſper & alii per* אדני Adonai Dominum *intelligunt Filium Dei*, & ad dextram *explicant ut verſu* 1. *quod alii aliter ex Pſ.* XVI: 8. *vel per* כימינך dextra tua *exponunt. Me quod attinet plus emphaſeos video in expoſitione Auguſtini, & plus harmoniæ.* 1. *Quem ſupra* Dominum ſuum *nomina-*

navit, jam absolutè Dominum. 2. *Quod, in emphasi, est Filii, qui peculiari ratione* Κύριος Dominus est *& in Novo Testamento nuncupatur. Eique is titulus recte asseritur, qui ad dextram Dei sedet rex & sacerdos sempiternus: quia ipsa exaltatione dextræ Dei* factus *sive demonstratus est* Χριστὸς καὶ Κύριος, Christus & Dominus. *Act.* II: 36. 3. *Satius videtur* על ימינך ad dextram tuam *eodem modo explicare in eodem Psalmo, quam diversis modis.* 4. *Actiones, quæ hic recensentur, Filio in scripturis attribuuntur, eique conveniunt, ut Judici.* Imo etiam, inquam, ut Regi ac glorioso victori.. *Num.* XXIV: 17. — 19. *Psalm.* II: 9. LXVIII: 22. LXXII: 4. *Jes.* LXIII: 1, 2, 3. &c. unius potentiæ cum Patre, qui per Filium *hostes positurus* erat *scabellum pedum Ejus* versu 1. PISCATOR in Scholiis. *Heb.* Adonai. *Quod est unum ex nominibus Dei: &* HOC LOCO *intelligitur de* CHRISTO. *Est autem hic Apostrophe vel ad* Deum Patrem, *vel ad* Populum Dei. *Si ad* Deum Patrem, *tum recte versum est*, qui sedet *ad dexteram tuam, ex collatione versus primi. Si ad* populum Dei *: tum vertendum erit*, qui stat *ad dexteram tuam. Id est, Qui tibi assistit ad te defendendum: ut accipitur ista loquutio Psal.* CIX: *v.* 31. *& Psalm.* XVI: *v.* 8. *Atque hæc Expositio videtur genuina: siquidem his verbis continetur Prophetia de administratione regni Christi: quæ Prophetia utique rectius pronuntiatur ad Populum Dei, quam ad Deum ipsum.* Perinde mihi est ferè, an sermo Davidis inde à versu 5. dicatur dirigi ad *Deum Patrem*, an verò ad *Populum Dei*, modò hoc teneatur quod *Adonai* sit *Christus*. Mallem tamen ad *Deum Patrem* dirigi, ut phrasis *ad dextram* eodem modo sumatur in eodem breviori Psalmo, juxta observationem Clar. COCCEJI. Neque hoc insolitum est in Psalmis Davidis, ut sermone ad Deum Patrem directo, imperium Messiæ in subditos & omnia, dominandique rationem enarret Ille. Cujus Exempla manifesta in Psalmo Octavo & Septuagesimo secundo videri queunt. Nec minus utilitatis exinde, ubi Deus Ipse testis veritatis Prophetiæ

tiæ invocatur, ad roborandam fidem noſtram redundat, quam ſi Eccleſiam compellando talia protuliſſet Propheta. Adeo ut absque magnâ cauſſâ PISCATOR ſcripſerit, quod *Prophetia de adminiſtratione Regni Chriſti rectius pronuntietur ad populum Dei, quam ad Deum ipſum.* In verſu noſtro ſeptimo & ultimo tamen, *de torrente in via bibet* &c. mutari iterùm Apoſtrophen, ſermonemque dirigi ad populum, contendunt nonnulli, ut eodem modo finiret ſcilicet Propheta quo inceperat, *verſu* 1. ubi alloquium inſtituit ad Auditores, ad Eccleſiam, ſeu populum Dei. Quod quidem concinnè ſtatui a Clar. TILLIO non nego. Nil tamen abſurdi erit in eo, ſi cogitemus continuari inchoatam *verſu* 5. Apoſtrophen ad Deum Patrem: Ut dicat Propheta, Dominus, qui ad dextram tuam ſedet jam in præviſione meâ, & certò ſeſſurus eſt re ipſâ, ô Jehova Pater! non exaltabitur ad tantam gloriam, niſi antea *in Via*, ex decreto tuo, in decentiis tuis fundato, *de torrente biberit* humiliatus valde.

VII. CHRISTUS itaque eſt Subjectum Dicti hujus, *de torrente in via bibet:* ſed *Chriſtus* conſideratus in *Perſona ſuâ*, non in membris ſuis, ſive in Corpore myſtico nempe Eccleſiâ, quorſum tamen propendere videtur Celeb. COCCEJUS. Optimè Venerabilis Collega MARKIUS. *Continuatur Sermo de Meſſia, referendus heic non magis, quàm in regno ac ſacerdotio, ad ejus membra, ſed omnino ad ejus perſonam.* Nec ſtringit multùm Ratio à COCCEJO ex *Ordine* Orationis Davidicæ petita. Ita ait ille. *Nam ſi paſſio Chriſti* λαθραίως *hîc intelligeretur, quæ anteceſſit ſeſſionem ad dextram Patris, vel* primo loco *fuiſſet Indicata, vel Verbum præteritum* שתה bibit. Adſcendere enim poteſt, absque ullâ inordinatione, ab Effecto ad Cauſſam Oratio. Latebat jam Fundamentum & Cauſſa regnandi in merito ſacerdotis veri & æterni verſu 4. deſcripti: ſed ratio *Epilogi* repetitionem ejus Cauſſæ, hac phraſi *de torrente in viâ bibet*, omnino poſtulabat. *Præteritum* שתה *bibit* tunc potius adhibitum fuiſ-

fuisset, ait Coccejus. Sed *temporum* permutatio frequens est in Prophetiis, etiam in hoc Psalmo; ubi nunc *præterito* utitur David, quando ex Prævisione sua Propheticâ loquitur, nunc iterùm *futuro*, quando ad rem ipsam, quæ longè post ætatem suam accideret, respicit.

VIII. *Subjectum* ergo Oraculi Nostri est *Dominus* Davidis, Filius Dei æternus & naturalis, qui, quoniam futurus quoque erat *Filius Davidis* in assumta Humanitate verâ 2. *Sam.* VII: 12. *Jer.* XXIII: 5, 6; ideo hoc primum est de ipso quod hic occurrit *Prædicatum*, DE TORRENTE IN VIA BIBET. Ubi ante omnia probè observandum est, quòd *Via* non debeat referri ad *torrentem*, hoc modo, de *torrente, qui in via est*, bibet, sed ad Messiam *Dominum* Davidis, hoc modo, *de torrente*, *in via* constitutus Ipse *bibet*. Quod bene monitum est a Doct. GEJERO. *Nimirum*, inquit, *si accurata accentuum habeatur ratio*, *non coherent duo priora vocabula*, torrens in via (*quomodo* pisces in mari *pro marinis*, Aper in sylva *pro sylvestri fortè ponitur*, *sed duo posteriora*, in Via bibet, unde? ex torrente. *Id quod liquidò cognosces ex* Ledeb. de accent. *collatis* p. 100. & 124. Hujus enim observationis neglectus effecit, ut multi minus aptos & accuratos de emblematis heic occurrentis formâ foverint conceptus, sensumque figuratæ locutionis hujus minus feliciter adsecuti videantur. Dum Alii ita legentes, de *torrente*, qui *est in via*, bibet, exinde collegerunt heic agi de torrente luto & sordibus pleno. Sic lego apud TITELMANNUM Pontificium. *Nota insuper*, *quod particula*, in via, *jungi potest cum verbo* bibit, *ut sit sensus*, *in via hujus vitæ bibit Christus Dominus de torrente. Atque hæc connexio convenientior est*, *quam & solam in Elucidatione sequimur. Posset tamen subtiliori consideratione etiam conjungi cum nomine* torrentis, *ut conjunctim legatur*, *Bibet Dominus* de torrente in via, *id est*, *de torrente turbulento*, *pleno luto & sordibus*, *cujusmodi sunt torrentes illi qui impetu currunt in viis publicis*, *ubi plerumque plus est immunditiarum.* Alii verò heic

heic cogitant de torrente, *qui viam abrumpit & intersecat*, uti scripsit Clar. COCCEJUS, quem consequenter; Vel ingrederetur & *vadaret*, imo cui ad labia usque immergeretur ut Clar. TILLIUS; Vel quem *ebiberet* totum atque *epotaret* Messias. Quod posterius voluit ED. REINOLDUS, Episcopus quondam Norvicensis, & qui eum de verbo ad verbum secutus videtur JAC. ALTINGIUS. Alii rursus exinde heic agi de *torrente*, non aquæ, qui *apud viam* potius, sed *sanguinis* cæsorum hostium, magnâ copiâ effusi, qui *in via* foret ipsâ, quâ fugerent, ingeniosè conjiciunt: ut sic quoque confirment heic agi de consummatâ glorificati Messiæ; ingentem hostibus cladem, per *bibitionem sanguinis* eorum alibi expressam *Num.* XXIII: 24. *Deut.* XXXII: 42. *Jerem.* XLVI: 10. *Ezech.* XXXIX: 17. 20, illaturi; *Victoriâ*.

IX. VIA porro hæc Domini Davidis, quam percurreret Ille, non est propriè dicta, sed figurata. Neque sic etiam est *via* Ejus, ut gloriosissimi Victoris, quâ persequeretur hostes jam in fugam actos, ac progrederetur in gloriâ cælesti, atque ad hujus ultimum complementum feliciter & strenuè contenderet. Verùm est *Via* fortissimi Pugnatoris, quæ Ipsum duceret ad Thronum Patris cælestem, per quam introiret in gloriam, & in quâ hostes armatos hactenus, imo aciem instruentes, offenderet ac aggrederetur. Etenim quando *Via* heic simpliciter ponitur, in quâ constitutus Messias biberet, de cujus sessione ad dextram Jehovæ antea actum est, nil prius certe, nil citius attentus cogitabit Lector, quam *viam* laboris & molestiæ plenam, quæ duceret Ipsum ad beatam illam & quietam ad dextram Jehovæ sessionem. Eo magis quia hæc *via* manifestè statuitur in Textu antecessura *Exaltationem Capitis* Ejus, non certam aliquam, aut summam modò, sed omnem, etiam inchoatam. Neque enim dicitur, propterea *magis magisque*, vel *certo* quodam *modo*, vel ad *summam altitudinem*, ac gloriæ fastigium *elevabit Caput*, sed simpliciter

attollet, *eriget*, *elevabit*, *exaltabit caput*; quod etiamsi intelligi posset de continuatione & consummatione Actûs, non tamen hoc fieri debet absque ullâ necessitate, qualis in hoc loco nulla est, nisi ex merâ hypothesi. *Via* ergo quæ *antecessura* erat *omnem* gloriam cælestem Messiæ, non est *via*, quâ *progrederetur* Ille in illa gloriâ, aut contenderet modò ad ejus ultimum complementum, vel *Cursus Justitiæ*, *quo* progrederetur *ad regnum*, uti Clar. COCCEJUS loquitur; & proinde non est *Via gloriosi Victoris* sed *laboriosi Pugnatoris*, quâ hostes *aggressurus erat*. Unde porro consequitur quod hæc *Via* Messiæ sit non modò *Via* laboris molestiæ ac pugnæ, sed & *Via* humiliationis, quam *Exaltatio Capitis* sequeretur. Quod amplius ex eo confirmatur, quia *Capitis exaltatio* fere semper tribuitur illis, qui antea in *statu Humiliationis* fuerunt collocati. Quemadmodum sic negatur de *Midianitis* per Gideonem semel *depressis* atque *Humiliatis Jud.* VIII: 28. quod *exaltaverint caput suum.* Sic David, *quum fugeret metu Abscalomi filii sui*, ait; *At tu Jehova Clypeus* es *circa* me, *gloria mea* & *extollens caput meum Psalm.* III: 4. Sic idem David, *hostibus* adversus se belligerantibus undique circumdatus, ut *ederent carnem suam*, sperat, *exaltandum Caput suum super inimicos suos Psalm.* XXVII: 6. Sic *extulit* Evilmerodach *Caput Jechoniæ*, *educens eum ex carcere Jer.* LII: 31. Similiter Dominus, dicens, *attollite capita vestra*, *quoniam appropinquat redemtio vestri Luc.* XXI: 28. finem ærumnarum instare indicat. Rectè TITELMANNUS. *Per exaltationem autem capitis*, *in scripturis intelligitur exaltatio & glorificatio post Humiliationem*: post adducta Loca *Psalm.* III: 4. XXVII: 6. ita pergens: *Sic & in Ecclesiastico* (Cap. XI: 1.) *Sapientia Humiliati exaltabit caput illius*, *& in medio magnatum considere illum faciet*. Si ergo est *Via Laboris Molestiæ* ac *Humiliationis*, certè non potest esse *via Glorificati Messiæ*, *victoriam constantissimè persequentis*, uti TREM. & JUN. in Notis, quia in personâ suâ gloriâ cælesti indutus, non am-

amplius moritur, patitur, fatigatur, humiliatur. *Act.* XIII: 34. *Rom.* VI: 9, 10. *Heb.* X: 12, 13. *Apoc.* I: 18. *Ps.* XVI: 10, 11.

X. Via itaque Domini Davidis hoc in Loco est *Vita* ejus *terrestris* sanctissima & simul miserrima. Sanctissima, per Obedientiam ejus vicariam Activam & Passivam perfectissimam: & Miserrima, inde a præsepi Bethleemitico usque ad ultimum crucis supplicium. Quemadmodum *Vita nostra* in terris *Via nostra* vocatur, *Prov.* III: 23. *Tunc obibis securè Viam tuam, & pedem tuum non offendes*, sic & Messiæ *Vita* in his terris ærumnosa, & acerbissima crucis morte finita, proponitur ut *Via* per quam INTROIIT *in gloriam Luc.* XXIV: 26; & alibi ut *Stadium*, quod decurrit, ut *gaudio sibi proposito* cælesti potiretur *Heb.* XII: 2. An verò obedientia Messiæ omnis usque ad mortem vocetur ארח חיים *semita vitæ*, *Psalm.* XVI: 11, *ostendes mihi semitam vitæ*, id est, notum facies obedientiam & mortem meam vicariam esse verè *semitam* ducentem ad *vitam*, atque ad satietatem gaudiorum cælestium, mihi & meis, pro quibus spopondi, debitam; quodque Clar. Coccejo, Aliisque Viris Doctis placuit; dubium mihi hactenus est, magis propendenti in illam sententiam, quæ, per *semitam* illam *vitarum*, immensa illa cælorum visibilium spatia, per quæ resuscitatus ex morte Messias iturus esset, adscendens corporaliter & localiter ad cœlum tertium, domum Patris sui *Joh.* XIV: 2, 3. XVI: 28. *Ephes.* IV: 10. *Heb.* IV: 14. VII: 26. intelligenda, statuit.

XI. Et meritò dicitur *Via*, & quidem *Illa*, בדרך *Badderech*, ut est in Hebræo Textu. *Via* vocatur; *Quia* Messiæ foret *aditus* ad Thronum cælestem, in cujus possessione non est natus: *Quia* præterea *finem* habitura erat, qui in omni terrestri viâ invenitur, & in Messiæ Vitâ mortali inter mortales conspiciendus foret, quoniam post resuscitationem ex morte & adscensionem in cælum, *sessurus* erat ad dextram Jehovæ: *Quia* denique in hac Vita Messiæ,

 Do-

Domini è *Cælo*, foret *peregrinatio*, extra Domum Patris sui, *Joh.* XVI: 28. *Prodii à Patre & veni in mundum. Joh.* I: 14. *Et Sermo ille factus est caro*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *in Tentorio*, *pastoris* non modò & *militis*, sed etiam *peregrinantis*, *habitavit inter nos.*

XII. Verùm non simpliciter vocatur *Via*, sed הדרך / id est, *Via* ILLA. PICHERELLUS dicit l. c. *Hebraicum articulum hanc habere vim & energeiam*, ut notet, quod Messias *tenere pergat viam institutam*, victoriæ nempe, quâ hostes fugientes avidè & incunctanter insequeretur. Sed nihil de *via instituta* in antecedentibus dictum erat expressè. Deinde ubi jam in antecedentibus *Capita* hostium *ad unum* omnia, (hinc in sing. *Caput vs.* 6.) confracta & dissipata leguntur *super terra ampla*; ibi de *fugientibus*, & fortè evasuris, ideoque *insequendis* à *Victore*, cogitandi locus haud relinquitur. Quale quid dicere voluit fortè MALDONATUS Jesuita in Lectione publicâ, contra quam ibi Disputat Doct. PIBHERELLUS, quando ajebat, *Orationem* Davidis *decrescere* & remitti, quæ increscere *deberet & intendi*, *propterea quod Victor Christus ante statueretur de hostibus*, *qui hîc tantum eos persequeretur.* Aliam emphasin & vim habet hic articulus ה / non apparens in textu, attamen latens in eo. Nempe Vita illa sanctissima & miserrima Messiæ vocatur Via ILLA. I. Erat enim *certa definita præscripta* & alibi a *Jehova* satis *declarata* Via à Salvatore generis Humani miserrimi percurrenda. *Psalm.* XL: 7, 8, 9. *Jes.* LIII. *Job.* X: 17, 18. *Heb.* X: 2. *Luc.* XXIV: 25, 26. 1 *Pet.* I: 10, 11. II. Foret porro Via *singularissima*: *Tum* quia *Sanctissima*, per obedientiam consummatissimam usque ad mortem crucis ignominiosissimam & acerbissimam, *Phil.* II: 7, 8, 9. *Heb.* V: 7, 8: *Tum* quia *miserrima*, angusta, & tenebricosa, *vallis* lacrymarum, & umbræ mortis; (unde & *torrentis* hîc fortè mentio, quia *torrens* in *valle*, solet esse;) *Via* etiam arida, siticulosa, in quâ sensu Iræ Divinæ *Psalm.* XXII: 16, LXXXVIII: 16, 17. 2 *Cor.* V: 21. *Gal.* III: 13.

&

& charitatis erga Deum glorificandum & Electos salvandos ardore consumeretur Messias Sponsor *Ps.* LXIX: 10. *Luc.* XII: 50; *Tum* denique quia à *Nemine* mortalium aut finitarum creaturarum *calcari poterat Jer.* XXX: 21. *Psalm.* XLIX: 8. Utpote quæ erat VIA ILLA SACERDOTALIS, a solo *Sacerdote secundum Ordinem Melchizedeci*, *vers.* 4. calcanda, per cruentam oblationem sui ipsius, & sic *manifestanda*, *cum prioris Tabernaculi* destructione secuturâ certò, de quâ Paulus *Heb.* IX: 8; *Tum* tandem quia ad salutem peccatoris Electi *necessariò calcari* debebat à sponsore *Luc.* XXIV: 25, 26. *Rom.* III: 25, 26. *Heb.* II: 10. IX: 22, 23. III. Foret quoque *Via* verè *mirabilis*, ubi *pugnaret* Messias adversus potestates tenebrarum, & semen serpentis, quem pugnando etiam potestate per peccatum acquisitâ exueret & sic *vinceret*; verum ita ut *patiendo* & *moriendo* vinceret, & cadendo in pulverem mortis contereret caput serpentis *Gen.* III: 15. *Heb.* II: 14, 15. Unde liquet quàm infeliciter nonnulli argumententur, quia de *Belligerantis*, ex contextu, *Via* agitur, quod ideo de cælestis & gloriosi Messiæ via agatur. *Bellum* enim gessit quoque Messias *patiens* & *moriens*. Egregiè Cl. WITSIUS, Oecon. fœd. Lib. II. C. V. §. XXVI. *Quis enim negaverit Christum a cruce pendentem quasi consertis manibus luctatum esse cum inferorum copiis & æternæ mortis horrore? Sane Paulus testatur Christum tunc* exspoliata imperia & potestates palam traduxisse, triumphatis illis per crucem, *Col.* II: 15. *Ubi autem tam nobilis est triumphus ac victoria, quis certamen ibi præcessisse inficias iverit?*

XIII. In hac *Via* constitutus Dominus Davidis, de *Torrente biberet.* מנחל ישתה DE TORRENTE BIBET. Notatur hac phrasi proculdubio *singulare* quippiam de Domino Davidis, & quod *caussa* foret *efficiens*, non *qualiscunque*, verùm *meritoria*, significata per על כן *propterea* exaltabit caput. Quamvis itaque ad literam hoc locum in vero Messiâ nostro habuerit fortè, aquam *bibere* de *Torrente*, æque

ac ex *puteo* ac *fonte* Jacobi *Joh.* IV: 7. Non tamen id ipsum heic significatur: *Tum* quia in eo nihil *singulare* est, sed in Athleta quolibet, in *omnibus continente*, locum habere potuit 1. *Cor.* IX: 25; *Tum* quia in *aquæ* potu non est *moralis virtus* per se, quamvis posset esse aliquid virtutis in eo propter aliud, propter quod & *vini* potus commendari potest *coll.* 1. *Tim.* V: 23; quemadmodum Dominus ita aquâ contentus fuit sæpe, ut tamen ab vini usu nequaquam abstinuerit prorsus. *coll. Matth.* XI: 19. XXVI: 29. *Joh.* II: 2, 3. *&c.* Quare levior est illorum Exegesis, qui simpliciter de *frugali vitâ* Messiæ hoc interpretati sunt, laudantes Ejus τὴν φιλόσοφον διαίτην heic notatam.

XIV. Ad literam ergò non intelligenda est phrasis ista, sed figuratè & emblematicè. Non desunt qui hîc de *torrente deliciarum Dei* cogitant, de quo *Psalm.* XXXVI: 9, quando *bibet de torrente* heic denotaret, in mediis anxietatibus & miseriis *confortabitur*, & *consolationem capiet* ex certitudine de Dei favore, corroboratâ cælitùs, mediatâ vel immediatâ operatione Divinâ. Ita Vir Doct. JOH. HENR. MICHAELIS. *Nam in tantâ, quæ hîc oritur, interpretum dissensione præferenda nobis videtur* SCHMIDII *sententia p.* 540. sicut lassus in via potu aquæ de torrente refocillatur, *ut viam suam absolvere queat; sic Christus Divina virtute confortatus est, ut ea recreatus caput erexerit, & victor hostium suorum evaserit: inde etiam hoc consecutus ut ad dextram Dei exaltaretur.* Nihil est in phrasi, *bibet ex torrente*, quod obstet huic sensui. Nam certè in viâ aridâ & siticulosâ *bibere ex torrente* est recreari & refocillari, seu bibere ad refrigerium & delectationem. Confirmatur Res ipsa; *tum* ex Historiâ passionis Domini nostri. *Luc.* XXII: 43. *Conspectus est autem ei Angelus è cælo corroborans eum; tum* ex Verbo Prophetico *Psalm.* XVI: 7, 8, 9. Verùm hoc mihi obstare videtur, quod in hac *Bibitione ex torrente* ponatur non qualiscunque caussa *Exaltationis*, sed *meritoria*, atque adeo quòd illa *Bibitio* ad *ipsissimam* Messiæ *obedientiam Vicariam*

id-

idcirco referri debeat. Quare etiam Interpretatio CHALDÆI *Paraphrastæ*, quæ parùm abest ab illâ SCHMIDII, heic admitti nequit. *Ab ore Prophetæ in via doctrinam accipiet*.

XV. Alii idcirco de *Torrente iræ divinæ* ex adverso heic cogitant. Et hæc est communior Veterum & Recentiorum Doctissimorum Interpretum sententia. Juxta quam, *bibet de torrente*, idem est, ac *gravissima* & *acerbissima mala patietur*, iræque Divinæ Effecta internè pariter & externè, in corpore & in animâ sentiet. Observant in hanc rem, quod *Aqua*, *Maris* non modò æstuantis, aut *Fluvii* se extollentis *Psalm* XCIII: 3, 4. aut *fluenti inundantis Psalm* LXIX: 2, 3. sed etiam & frequenter *Torrentis*, *iræ Divinæ*, ac *ingentium* in Sacrâ Scripturâ *calamitatum* sit emblema. *Jes*. XXX: 27, 28. *Ecce*, *nomen Jehovæ venit e longinquo*, *ardens ira suâ* . . . . *labra ejus plena sunt indignatione*, & *lingua ejus ut ignis consumens: & Spiritus ejus* כנחל שוטף / tanquam torrens inundans. *Jerem*, XLVII: 2. *Ecce aquæ adscendunt ab Aquilone; & evadunt* לנחל שוטף in torrentem inundantem, *ut inundent terram* &c. *Psalm* XVIII: 5. ונחלי בליעל & torrentes Belial *terrebant me*. *Psalm* CXXIV: 4. *Tunc aquæ inundassent nos*, נחלה torrens *pertransisset super animam nostram*. Ratio similitudinis est, *quia torrens* habet aquas, *de tempestatibus*, de *pluviis*, de *turbine*, de *procellis* collectas; adeoque *nunquam mundas*, sed *semper turbidas*, *semper tempestate plenas*, uti loquitur HIERONYMUS, insipidas proinde, turbantes quoque ac nocentes. Quod inprimis locum habebat in *Torrente Kedron*, ad quem heic respici voluit *Ed. Reinoldus*, *Episcopus* Norvicensis, qui verè erat Cloaca Templi & Urbis; in quem sordes animalium sacrifiiis destinatorum, ac sanguis victimarum, omnisque adeo immundicies ac veluti peccata populi defluebant. Deinde, quia non tantùm est *confluentia aquarum impuriorum*, sed etiam, quia ex pluviis vel nivibus in *locis editioribus* collectæ illæ aquæ, *magno inde impetu prolabuntur*, *ruuntque* cum *horribili* sonitu, sternuntque agros & sata læta, boumque labores

ve-

verê *torrentes*, id eſt, *terrentes*. Addunt præterea, quod *Aquæ torrentis* non ſolùm, quatenus irruunt, cingunt, rapiunt, inundant, ſed etiam quatenus *bibuntur* ſint emblemata iræ divinæ, uti ſupponi videtur in Oraculo *Obadjæ vs.* 16. & in illo dicto *Job* XXI: 20. *de ira Omnipotentis bibit.* Porro ſtudioſe monent, quod heic non dicatur, *bibet de calice*; (quæ phraſis alibi notat graviſſimè affligi; ſive de calamitatibus hominum peccatorum *Jerem.* XXV: 15, 16, 17, 27. XLIX: 12. *Jeſ.* LI: 17. *Pſalm* LXXV: 9; ſive de ipſis Meſſiæ Paſſionibus adhibeatur *Matth.* XXI: 22. XXVI: 39, 42. *Joh.* XVIII: 11.) ſed *bibet de torrente.* In qua phraſi aliquanto plus eſt, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet *bibet calicem.* Quoniam ſignificat *omnes miſerias guſtare*, *& omnium miſeriarum ſummos gradus*, uti loquitur MOLLERUS, ſecutus hac in parte Alios, ſpeciatim MELANCHTONEM & CRUCIGERUM, qui ita ferè in ſuis in hunc locum Commentariis præierunt. Urgent amplius *τὸ bibere de torrente* heic poni ut glorificationis antedens, & cauſſam meritoriam. Sed *Exaltationis Cauſſam* & *Viam* eſſe *Paſſiones* Chriſti Vicarias, docuit Chriſtus *Lucæ* XXIV: 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam?* ut & Paulus *Philipp.* II: 8, 9. *factus obediens uſque ad mortem*, *mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipſum ſuperexaltavit* &c. Uterque fortè reſpiciens ad hunc Locum Davidis quoque. Adducunt denique præcedentem *contextum*, in quo *Sacerdotii* Meſſiæ mentio facta fuit *vs.* 4. ut in quo eſt fundamentum Regni ejus. Conveniens ergo erat, ut in hoc *Epilogo* Actus ille ſacerdotalis commemoraretur diſtinctiùs, nempe oblatio ſui ipſius cruenta & paſſio graviſſima Vicaria & Mors, in quibus eſt meritum Sacerdotale, & proinde fundamentum Regni, & cauſſa regnandi ad ſalutem Electorum. *Quomodo a Sacerdotio ad regnum illud pervenerit* oſtendit, *nempe per paſſionem ad exaltationem*, inquit RIVETUS, & paulo poſt: *Hic ordo notatur ſummi illius myſterii, quo à Sacerdotio, ad regni majeſtatem adſcendit Filius Dei.*

Pri-

Primò Sacerdotio functus est, cum pro nobis satisfecit & peccata nostra expiavit, antequam plenè & perfectè regnaret. Quin & hoc tandem ad commendandam hanc exegesin inculcant, quod *scopus* Spiritus Sancti in hoc dicto omnino videatur esse, ut Judæorum cogitata à *Regno* Messiæ *terreno* abducat, & caveat, ne magnifica Regis descriptio præcedens eo unquam ab iis trahatur, atque in prætextum incredulitatis rapiatur ab illis: Ideo scilicet hîc monuit opportunè, & monere ita, ut videtur, debuit, per *passiones* Messiam introiturum in gloriam suam. Sic iterum post Alios RIVETUS. *Potuisset quis existimare, ex iis quæ dicta sunt de Regno Christi & ejusdem potentia adversus inimicos, Christi regnum fore externum, hujus vitæ & mundanum, ideo Psalmum voluit claudere Spiritus Sanctus, figuratâ prædictione Passionis Christi, dicens,* de torrente in via bibet, &c. Similiter MOLLERUS. *Dixerat Propheta de rege Christo, cui summam potentiam & victorias de hostibus tribuerat. Ne igitur Judaico more hoc accipiatur de regno corporali: addit doctrinam de ejus passione, quæ ei quasi viam apertura erat ad gloriam & exaltationem in regno . . . Hanc judico esse simplicissimam sententiam, ostendit Christi regnum longè aliud fore, quam quale Judæi somniant.*

XVI. Isthæc omnia sic quidem piè orthodoxè & haud absque magna veri specie dicuntur. Imo si suffragia Eruditissimorum & judiciosissimorum Interpretum sententiæ auctoritatem conciliare queant, hæc habet profectò quo se hoc respectu valde commendet. Nihilominus tamen omnem illam veritatis apud animum meum demonstrationem non habuit hactenus, quâ plane convicto in eam pedibus ire mihi licuit. Nemo unquam probavit, quod *bibere de torrente in via* in Scriptura ullibi denotet *Pati*, dicit Clar. Coll. HONERTIUS. De solo Elia occurrit hæc phrasis, *bibere de torrente. Et abscondes te ad torrentem, qui* est *e regione Jordani, eritque* ut *ex illo* torrente bibas . . . . *& è* torrente bibebat. 1 *Reg.* XVII: 4. 6. In quo quidem egesta-

tis inopiæ atque vitæ ærumnosæ fuit argumentum, neutiquam verò extremæ miseriæ & gravissimæ in animâ & corpore passionis indicium, quoniam ad recreationem omnino faciebat potus iste, annis illis calamitosissimis, quibus nec *Ros* nec *Pluvia* decidebant. Atque adeo, si quis de Viatore aut Milite diceret, quod *bibat è torrente*, & hoc ipso significare vellet, ipsum gravissima & extrema mala pati, certê obscurissimè loqueretur. Non agiter hîc de *aquis inundantibus* latibulum *Jes.* XXVIII: 17. de *Torrente inundante*, qui ad collum usque pertingit *Jes.* XXX: 28. *Psalm* CXXIV: 4 de *torrente sulphuris*, Ibid. *vs.* 33. *neque de torrentibus Belial perterrentibus* & undique cingentibus, *Psalm* XVIII: 5. sed de *torrente* simplicitur, ex quo *bibiturus* erat in *Viâ*, non quo *mergeretur* & *suffocaretur*. *Circumveniri*, *Inundari*, *Mergi*, *Abripi*, *Suffocari torrentis*, vel *fluenti* aquis *Psalm* LXIX: 2, 3. CXXIV: 4, 5. XVIII: 5. phrases sunt quæ de gravissimis Passionibus meritò adhibentur. Sed hæ longe diversæ sunt à phrasi quæ heic occurrit, *bibere de torrente*. Neque enim omnis qui bibit de torrente eo abripitur mergitur & suffocatur. Quare mirari licet; Doctissimos Viros hæc in Commentariis suis miscere omnia, ac si plane idem esset bibere de torrente, & eo abripi mergi ac suffocari; nec miscere tantùm ac confundere distinctissima; sed etiam fingere sibi *Torrentem*, qui *viam* intersecat & quem Messias *vadare* debebat; quod supra refutavimus. *Bibere* porro ex torrente *turbido*, quia plus nocere posset quam prodesse, calamitatis qualiscunque, sed non ingentis, extremæ, ac summæ Afflictionis potest esse emblema. Quod & illi Interpretes satis videntur agnovisse, qui τὸ *Bibere ex torrente*; Vel commutarunt sua auctoritate in τὸ *epotare ac ebibere* torrentem, quod fecisse JAC. ALTINGIUM, supra a nobis monitum est quoque; Vel de suo addiderunt voculam *multùm*; uti LUCAS OSIANDER, qui de *ingentibus afflictionibus* loquitur, *quæ ita eum abripient, ut tanquam suffocandus*, MULTUM *sit bibiturus turbidæ istius aquæ*. HIERONYMUS quidem asseverat,

verat, quod torrens *nunquam habeat aquam mundam*, *sed semper turbidam*. Quod an verum fuerit de torrente *Crith*, cujus aquis Elias usus fuit per annum integrum, meritò dubitatur. Certe vox נחל de Rivo limpidissimarum aquarum quandoque usurpari videtur *Deut.* VIII: 7. 2 *Chron.* XXXII: 4. *Jerem.* XXXI: 9. Unde etiam lætissimarum rerum emblema existit sæpe *torrens* נחל *Psalm* XXXVI: 9. *Prov.* XVIII: 4. *Ezech.* XLVI: 9. Aliud præterea est *bibere* de *calice* vini turbidi, inebriantis, venenati; aliud verò de *torrente*, cujus aqua limpida esse potest, & potui apta. Illam phrasin Dominus de suâ passione adhibuit, hanc verò nunquam. Ut tamen tectè insinuent Dominum respexisse ad nostrum hunc locum, *Matth.* XXI: 22. XXVI: 39, 42. fingunt subintelligi *calicem*, quem *impleverit de torrente mundi*, ut ait, HIERONYMUS. Adeo multis scilicet ambagibus opus erat, ut phrasis hæc eò torqueretur tandem, ut significaret passionis Domini magnitudinem & acerbitatem.

XVII. Qui AUGUSTINUM sequuntur inter Veteres & Recentiores de *Torrente mortalitatis Humanæ* loquuntur, respicientes, non adeò aut solùm ad copiosas & turbulentas, quam quidem ad continuè motas & *rapidissime fluentes Torrentis aquas*. Nempe sicut torrens pluvialibus aquis collectus, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, id est, cursum finit, sic est omnis iste cursus mortalitatis humanæ. Nascimur, vivimus, morimur: & morientibus nobis oriuntur alii, succedunt, accedunt, decedunt. *De* hoc ergo *torrente*, de hoc strepitu transeunte, de hoc denique mortalitatis nostræ fluxu *bibet* Dominus, idemque Filius Davidis, & Verbum Dei Patris, nascendo, patiendo, moriendo, mortalisque vitæ nostræ pœnam ferendo, sed in *Via*, quia scilicet mala nostra *in transitu*, mortemque ipsam *ad triduum* gustavit. Qualia apud AUGUSTINUM, PROSPERUM, GREGORIUM, BEDAM, aliosque occurrunt. Quantum ad rei substantiam attinet, haud differt,

hæc sententia à proximè præcedente, sed tantùm in modo applicationis emblematis ad Passionem Messiæ, eo indicatam.

XVIII. Verùm malè ponitur in *Torrente* Emblema vitæ mortalis, quod jam in *Viâ* præcesserat. Et proinde quam jejunus hinc emergit sensus, si verba dictionis hujus figuratæ ad terminos proprios revocemus? nempe hic, *In vitâ mortali particeps erit vitæ mortalis.* Nihil hîc de torrente, vel *Deliciarum*, vel *Iræ Divinæ*, vel *Mortalitatis humanæ* dicitur, sed simpliciter de *Torrente* agitur. Intelligendus ergo est *Torrens* quivis obvius, ex quo *biberet in via* Messias. Phrasis igitur hæc tota seu in intrego complexu suo sumenda est: & deinde bene cavendum est, ne idem in *torrente* iterum quæramus, quod jam in *Viâ* præsignificatum erat. *Viâ* verò Messiæ, quâ tenderet ad *sessionem ad dextram* Dei in *cælis gloriosam*, quænam alia est, quam via mortalis vitæ, *laboris*, *molestiæ*, *fatigationis*, *ignominiæ*, *crucis? coll. Heb.* XII: 2. *Via* porro ad *Sacerdotium cæleste* perpetuum, non alia est quàm via *cruentæ oblationis* sui ipsius *Heb.* I: 3. VII: 26. IX: 8, 11, 12, 23, 24, 25, 26. X: 12, 13, 14. *Via* denique ad *Exaltationem Capitis* supra hostes, est via pugnæ ac *certaminis*, inquo *Archidux* salutis nostræ per *passiones comsummaretur Heb.* II: 10. atque ita contereret Caput serpentis, ut hic ipsius simul calcaneum contereret, ipsumque *humiliaret* atque *dejiceret in pulverem mortis Gen.* III: 15.

XIX. Quoniam itaque *Humiliatio* Messiæ *omnis* & *mors* jam præsignificata sunt in *Via illâ*, non oportet ea iterum in *Torrente* repetere. Quare etiam non sunt sequendi illi, qui phrasin quidem *bibendi in viâ de torrente* integram sumentes, eam exponunt; Vel de *Humiliatione* ejus in genere; Vel in specie de *paupertate* ejus *Zach.* IX: 9. ac *vili vivendi ratione*, absque externo apparatu, & clamore bellico *Jes.* XLII: 2. atque armorum curruum militum satellitum strepitu; quæ in Regno mundano locum habent, at verò mini-

minime in hoc Rege cælesti conspicerentur, dum in *via* vitæ terrestris ac mortalis obambularet. Posterior hæc exegesis occurrit apud BASILIUM MAGNUM in Scholiis, & CHRYSOSTOMUM, vel potius JOHANNEM HIEROSOLYMITANUM in Commentario in *Psalmum hunc*, & apud CHRYSOSTOMUM, *Hom.* XXX: in *Joh.* IV: 6. Prior verò invenitur quoque apud RIVETUM. *Videtur ergo*, ait, *exaltatio capitis præsupponere præcedentem* demissionem, *significatam* bibitione torrentis in via; *ut in his paucis verbis agnoscamus Messiæ exinanitionem, & exaltationem* &c. Ratio exegesios hujus est, quòd *Bibitio de torrente in via*, sit semetipsum humiliantis, ac caput saltem inclinantis & demittentis, si manu aquam ad os admoveat, & magis si genua flectat simul, ut bibat ex torrente; imo quia τὸ *bibere ex torrente* est hominis ærumnosi, exulis, ut in Elia apparuit 1 *Reg.* XVII: 4. 6. deinde plebeji vilis pauperis, nullo satellitio stipati, neminemque habentis qui ipsi sit à poculis.

XX. Sed, uti dixi, quia hæc cuncta jam in *Via* sunt prænotata; hac phrasi adjectâ aliquid aliud intelligere debemus; quod sit nempe *notabile & necessarium* vitæ mortalis ærumnosæ pauperis, Humiliationis ac Mortis Messiæ *Adjunctum.* Utique *in via de torrente bibere* est VALDE PROPERANTIS & FESTINANTIS in *opere suo.* Quare Viator, Cursor, Nuncius, Miles, Dux, Victor, in via de torrente bibit, non autem diversoria quærit, ut lacte vel vino se reficiat, nisi quia SUMMO ARDORE & MAGNO ZELO CUPIT iter suum prosequi, cursum absolvere, negotium sibi demandatum conficere, hostes aggredi vel insequi. Hæc est caussa quòd nullum captet quietem, sed contentus sit sitim restinguere aquis ex fluvio vel torrente haustis. Huc respexisse Spiritum Sanctum in adhibita hac figurata locutione omnino puto. Ad Gideonis historiam illam, memoratam *Jud.* VII: 1,—8. allusisse Spiritum multi volunt. Sed re bene perpensa videre nequeo, quod illa huc multum fa-

ciat. Ibi enim *Bibentes* aquam genibus flexis, ore aquæ admoto & immisso, more *hominum*, distinguuntur a *Lambentibus* aquam manu haustam, more *canum*, hominibus inusitato. Illi ex Divino mandato dimittuntur. Hi verò assumuntur à Gideone numero trecenti; dicente Jehova Gideoni, *trecentis istis viris lambentibus servabo vos, & tradam Midianitas in manum tuam.* Caussa assumtionis horum præ illis incerta est. Vulgò judicant Caussam fuisse, quod hi lambentes, *stando* biberint nec quietem sumserint ut illi, qui in *genua se incurvaverant*, adeoque bellis gerendis & victoriis prosequendis se aptiores præstiterint atque declaraverint. Sed si bene attendamus, caussa discriminationis ponitur in eo, quod hi *lamberint* aquas instar *canum* linguis suis, Illi vero *biberint* eas instar hominum, ore aquis apposito. In *lambentibus* illis extraordinarium motum Divinæ Providentiæ agnoscendum esse judicat SEB. SCHMIDIUS, quo ipso Divinitus ab aliis discreti essent, ad bellum hoc Jehovæ contra Midianitas gerendum. Saltem quia hîc de Messia non dicitur, de Torrente *lambet*, sed *bibet*, more hominum scilicet, sive *genibus flexis* ad bibendum, sive *stans* & *bibens* è manu sua aquam manu sumtam ex torrente; non credimus ad *trecentos lambentes illos* heic fieri peculiarem allusionem. Sed, ut dixi, metaphora est desumta ab Illis, inprimis Bellatoribus, qui MAGNO ZELO & ARDORE SUMMO opus suum peragere, vel hostes aggredi & insequi cupientes in viâ, aquæ quovis potu obvio, vel ex torrente hausto, sitim restinguunt. Sic GROTIUS. *Descriptio Bellatoris alacris, qui dum hostes persequitur non quærit diversoria aut cauponas, ut vino se refoveat sed aqua contentus est, quam obiter & raptim sumit, ex quovis quem reperit non fluvio tantum, sed & torrente.*

XXI. Indicari itaque hac phrasi existimo; Messiam, *Viam* humiliationis passionis & mortis sibi à Patre præscriptam LUBENTISSIME ingressurum esse, *magno* cum ZE-

LO

LO & animi ARDORE in eâ perrecturum, atque ex incredibili AMORE gloriæ Divinæ sic illustrandæ, & salutis Electorum sic promerendæ, valde FESTINATURUM ac PROPERATURUM esse, nec QUIETURUM donec totam absolverit. Hoc est de Messiâ prædictum *Jes.* L: 4, 5, 6. *Psalm.* XL: 7, 8, 9. & præsertim *Psalm.* LXIX: 10. *Quia* ZELUS DOMUS TUÆ EXEDIT ME. Hoc etiam in *Sponsore* Fœderis necessarium erat requisitum, ut spondeat & sponsionem exequatur את לבו CUM CORDE SUO *Jer.* XXX: 21. Hoc quoque in nostro Jesu, Davidis Filio & Domino vero, visum fuit. Omnis pagina N. T. plena est laudati AMORIS Christi, ex quo & cum quo se tradidit ardentissimè & lubentissimè pro nobis *Rom.* V: 5, 6, 7. 2 *Cor.* V: 14, 15. *Gal.* II: 20. *Ephes.* V: 2, 25, 26. *Heb.* XII: 2. 1 *Joh.* III: 16. &c. Audite ex ore ipsius Domini quantopere desideraverit pati, & redemtionis nostræ opus sic perficere. *Lucæ* XII: 50. *sed Baptismo oportet me baptizari*, *& quomodo constringor*, ardentissimo zelo & animi vehementissima cupidine, *usque quo* hoc *perficiatur ? Joh.* IV: 34. ESCA MEA *est* EXEQUI VOLUNTATEM EJUS *qui misit me*, & CONSUMMARE IPSIUS OPUS. Quando hora ipsius venerat, non subterfugit, sed sese Proditori & Captoribus sponte obtulit. *Joh.* XVIII: 4. 8. 11. Naturales quidem Voluntatis suæ humanæ inclinationes declaravit Patri suo, sed & simul sese ad eas omnes abnegandas promptum & paratum stitit *Matth.* XXVI: 39. 42. Neque cessavit ab Opere Redemtionis suscepto, donec in Cruce exclamaret, *Consummatum est Joh.* XIX: 30. In hoc denique *zelo* Messiæ *Festinantis* ut opus sibi mandatum perageret, juncto, cum infinita Personæ *Domini Davidis* dignitate, est illud *Meritum* Messiæ humiliati, propter quod ipse *exaltavit Caput* ad salutem suorum.

XXII. Hinc additur, *Propterea exaltabit Caput.* Jam *morituri* caput inclinare, *damnatique* ad mortem demittere illud solent, sed *vita donati* erigunt illud iterum læti. In hac Via damnaretur ad mortem, & moreretur Messias, *ca-*

put-

putque suum *inclinaret* in *cruce*, coll. *Joh.* XIX: 30. Sed *Justificaretur* a Patre judice *Jes.* L: 8. & *Resuscitaretur* a morte post triduum, ita ut *corruptionem* non videret *Psalm.* XVI: 9, 10, 11. XL: 6. 11. *Jes.* LIII: 8, 9, 10. *Hos.* VI: 2. &c. Rursus, *ignominia oppressi* demittunt caput, sed *honore* affecti elevant illud. Sic Messias per viam *ignominiosissimæ* Crucis transiret ad gloriam summam, & *gloria ac honore* sedens à Patris dextris *coronaretur Psalm.* VIII: 6. *Phil.* II: 7, 8, 9, 10. *Heb.* XII: 2. Iterum *victi* demittunt caput *Thren.* II: 10. sed *victores exaltant* illud *Psalm.* III: 4. XXVII: 6. Sic Messias *Victor* foret Diaboli & peccati, quos hostes nostros, patiendo & moriendo, omni *potestate* detinendi amplius Electos Reatus & Dominii intolerandi vinculis exueret, & iis actu eriperet suos *Gen.* III: 15. *Jes.* XLVIII: 25. LIII: 12. *Coloss.* II: 15. *Heb.* II: 14, 15. 1 *Joh.* III: 8. *Victor* quoque foret Mortis, Resurgendo ex ejus pulvere, & Surgendo in die ultimo super pulverem nostrum, ut illum vivificet pariter. *Job.* XIX: 25, 26, 27. 1 *Cor.* XV: 25, 26. *Joh.* XIV: 19. *Victor* denique foret omnium hostium suorum, qui ad unum omnes delendi erant, atque in æternum pœnas promeritas daturi, juxta id quod dictum erat *v.* 1, 5, 6. *Servorum* denique ac *Subjectorum* est demittere caput, sed *Dominorum* ac *Imperatorum* erigere illud. Hoc sensu de Midianitis legitur, quòd a Gedeone depressi, *non attulerint caput suum*, hoc est, nunquam postea *Dominati* sint Israëli *Jud.* VIII: 28. Sic Messias exaltaretur in *Caput Ecclesiæ Psalm.* CXVIII: 22. ex omnibus populis colligendæ *Dan.* VII: 13, 14. *Ephes.* I: 22, ut sedens ad dextram Dei *regnaret*, 1 *Cor.* XV: 25. & *dominaretur operibus* manuum Dei omnibus, ad salutem Electorum suorum *Psalm.* VIII: 6, 7, 8, 9. atque ut tandem *Judex* esset vivorum & mortuorum *Jud. vs.* 14. *Joh.* V: 22. *Act.* X: 41, 42. XVII: 31.

XXIII. Hæc verò *Exaltatio* Capitis Messiæ omnis non tantum foret sequela *Passionis* ejus *Voluntariæ*, sed & hæc Exaltationis ejus foret *caussa meritoria*. Quæ sanè indicatur

tur per על כן *propterea*, exaltabit caput. Ubi enim *Personæ Divinæ*, qualis *Dominus* Davidis erat, tanta Humiliatio connectitur per על כן cum ejus Exaltatione, ibi non nuda ex liberalitate Jehovæ Patris Consequentia, sed Merces & Præmium de condigno & simul ex pacto connotantur. Hinc PAULUS, fortè ad hunc Locum nostrum respiciens quoque, ait διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε *Phil.* II: 9. Alibi hoc quoque prædictum est à Prophetis. *Jes.* XLIX: 4. ופעלתי את אלהי *& operis mei* MERCES *a Deo meo Jes.* LIII: 11. מעמל PROPTER *laborem animæ suæ videbit semen;* & *Psalm* XLV: 8. *Dilexisti justitiam & odio habuisti improbitatem* על כן PROPTEREA *unxit te Deus Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.* Voluntaria Messiæ subjectio prædicta *Psalm.* XL: 7, 8, 9. est caussa meritoria salutis nostræ, docente id Paulo *Heb.* X: 9, 10. *Tunc dixit, Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, aufert prius, ut posterius statuat. Qua* VOLUNTATE *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* factam. Omitto nunc Locum illum ex *Psalmo* XCI: 14. QUIA *me* VALDE AMAT, *propterea eruam illum: exaltabo eum, quoniam agnoscit nomen meum;* quia ibi de Messia fortè non agitur: saltem id infeliciter admodum probatur ex auctoritate Patris mendacii, qui *verba Versiculi* XI. istius Psalmi, *in manibus portabunt te, ne forte impingat ad lapidem pes tuus*, adduxisset in tentatione Christi in deserto, *Matth.* IV: 6. tanquam *Oraculum* de Messia *Propheticum*, ex Judæorum non solum opinione, sed & ex rei veritate, continentia.

XXIV. Non est necesse post hæc omnia, vel *Signa* Messiæ ex hoc Oraculo recensere, vel illorum in Jesu Nazareno nostro *Implementum* ostendere. Hæc enim satis constant ex iis quæ in explicatione hujus Oraculi dicta sunt. Certe JESUS NAZARENUS est ille *Dominus* Davidis, & *Sacerdos* secundum *Ordinem narrationis Mosaicæ de Melchisedeco*, qui per *Viam* illam *Sacerdotalem*, quam calcavit & ab-

absolvit per sui ipsius oblationem vicariam, magna cum *lubentiâ*, *zelo*, *ardore* ac *constantiâ* ad finem perductam, ingressus est cœleste Sanctuarium, *exaltavit Caput* suum, & Victor hostium suorum evasit; Gloriâ & Honore coronatus. Quamobrem Officii nostri erit: I. *Ut* Eum tanquam *Filium* & *Dominum* Davidis, & Sacerdotalem Redemtorem nostrum, *Recipiamus* fide cordis sincerâ, *Profiteamur* ore intrepido, & *Colamus* obedientia promptâ & constanti Voluntatis Ejus: *Ut* II. *Perpendamus* quotidie cum *Admiratione*, *Gaudio*, ac *Amore* intensissimo, Zelum Ejus, Charitatis ardorem, & Constantiam, quibus in Via constitutus Sacerdotali, Opus salutis nostræ peregit, & *Viam* illam molestam & angustam percurrit: *Ut* III. *Imitemur* sanctissimum Redemtorem, pergendo alacriter & constanter in *Via* Fidei & Resipiscentiæ quotidianæ, quam nobis præscripsit, & quæ angusta est quidem atque molestiarum plena ac ærumnarum, attamen simul Sancta est, & Secura per Domini præsentiam, & Læta per Spiritus consolationes, & denique cum æterna exaltatione cælesti connexa; inprimis *ut imitemur Zelum* Ejus, in *Viâ* ad Cælestia Tabernacula illa nobis quoque præscriptâ, in quâ debemus iter nostrum inchoatum continuè prosequi, non segniter ambulare, non tepidi esse unquam in bono, non carnis cupiditates sectari, non commoda nostra carnalia & temporalia quærere ubi Dominus vocat ad abnegationem nostri ipsius, crucis portationem ac sequelam sui: *Ut* IV. *Fiduciam* ponamus in *Sacerdote* hoc *Unico* & *Rege Æterno*, ac Victore hostium suorum omnium, dum in *Viâ* hac terrestris Vitæ angusta ærumnosâ molesta, ac finienda certò in Valle umbræ mortis, procedimus; confugientes quotidie ad *Merita* Ejus *Sacerdotalia*, ubi peccata nostra iram Judicis summi in nos provocant; & ad Ejus *Potentiam Regiam*, ubi Caro, Satanas, Mundus irridens aut persequens, fidem nostram impugnant; *Certi* de Victoriâ propter Sacerdotis nostri & Regis æterni perpetuam Intercessionem ac validam Custodiam;

Certi

Certi quoque de constanti Ecclesiæ Militantis in Terris Duratione, ab Inferni portis non superandæ unquam: *Ne* tandem V. Mortem *Metuamus*, cui aculeum ademit noster Jesus, Victor & Triumphator Inferni & Mortis, quam vicit Ipse resurgens ex morte, quamque cum Illo vincemus in ultimo die, juxta promissum Ejus, *Vivo ego & vos Vivetis*, & juxta spem omnium Fidelium; quando plenè exaltabimus Capita nostra, Victores Mundi Diaboli Mortis erimus, Gloriâ & Honore coronati loco Ignominiæ multiplicis, quam in hac *Via* terrestris Vitæ nostræ ferre propter nomen Jesu debuimus; & quando in æternum *bibemus* ex *torrentibus deliciarum* Dei in Paradiso cælesti!

DISSERTATIO DECIMA QUARTA DE HÆREDITATE TERRÆ PIIS PROMISSA.

Ad LOCUM *MATTH.* V. 5.

I.



Uum inter Bona Pietati promiſſa numeretur quoque in Sacris Voluminibus HÆREDITAS TERRÆ; haud absque ratione quæritur, an ad *hujus*, an verò ad *futuræ vitæ promiſſionem*, quam utramque *pietatem habere* teſtatus eſt gentium Apoſtolus, 1 *Tim.* IV: 8. referenda ſit illa. Nonnulli enim ex Veteribus pariter ac Recentioribus ad *futuram* tantum; Alii verò ad *hanc* ſolam ſpectare arbitrantur. Nos verò cum iis facimus, qui ad *vitam utramque* illam pertinere judicant.

II. Haud uno in loco occurrit hæc de *Terræ Hæreditate* Promiſſio, fortè tamen non eodem ubique ſenſu. Dantur enim Loca nonnulla, in quibus *Terra*, per additas in Contextu *Jacobi* vel *Tzijonis* voces, ad *Terram Sanctam* reſtringitur: *Jeſ.* LVII: 13. *qui verò recipit ſe ad me*, ינחל ארץ hæreditabit terram, ויירש הר קדשי & hæreditabit montem *ſanctitatis meæ*: *Jeſ.* LVIII: 14. *Tunc delectaberis in Domino*, & *equitare faciam te ſuper* excelſa terræ: *Et cibabo te* hæreditate *Jacobi Patris tui*, *quia os Domini eſt locutum.* Alia

lia verò extant Loca, in quibus illa restrictio non reperitur, sed *Terra* nudè & simpliciter nominata occurrit, quæ potissimum respicimus, nostræque Meditationis præcipua objecta erunt. Cujusmodi sunt quidem etiam: *Psalm* XXV: 13. *Anima ejus* (Viri timentis Dominum) *in bono commorabitur*; *& semen ejus* ירש ארץ hæreditabit terram: Et *Jes.* LX: 21. Et *populus tuus*, *omnes ipsi justi*, לעלם ירשו ארץ in æternum hæreditabunt terram: Sed præsertim inveniuntur in *Psalmo trigesimo septimo*, ubi quinquies, (vel sexies, si versum *tertium* connumerare velimus, ob illud *inhabita terram*,) repetita legitur hæc Promissio de *Hæreditate terræ*. Bis occurrit in *vs.* 9, 10, 11. *Quoniam maligni excidentur*, *& exspectantes Dominum ipsi* ירשו ארץ hæreditabunt terram. *Et adhuc paululum*, *& non impius*; *& advertes super locum ejus*, *& non ipse. Et mansueti* ירשו ארץ hæreditabunt terram; *& delectabuntur super multitudine pacis.* Rursus *vs.* 22. *Quia benedicti ab eo* ירשו ארץ hæreditabunt terrum, *& maledicti ab eo excidentur.* Iterum significanter *vs.* 27, 28, 29. *Recede à malo*, *& fac bonum*, ושכן לעלם & habita in æternum. *Quia dominus diligens judicium*, *& non derelinquet misericordes suos*, *in seculum custodientur*; *& semen impiorum excidetur. Justi* ירשו ארץ hæreditabunt terram; *&* habitabunt לעד in æternum *super eam.* Denique *vs.* 34. *Expecta Dominum & custodi viam ejus*, *& exaltabit te* לרשת ארץ ad hæreditandum terram; *cum excidentur impii*, *videbis.* Cum quibus uti conferri merentur Dicta Salomonis *Prov.* II: 21, 22. *Quia Recti* inhabitabunt terram, *& integerrimi* remanebunt in ea. *Et impii de* terra excidentur; *& prævaricatores* eradentur *ex ea:* & *Prov.* X: 30. *Justus in æternum non dimovebitur*, *sed impii non habitabunt terram:* ita imprimis addi debet illis Sententia Domini, Angeli Fœderis, in concione montana, *Matth.* V: 5. *Beati mansueti*, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν *quoniam ipsi* HÆREDITABUNT TERRAM, manifestè desumta, ex *Versu undecimo* Psalmi trigesimi septimi.

III. Ad

III. Ad rectam intelligentiam hujus toties *Repetitæ Promissionis* multum faciet, si diligenter notemus sequentia, atque ex iis tanquam veri sensus characteribus de mente Spiritus Sancti judicium formemus. *Primò*, *Bonum* Promissum est TERRA, absque ulla determinatione vel limitatione toties simpliciter à Spiritu nominata, quasi terram quamlibet omnem ac totam omnino à nobis intelligi velit, perinde ac in aliis bene multis locis, in quibus loquitur de *Terrâ manente* in seculum *Ps.* CXIX: 90. *Eccles.* I: 4. de gente nulla in *Terra*, simili Israeli 2 *Sam.* VII: 23. de justo nullo in *Terra* qui faciat bonum & non peccet *Eccles.* VII: 20. de hominibus & jumentis in superficie *Terræ*, *Jer.* XXVII: 5 de pulvere, & herba *Terræ Gen.* XIII: 16. *Job* V: 25. de *Terra* spontè fructum ferente *Marc.* IV: 28. *&c.* Nihil enim additur in Textu vel Contextu quod cogitata nostra restringat ad hanc vel illam modò terræ regionem, & portionem, vel speciatim ad *Cananæam*, quæ ut Terra *promissionis*, *desiderii*, *sancta*, *excelsa* & *montosa*, *&c.* aliàs laudatur ac describitur vulgo; quamvis etiam *Terra* simpliciter vocetur, sed ita, ut ex Contextu satis pateat restrictior ille sensus. Quale quid apud *Davidem* in *Psalmo trigesimo septimo*, & apud *Jesaiam*, *Capite sexagesimo*, non apparet. Imo restrictiori isti sensui apud Davidem Sententia Domini apud Matthæum, quoad verba & sensum ex illo Psalmo petita, manifestè obstat. Promissio enim *terræ* heic facta a Domino, non est *Cananææ*, quia ejus possessio ad Rempublicam Israelis solam, & secula typica, atque ad tempora erecti & stantis parietis intergerini inter Judæos & Gentes pertinuit. *Secundò*, hujus Terræ promittitur; non solùm HÆREDITARIA POSSESSIO, duratura לעולם IN ÆTERNUM, id est, cujus terminus est absconditus, vel quia procul est, aut incertus, vel quia nullus erit, *coll. Psalm* LXXXI: 16. *Ps.* CX: 4. *Dan.* XII: 2; Verùm etiam INHABITATIO ejus לעד IN ÆTERNUM futura, id est, diutissimè, vel etiam interminabiliter, *coll. Prov.* XXIX: 14. *Job* XIX: 24. *Ps.*

Ps. CXLVIII: 6. & *Ps.* XXI: 7. XXII: 27. LXXXIX: 30. *Tertiò*, hoc Bonum promittitur: Non uni vel alteri mansueto, sed MANSUETIS, *omnibus & singulis* nempe; non tamen *mansuetis* ex naturali temperamento vel educatione, sed ex divina gratia talibus, atque ex sensu dependentiæ suæ naturalis & moralis a summo Creatore & Legislatore, & tenuitatis suæ, ac damnabilitatis vel propter minimum peccatum, & impotentiæ naturalis ad faciendum verè bonum ac ad satisfaciendum Deo; & qui propterea esuriunt & sitiunt justitiam seculorum, eamque salutari fide amplectuntur *Matth.* V: 5, 6. Apud Jesaiam dicitur, *omnes ipsi justi*, id est, *justificati*, uti *Munsterus* & *Clarius*, *hæreditabunt terram*, atque adeo propter justitiam Messiæ imputatam. Neque *Mansuetis* modò hoc promittitur, sed & CUILIBET. *vs.* 20. *Viro timenti Dominum Ps.* XXV: 12, 13., וקוי יהוה *& Exspectantibus Dominum*, *Ps.* XXXVII: 9. *Benedictis ab eo vs.* 22. & *Justis vs.* 29. *Jes.* LX: 21. Et denique his OMNIBUS absque discrimine non modò, ut nemo fidelium excludatur; sed & SOLIS tandem, post *excisos* nempe ad unum omnes *impios ex terra*, in qua hi per aliquod tempus quidem simul forent cum piis, sed tandem penitus ex eâ extirpandi atque eradicandierant, ita ut pii soli in eâ *pemansuri* sint. *Psalm* XXXVII: 9, 10, 20, 22, 28. *Prov.* II: 21, 22. X: 30. *Jes.* LX: 21. Nonnulli insuper in verbo *Hæreditandi* significationem *Successionis* in locum impiorum urgent cum *Doct. Muisio* in *Psalm* XXXVII: 9. Ita *Clar. Coccejus* in *Disp. Sel.* XXX: § 23. *Notanda etiam proprietas verbi* ירש, *quo utitur Ps.* XXXVII: 9, 11; 22, 29, 34. *quod vertitur* κληρονομεῖν. *Notat id in possessione alteri succedere sive suo sive alieno. Atque inde* הוריש *etiam notat ex possessione expellere, quia necesse est, eum a possessione abire, cui datus* יורש Successor. *Igitur, quum dicitur* ירשו ארץ *notatur, violentos & improbos ex terra esse extrudendos, & everrendos, ut mansueti eam possideant.* Quando itaque *semini* timentium Jehovam hoc Bonum addicitur, intelligendum quidem est semen carnale, sed quod simul sit fide-

fidele & pium, sanctis parentium vestigiis insistens, quale tum simul piis promittitur progenitoribus, *Psalm* xxv: 13. cxii: 2. *Quartò* denique REPETITUR hæc *Promissio quinquies vel sexies*, uti dictum est, in *uno Psalmo*; præterea a *Salomone*, *Jesaia*, imo ab ipso *Domino*, in Concione montana; salutis viam veram docente, & Fœderis gratiæ officia ac beneficia exponente, sedulò inculcatur. Certé absque caussâ factum hoc minimè videtur; sed ad Boni promissi, desiderandi atque æstimandi, magnitudinem commendandam, utpote quod contineat beatitatis fidelium in hoc & altero seculo partem haud exiguam nec contemnendam; & deinde ad promissionis hujus, infallibiliter implendæ, certitudinem contestandam. Hæc enim *possessio terræ* complectitur rem, quæ occulta est ex parte, & intus sentitur magis à justis, quam extus ab aliis conspicitur, & quæ difficulter admodum creditur ab homine carnali, pios nempe afflictos pauperesque terræ esse Dominos, & fore tandem, impiis ex ea prorsus deletis, felices & perpetuos ejus Possessores.

IV. Et sane Promissio hæc videtur *Paradoxa*, imo Scripturæ reliquæ, & Experientiæ omni contraria. Etenim in *futuro seculo*, non Terra hæc, sed *Cælum* erit Habitaculum justorum perpetuum. *Joh.* xiv: 2, 3. *In domo Patris mei* μοναὶ πολλαὶ *sunt: alioqui dixissem vobis. Proficiscor paraturus* vobis locum: *& quum profectus fuero, & paravero* vobis locum, *rursum veniam*, *&* assumam vos ad me ipsum: *ut* ubi *ero ego & vos sitis*. 1 *Thess.* iv: 17. *Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aera: & ita* semper cum Domino *erimus*. Sic *Petrus* de *hæreditate*, *quæ nec corrumpi potest*, *nec contaminari*, *nec marcescere*, in cælis servatâ *nobis* loquitur 1 *Epist.* i: 4. In *hoc* verò *seculo*, inhabitatur *Terra* & inhabitabitur ad finem usque ab *hominibus* quibuscunque; piis & impiis, quibus data dicitur *Psalm* cxv: 16. *Terram autem dedit filiis hominum.* Justi quidem sunt *optima* pars Terræ; unde

unde etiam dicuntur fortè *Mansueti terræ*, *Psalm*. LXXVI: 10. *Jes*. XI: 4. *Tzeph*. II: 3; sed & *minima* & afflicta. *Terra* enim *traditur in manum impii*; cum *dies* pii hominis, *non experti bonum*, *cursore velociores* aufugiant, *Job*. IX: 24. 25. Purpurati Divites hîc bona sua recipiunt, probi verò cum paupere & ulceroso Lazaro mala *Luc*. XVI: 25. *Ps*. XVII: 14. Impii sunt *habitatores Terræ* Hieronymo, *Apoc*. VIII: 13. *Væ habitatoribus terræ*, quia eorum habitatio in hac terrâ est gloriosa vulgo, quieta ac diuturna. Justi ex adverso *Peregrinari* in ea perhibentur *Ps*. XXXIX: 13. *Heb*. XI: 13: 1 *Pet*. II: 11. quia scilicet corpore nil proprii quandoque possident, ne quidem ad vestigium pedis usque, neque animo, quo *cœlum* occupant, & quærunt ac desiderant *Patriam cœlestem*, & *Civitatem* habentem fundamenta, cujus *cives* sunt, & *sanctorum concives Eph*. II: 19. *Philipp*. III: 20. *Heb*. XI: 10, 16. XIII: 14. *Coloss*. III: 1. 2 *Cor*. V: 2, 3, 4, 8. quia porrò peregrinantium instar contemtui irrisioni ac odio mundanorum objecti, multisque periculis & adversitatibus, & in assiduo hostium, corpori & animæ insidias struentium, Tyrannorum & violentorum quorumcunque prementium & pellentium eos, metu versantes, cupiunt dissolvi & *esse cum Christo*, *Phil*. I: 23.

V. Nihilominus tamen certa est Promissio, fidelis enim est Deus qui promisit: sed quænam est TERRA, cujus possessio hæreditaria & inhabitatio perpetua promittitur justis? Veterum benè multi difficultatibus hisce pressi, ajunt TERRAM heic esse positam pro CÆLO. Ita *Origenes Hom*. XXVI: in *Numeros*, & *Hom*. II: in *Psalm*. XXXVII: *Eusebius Cæsariensis Comment*. in *Ps*. XXXVII: *Basilius Magnus* in *Psalm*. XXXIV: *Gregorius Nyssenus* Frater ejus de *octo Beatitud*. in *Matth*. V: *Theophanes Cerameus*, sec. IX: ut volunt, Scriptor. *Hom*. LI: de *Beatitudinibus*. Græcos & Origenem secuti sunt ex Veteribus Latinis præsertim *Ambrosius* in *Psalm*. XXXVII: *Hieronymus* in *Comment*. in *Psalm*.

Jesaiam, *Matth* & in *Epist.* ad *Dardanum*. *Augustinus* in *Psalm.* XXXVII, & *in Sermone Domini in Monte:* quos iterum recentiorum temporum Scriptores magno numero sequuntur. Neque ratione omni destituta videtur hæc inexpectata TERRÆ in CÆLUM commutatio. Si enim *Cælum* vocatur *Paradisus* *Tzijon* & *Jerusalem*, quæ partes terræ sunt, utique nec insolens plane, nec à Scripturæ stylo magnopere alienum judicari debet, si *Terræ* nomine in his promissis simpliciter veniat. *Eusebius*, εἰ δ' ἔστιν ἐν οὐρανοῖς Ἱερουσαλὴμ καὶ Σιὼν ὄρος τοῦ Θεοῦ τὸ ἐπουράνιον· ἀκόλουθόν ἐστι καὶ γῆν ἐπουράνιον νοεῖν τὴν ἐπηγγελμένην τοῖς ἀξίοις. *Quod si in cælis Jerusalem & Sion mons Dei cælestis adsit, consequens est etiam ibi terram cælestem cogitare, dignis promissam.* Tantò minus porro à phrasi Scripturæ hoc abhorrere censendum est, quia *Cœlum* alibi *Terra viventium* appellatur; *Psalm.* XXVII: 13. *Nisi credidissem me visurum Bonum Domini* בארץ חיים in Terra viventium, defecissem. Et *Psalm.* CXLII: *6. Clamavi ad Te Domine*, & *dixi; Tu spes mea*, *portio mea* בארץ החיים in Terra viventium illorum. Hæc *Terra* utique *Cœlum* est. Audiamus *Hieronymam* ita *Dardano* scribentem. *Utique David quando hæc cantabat in Spiritu*, *in* Terra repromissionis erat: *& non solum in Judææ finibus morabatur*, *sed multarum in circuitu nationum Victor extiterat* . . . . . *Quomodo ergo se credebat* accipere, quod jam *victoria* possidebat? *Et ne forsitan legentibus Judæis ambiguum derelinquat*, *quæ sit illa terra*, *quam videre cupiebat*; *ipso sermone demonstrat*, *dicens: Credo videre bona Domini in Terra* Viventium. *Ergo terra Judææ*, *quæ illius ditionis erat*; *non est Terra* Viventium, *id est*, *Abraham*, *Isaac*, *Jacob*, *de quibus Dominus in resurrectionis quæstione dicit: Non est Deus* mortuorum *sed* viventium: *Verùm* terra *& regio* mortuorum, *de quibus loquitur Ezechiel: Anima quæ peccaverit*, *ipsa morietur: Et: Non mortui laudabunt te Domine*, *sed nos qui* vivimus *benedicimus Domino*, *qui in resurrectione occursuri sumus Domino Salvatori*, *dicente Apostolo: Hac enim dico vobis*

bis in sermone Domini, quoniam nos qui vivimus, *qui relinquimur in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt: &c. . . . Quodque David præmittit: credo videre* bona Domini: *ad spiritalem nos perspicuè trahit intelligentiam. Quæ enim* Bona *Rex alia requirebat, aut quo indigebat, qui tantæ potentiæ fuit, ut partis per illum opibus, Solomon filius ejus (quo nullus in orbe Terrarum ditior fuit) contentus esset? Sed in terra Viventium* Bona illa *quærebat, quæ nec oculus vidit* &c. Præterea conjungitur non modò *Terræ Possessio* cum *multitudine Pacis, Psalm.* XXXVII: 11. quæ in cœlo & cœlesti Jerusalem videbitur, in hac verò lacrymarum valle vix reperitur; verùm etiam dicitur ibidem in Psalmo, *v.* 34, *&* Exaltabit *te ad hæreditandam Terram.* Origenes *Hom.* XXVII. in *Num. Est ergo quædam etiam in regno Dei Terra: quæ mansuetis repromittitur: & terra quæ viventium nominatur: & terra* in Excelsis posita. *De quâ ad Justum dicit Propheta. Et* Exaltabit te *ut hæredites terram. Istius ergo terræ hæreditatem posteaquam de mundi hujus Ægypto exierit Deo credens anima consequitur.* Similiter *Hom.* V. in *Psalm.* XXXVII. ait Idem ad *v.* 34. *Frequenter diximus de Terra sancta: & de Terra quæ in hæreditatem promissionum cælestium nominatur: cujus naturæ etiam situs paulo evidentius in hoc versiculo designatur. Nam ista terra in qua nunc vivimus* deorsum *esse dicitur: secundum illud quod scriptum est; Deus autem in* cœlo sursum, *tu autem in* terra deorsum. *Illa autem* terra *quæ in hæreditatem justis promittitur: non* deorsum *sed* sursum *esse promittitur. Propterea ad eum qui expectat Dominum & custodit viam ejus: ait repromissionis sermo:* Exaltabit te ut heredites terram. *Nisi enim quis* exaltetur, *&* ascendat in altum, *& efficiatur* cœlestis, *non potest* hæreditatem terræ *istius consequi.* Adeò placuit hoc Argumentum Origenis *Hieronymo;* ut illud non modò ad *Psalm.* XXXVII: 34. adhibuerit, *illam utique æternæ beatitudinis tellurem* intelligendam inculcans, *in quâ justi post terminatos labores* exaltabuntur; verùm etiam repetierit illud

ad *Jes.* LVIII: 14, atque ut indubitatum laudaverit. *Et elevabit te Dominus atque sustollet super altitudines ac bona terræ. Terra enim mitium, terraque viventium, non est* deorsum, *sed* sursum *est.* . . . . *Ut autem* certius *noverimus hanc* terram *esse* in sublimibus; *tricesimi sexti Psalmi breviter recordemur, in quo scriptum est, mites possidebunt terram, & epulabuntur in multitudine pacis. Post quæ infertur: Expecta Dominum & custodi vias ejus,* & elevabit te *ut possideas terram, & habitabunt in seculum seculi super eam. Quod & ipsum impossibile est, si enim terram pertransibunt, hanc utique quam incolimus, quomodo in seculum seculi justi habitabunt super eam. Ex quo discimus esse* terram *quæ* in sublimibus *sita est.* Similiter hoc argumento usus est *Theophanes Cerameus, Hom.* LI, existimans, quod *nunquam* Psaltes dixisset τὸ, ὑψώσει σε, *hoc, exaltabit te,* si de Terra quam *pedibus calcamus* locutus *fuisset, à quâ* etiam abripiemur olim juxta Apostolum in nubibus, ut cum Domino simus. Denique & hoc observari volunt qui *Terram* pro *Cœlo* capiunt; quod Dominus in monte *nil terreni*, quia despiciendum potius quam desiderandum erat, sed *cœlestia cuncta* polliceatur suis; nempe Regnum cœlorum, in die æternitatis dandum, *Matth.* XXV: 34; Consolationem, in sinu Abrahami, *Luc.* XVI: 23. 25; Saturationem, quæ coram Throno demum locum habebit *Apoc.* VII: 15, 16; Misericordiam, inveniendam in die illo apud Dominum 2 *Tim.* I: 18; Visionem Dei, cœlis reservatam 1 *Joh.* III: 2; Adoptionem, posthac consummandam *Rom.* VIII: 23; Mercedem denique in cœlis repositam. Unde judicant haud esse verosimile inter tot præcedentes & sequentes Beatitudines cœlestes medio ferè loco collocasse Dominum promissionem *terræ hujus*, maledictæ, spinasque & tribulos afferentis: minus enim hoc cum reliquis promissis conveniret, minusque ad scopum appositum esset, qui erat utique in cumulatis hisce bonis cœlestibus, ut animos lugentium & afflictorum Christianorum à terrenis avocaret, & ad cœlestia quærenda excitaret,

ret, horumque consideratione & spe certâ consolaretur. *Maldonatus* in *Matth.* v. *Alii per terram cœlum intelligunt, quod terra viventium vocari solet. . . . : Quorum ego sententiæ magis accedo, & quia in tam seria concione verosimile non est, eam Christum promisisse terram, quam despiciendam docebat, & quia in aliis beatitudinibus nihil eum terreni videmus polliceri.*

VI. Si verò roges, cur *Cœlum* veniat sub nomine *Terræ* apud Davidem, Jesaiam, & Dominum in Evangelio; respondebunt Nonnulli hujus sententiæ Auctores, hoc fieri per metaphoram propter *similitudinem Cœli* cum *Terrâ* in *substantiæ firmitate* & *constantia*, uti loquitur *Genebrardus* ad *Psalm.* XXXVII: Sic *Bellarminus* in eundem Psalmum ad *v.* II: ait de *Cœlo*, Terra illa viventium, quod *sola propriè terra sit*, id est, *firma & stabilis.* Terra enim nunquam loco suo movetur sed *stat in æternum*, *Eccles.* I: 4. quod & ab *Ugone Card.* adnotatum est ad *Psalm.* XXV: 13. Alii vero dicent hoc fieri propter *similitudinem Cœli* beatorum cum *Terra Cananæa* speciatim, imo propter hujus ad illud *Typicam* ex ordinatione Dei *Relationem.* Hanc enim ob utramque caussam *Cœlum* vitamque cœlestem nomine *Terræ*, Abrahamo & semini ejus toties *promissæ*, venire censent. Hoc multis probare contendit *Hieronymus* in Epistola ad *Dardanum.* Non *auferre* se, ait, *historiæ veritatem, quæ fundamentum est intelligentiæ spiritualis;* hoc est, Terram promissionis literaliter & propriè de Cananæâ intelligendam esse haud negat; interim tamen præcipuè, & nonnunquam tantùm, juxta intelligentiam spiritualem capi debere de cælesti Beatitate existimat. *Abraham* enim, ita pergit, *ad quem primum facta est repromisso, dicente Domino:* Tibi *dabo Terram hanc & semini tuo*, (*Gen.* XIII: 15, XV: 7.) *juxta Stephani in Christo primi Martyris concionem*, ne vestigium quidem pedis hujus terræ *dicitur accepisse*, (*Act.* VII: 5.) *atque peregrinatus esse in terra promissionis quasi in* aliena, & in Tabernaculis *habitasse cum Isaac & Jacob*,

cob, *cohæredibus ejusdem promissionis*; atque *expectasse fundamentum habentem civitatem*, patriamque cœlestem *quæsivisse* (Heb. xi:) sibi scilicet sub voce & Typo Terræ istius, ita ut res signata acceperit nomen Signi & Typi, promissam. Observat porro quod Apostolus in eodem Capite undecimo ad Hebræos, *multis in medio Sanctis commemoratis*, *ad extremum* (vs. 39, 40.) *intulerit*. Et hi omnes *testimonium habentes in fide*, non acceperunt repromissionem, *Deo de nobis melius quid providente*, *ne sine nobis perfecti fierent*; quia scilicet Veteres fideles, Patriarchæ, Prophetæ, aliique justi Viri non admissi ad Terram viventium, Paradisum, Cœlum, ante adventum Messiæ in Carne, & passionem ac mortem ejus, sed apud inferos versati fuerunt; *Sanguis enim Christi clavis Paradisi est*, juxta *Hieronymum*, ibidem ita disserentem, ut probaret scilicet Terram promissionis quam maximè Cœlum esse. Miscet denique varia; de arctis limitibus Terræ Cananææ possessæ ab Israelitis; & de angustia possessionum, qua coarctati hi insuper fuerunt per Jebusæos, aliosque non expulsos; ac de ejus, *intus & in cute a se*, ut ait, *cognitæ*, facie ac conditione; non ita grata, felici, omnique bonorum copia se commendante, ac quidem in Verbo promissionis depingitur; & denique de servitutibus ac calamitatibus, quas subierunt Abrahami posteri in hac terra, ejecti etiam plus semel ex eâ, per Assyrios, Chaldæos, & tandem Romanos, qui Templum & Urbem subverterunt, ita ut per *quadringentos* ferè *annos*, utriusque *ruinæ* permanserint. Quæ cuncta cum in finem videntur allata ab Hieronymo, ut insinuaret, amplitudinem promissionis de Hæreditate Terræ istius desiderabilis perpetuâ, neutiquam impletam esse in regionis adeò exiguæ angustâ, calamitosâ sæpe, atque temporali possessione, qualis Abrahamidis juxta carnem concessa modo fuit, sed aliam promissionis Terram esse quærendam, *in Cœlo* nempe ac cœlesti & interminabili vita, in qua plenitudo sensus promissionis & prædicationis Terræ istius inveniri queat.

queat. *Pudet dicere*, inquit, *latitudinem terræ repromiſſionis, ne ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur* . . . . *Hæc eſt Judæe tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his gloriaris, ſuper his te per diverſas provincias ignorantibus jactitas? ad populum phaleras, ego te intus & in cute novi* . . . *Nec hoc dico in ſugillationem terræ Judææ, ut hæreticus ſycophanta mentitur: aut quo auferam hiſtoriæ veritatem, quæ fundamentum eſt intelligentiæ ſpiritualis: ſed ut decutiam ſupercilium Judæorum, qui ſynagogæ anguſtias Eccleſiæ latitudini præferunt. Si enim occidentem* tantum *ſequuntur literam, & non ſpiritum vivificantem*, oſtendant terram repromiſſionis lacte & melle manantem. *Sin autem per tropologiam dictum putant pro* rerum *omnium abundantia, & nos terram confeſſionis* terramque viventium, terræ veprium *præferemus*. &c.

VII. Verum huic Sententiæ, etſi Patrum multorum auctoritate munita, atque ſpecioſis rationibus veſtita appareat, calculum tamen meum adjicere non auſim. Duriſſima enim & maxime aliena videtur Metaphora, quâ *Terra* pro *Cælo* ponitur, quia hæc duo ut maxime diſtantia & diſtincta in Scriptura commemorari ſolent, *Pſalm.* CIII: 11. CXIII: 5, 6. CXV: 16. *Jeſ.* LXVI: 1. Si conſtantem permanentiam attendamus ſimpliciter, Cœlum metaphoricè æque Infernus vocari poſſet ac Terra, quia & ille permanebit in æternum. Deinde Terræ hujus ſubſtantiam non eſſe annihilandam credimus, ſed tamen in Conſummatione ſæculi Mutationi obnoxia erit Terra, cum Cœlum tertium Beatorum Domicilium immutabile videatur manſurum, qua Dei ipſius & ſanctorum glorioſiſſimum & ſanctiſſimum ſemper fuit Habitaculum, nunquam ſervituti corruptionis ſubjectum; *coll. Rom.* VIII: 21. *Origenes*, forte etiam quia animadvertebat Metaphoram hanc eſſe duram valde & conquiſitam, audaci inſtituto finxit aliam *Superiorem Terram*, quam *dorſum firmamenti* vocavit, & *ſanctorum habitaculum* heic promiſſum eſſe voluit: quæque reſpectu noſtræ inferio-

rioris terræ *Cœlum*, sed respectu superioris Cæli *Terra* diceretur. Verba ejus in *Homil.* v: *in Ps.* xxxvii: iis quæ supra §. V. ex ipso descripsimus immediate subjecta, ita sonant. *Unde ergo arbitror: quia sicut* Cœli istius, *id est firmamenti*, inferius solum arida *hæc in quâ nos habitamus*, terra ejus *dicitur: ita & illius* superioris quod principaliter cælum *dicitur*, inferius solum *in quo habitatores illi cælestes conversantur, & ut ita dicam* dorsum ipsum firmamenti hujus, *merito* (*ut dixi*) terra illius cœli *esse dicitur: sed terra bona: terra sancta: terra multa: terra vivorum: terra fluens lac & mel. Et ideo dicit nunc sermo divinus:* exaltabit *te ut hæredites terram.* Vide de hoc Figmento Origenis *Hieronymum* ad *Avitum Quid cavendum in Libris* περὶ ἀρχῶν, ex *Lib.* 10. differentem, nec non *Huetium* in *Origenianis*, *Lib.* 11. *Quæst.* xi: §. xi. ubi etiam inter alios hujus figmenti de Mundo alio istius modi superiori fontes invenies locum *Joh.* viii: 23. *Ego non sum de* Hoc *Mundo*, male ab ipso intellectum. Ex hoc Origenis delirio hausit fortè *Aloysius Novarinus* in *Matth.* v: ineptissimam hanc rationem, cur *Cœlum Terra* vocatum fuerit, *quia*, uti ait ille, *si imæ huic terræ comparetur cœlum, cœlum dicitur, si Deo ipsi, qui cœlum, terra est.*

VIII. *Deinde* obstat omnino huic Sententiæ, (ut mittam illud de אמונה, *Fide*, commendata, uti volunt, *inhabitaturis Terram*, *v.* 3. quæ in *Cœlo* mutanda erit in *Aspectum*,) quod Impii *ex hac Terra* Piis promissa *excidendi* haud semel dicantur, in *Psalmo* xxxvii: 9, 10: 11, 22, 28, 29, 34, 35, 36. & in *Proverbiis* Salomonis *Cap.* ii: 21, 22. *Quia recti inhabitabunt terram, & integerrimi* remanebunt *in ea. Et impii* de terra excidentur; *& prævaricatores* eradentur, evellentur, radicitus extrahentur, *ex ea.* Si excidentur & eradicabuntur instar arborum ex terra, necesse est ut impii eam occupaverint aliquando, atque in eâ radices egerint. Consequenter Terra hæc a piis hæreditanda non est Cœlum, alioquin impii in Cœlo, Beatorum loco,

co, ad tempus ponerentur. Quod cum ratione ſatis aptâ fieri poſſe, ego equidem non video. Si dicas, opinione ſpe atque expectatione ſuâ vel aliorum vanâ cœlo adſcribi impios, atque in eo quaſi locari poſſe; atque eâ eluſâ ex Beatorum illo loco meritó dici exciſos atque eradicatos, eodem ſenſu quo Judæi hypocritæ atque increduli dicuntur *delendi ex Libro vitæ Pſalm.* LXIX: 29; Reſpondebo, hoc quidem locum habere in nonnullis improbis, ut ſemet ipſos, vel etiam alii illos in cœlo beandis adnumerent, verùm non in omnibus. Dantur enim bene multi qui Deum judicem, præmiumque & pœnam poſt hanc vitam negant, quorumque omnis ſpes & expectatio hujus vitæ terreſtris limitibus coarctata & concluſa eſt, *Pſalm.* XIV: 1. XVII: 14. XLIX: 12. *Jeſ.* XXII: 13. 1 *Cor.* XV: 32. *&c.* Atqui in dictis illis Davidis & Salomonis agitur de impiis, abſque ulla limitatione aut exceptione; ſive operti magis, ſive aperti ſint juſtorum hoſtes; ſive intra Eccleſiæ externæ pomœria, ſive extra ea vivant. Unde apparet malè conferri locum ex *Pſalm.* LXIX: 29, quia in illo agitur de Judæis, horumque proceribus, qui ſe Progeniem Abrahami & Populum Dei eſſe jactabant, atque in Lege gloriabantur, ſeque aliquid eſſe præ aliis exiſtimabant, ac ab aliis pro juſtis habebantur. Nec magis feliciter Alii, enervaturi vim argumenti noſtri, confugiunt: Vel cum *Lyrano* ad integritatis ſtatum tantùm, in quo omnes in Adamo viribus ad vitam in cœlo æternam acquirendam idoneis inſtructi, & ſic quodammodo ad eam ordinati fuerint; ita ille ad *Prov.* II: 21, 22. *De quâ*, ſc. Terrâ Viventium, *impii perdentur & auferentur: non quia illic* actu *fuerunt ſed tamen* in potentia: *in quantum omnis homo factus ad imaginem Dei, eſt capax ipſius per cognitionem & amorem, & ſic quodammodo ad beatitudinem ordinatus:* Vel etiam ſimul ad univerſalem gratiam Prædeſtinationis atque Redemtionis omnium, cum *Gejero*, qui ad eundem locum ſcripſit: *Verùm ſit iſtud potiſſimùm poſt hanc vitam, ubi è terra viventium,*

 um,

um, cui tam in primo integritatis, quàm secundo reparationis statu fuerunt insiti, *totaliter demùm abscissi cognoscentur, ubi & anima & corpore æternam patientur mortem*, *spe* reviviscendi *vel* in paradysum postliminiò redeundi *penitùs succisâ*. Hæc enim effugia partim Scripturæ sunt contraria, quale illud est de Gratiâ Universali; partim inepta quoque ad fundandam phrasin illam, quâ dicuntur impii instar arborum *radicati* in Terrâ illâ, a piis tandem solis hæreditandâ. Utique haud facile quis concedet, aptè & verè loqui illum, qui de Adamo in statu Integritatis mutabili constituto hactenus, assereret, illum in paradiso cœlesti plantatum atque radicatum fuisse, ad quem ne jus quidem ipsi nasci, nec cujus spem infallibilem habere poterat, nisi ex perseverantiâ ad finem usque, atque ex sanctissima & perfectissima cursus ipsi a Domino præscripti absolutione. Deinde, etsi ponamus Deum habere voluntatem omnes salvandi si velint salvari, & Christum habere voluntatem omnes redimendi si velint redimi atque in se credere, (qualem voluntatem Deo independenti & sapientissimo indignam arbitramur) voluntas tamen hæc, cum inefficax sit in plurimis, & vel dependeat plane ab hominis mutabili arbitrio, vel alio decreto de quibusdam fide donandis mox irrita reddatur, non potest profectò efficere; ut quis aptè & verè de impiis dicat, esse illos in ipso cœlo jam collocatos, atque in Terrâ illâ Viventium cœlesti profundè & firmiter radicatos. Quod omnino in Psalmo & Proverbiis de Impiis asseritur, respectu *Terræ* illius, cujus hæreditaria possessio justis promittitur.

IX. *Porro*, quod *Cœlum* uspiam in Scripturâ *Terræ* nomine veniat, haud immeritò dubitant Nonnulli, imo confidenter negant. *Chrysostomus* in *Matth.* v. Μακάριοι οἱ πρᾳεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν· ποίαν γῆν; εἰπέ μοι· τινὲς νοητήν φασιν· ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο. οὐδαμοῦ γὰρ εὑρίσκομεν ἐν τῇ γραφῇ γῆν νοητήν. Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt terram. *Quam terram, dic mihi. Quidam* intelligibilem

bilem *dicunt: Verùm iſtud non eſt* dicendum. *Nusquam enim reperimus in ſcripturâ terram intelligibilem.* Intelligibilis Terra à Patribus opponitur huic noſtræ quam pedimus calcamus, & eſt æterna in cœlis degenda vita, uti ex *Ambroſio* in *Pſ.* xxxvii. atque *Theophane Cerameo* in *Matth.* v. apparet. Similiter *Bugenbagius* in *Pſal.* xxvii. *Primùm nusquam in Scripturâ, quod ſciam, cœlum terra appellatum eſt.* Et *Gomarus* in *Matth.* v. *Verùm ſecunda expoſitio,* (de cœlo per terram metaphoricè notato) *ea de cauſa non convenit: quia* terræ *vox,* neque uſu communi, neque in Scriptura Sacra, ullibi cœlum notat. *Neque cauſa ulla eſt, cum Chriſtus aliquoties in his aphoriſmis, regni cœlorum meminerit, cur metaphorâ illâ* prorſus inſolente (*nempe terræ voce pro cœlo*) *uteretur.*

X. Certe Loca quædam ab *Hieronymo* in Epiſtolâ ad *Dardanum* adducta huc minime pertinent. *Volumus ſcire,* inquit, *quæſit* vera Terra, *legamus* Malachiam: Beatos vos dicent omnes, dicit Dominus, quoniam eritis vos in terra voluptuaria: *quæ ſignificantius Græcè appellatur* θελητή, *quam vel ſancti deſiderant, vel quæ Deo placeat.* Eſaias *quoque in hæc verba conſentit, dicens:* Et erit vir abſcondens ſermones ſuos, & apparebit in terra Sion, ſicut fluvius glorioſus in terra ſitienti. *Quæ eſt* terra Sion, *in qua apparebit* fluvius glorioſus? *Illa videlicet, de qua idem David in alio Pſalmo canit:* Glorioſa de te dicta ſunt civitas Dei. *Et iterum:* Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob. *Nunquid iſtas portas diligit Deus quas videmus in cineres & favillas eſſe converſas? Non dico prudentibus, ſed ne ſtultis quidem hoc perſuaderi poteſt. Ego arbitror & illud, quod* in ſexageſimo quarto Pſalmo *legimus:* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Fluvius Dei repletus eſt aquis: Paraſti cibum illorum, quoniam ſic eſt præparatio ejus: ſulcos ejus inebria, multiplica genimina illius: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans: *huic ſenſui convenire. Illa enim* terra *quotidie* viſitatur *à Deo,*

& inebriatur, cunctisque plena est divitiis. De hac fluvius *egreditur* Dei, *de quo scriptum est:* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: *qui & in descriptione templi Ezechiël mystico sermone narratur:* in cujus ripis arbores sunt ex utraque parte per singulos menses novis frugibus abundantes. *De qua terra & in* Proverbiis *Vir scripsit sapientissimus:* Qui operatur terram suam, implebitur panibus. *Quod si de hac terra quam cernimus, & quæ magis à peccatoribus possidetur, de qua scriptum est;* Maledicta terra in operibus tuis: *aliquis intelligendum putat, respondeat quomodo hæc possit stare sententia:* qui operatur terram suam, implebitur panibus. *Quanti enim operantur terram, & exercent vomere: & tamen multis impedientibus causis*, egestate *conficiuntur &* penuriâ? *Sed considerandum est, scriptura quid dicat: Qui operatur terram* suam, *quæ propriè* juris sui *est, de qua* nunquam ejici *potest*. Ita Hieronymus: qui, quando tot corrasit loca atque torsit in rem suam, exemplo hoc suo comprobavit sententiam illorum, qui recte statuunt; Patrum explicationem non esse normam nostræ interpretationis; & illos sæpe hallucinatos esse, quia ad Versionem Græcam magis quam ad fontem Hébræum attenderunt, atque pro suâ sententiâ Scripturarum numero quam pondere certare maluerunt, denique quia allegoricum sensum literali vulgo præferendum judicatunt, etiam ob Pauli dictum male intellectum, *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*.

XI. In primo Loco, qui habetur *Malach.* III: 12, in fonte legitur. *Et beatos dicent vos omnes gentes:* כי תהיו אתם ארץ חפץ *Quia eritis vos* terra beneplaciti, vel desiderabilis, vel voluntatis, *dicit Jehova exercituum*. Sensus est: vel metaphoricè, eritis vos instar terræ desiderabilis, quâ delectabitur ipse Jehova, & in qua gentes plantari cupient, *coll. Zach.* VIII: 23. *Jes.* II: 1, 2, 3.: vel metonymicè, Vos eritis, id est, terra vestra in qua habitatis, erit desiderabilis iterum post desolationem, & *terra* חמדה *desi-*

ſiderii Zach. VII: 14. & הַצְּבִי *ornamenti Dan.* XI: 16. & *pulchra Zach.* IX: 17, futura ſicuti olim, propter inſignem fertilitatem, omniumque rerum copiam, quemadmodum in Commentario ſuo explicuit hunc locum ipſe Hieronymus.

XII. Alter Locus ex *Jeſaia* laudatus ab ipſo, extat *Cap.* XXXII: 2, non in Hebræo fonte, ſed in Græca translatione, in qua legitur inter alia, καὶ φανήσεται ἐν Σιὼν ὡς ποταμὸς φερόμενος ἔνδοξος ἐν γῇ διψώσῃ. *Et apparebit in Sion, ſicut fluvius currens inclytus in terra ſitienti.* Textus autem Hebræus ad verbum ita ſonat translatus. *Et erit vir ſicut latibulum venti, & abſconſio inundationis: ſicut rivi aquarum, Betzaijon, in loco arido,* (non *Betzijon, in Tzyon,* ut legerunt LXX.) *& ut umbra petræ gravis in terra ſitienti.* Nihil in fonte eſt de *Terra Sion,* neque de *fluvio glorioſo* in ea apparituro: ut fruſtra ſe fatigaverit Hieronymus in quærenda illa terra, atque ex fluvio ejus glorioſo deſignanda, quem ipſe confinxerat cum LXX. ex פַּלְגֵי מַיִם *rivis aquarum,* quos acceperunt pro *fluvio* quodam *inclyto*; excellentiæ cauſſa numero plurali expreſſo, ſed abſque cauſſâ & contra contextum. Quare etiam ipſe poſtea Verba Jeſaiæ Hebræa aliter transtulit. *Et erit vir ſicut qui absconditur à vento, & celat ſe a tempeſtate:* ſicut rivi aquarum in ſiti, *& umbra petræ prominentis in terra deſerta:* atque ſubjecit in *Commentario* vaticinium hoc intelligendum eſſe de *Chriſto. Iſte enim rex regnabit juſtè. . . . . Et quicunque ſub ejus umbraculo fuerit, ſic tutus erit in tribulationibus & anguſtiis, & in mundi iſtius tempeſtate, quomodo qui ventum & turbinem fugiens, ſe tuto abſcondit loco,* & qui puriſſimos fontes invenit in deſerto, *& qui in vehementi æſtus ſolis ardore cuncta torrente, ſub prominenti ſaxo requieverit. Ubi nos diximus,* ſicut rivi aquarum in ſiti: *LXX. tranſtulerunt*; Et apparebit in Sion quaſi fluvius currens. *Verbum enim Hebraicum, de quo ſupra diſputavimus* (nempe ad *Cap.* XXV: 5.) בְּצָיוֹן, *quod dicitur* in Siti, *ſive* in ſiccitate *&* in invio: *LXX. &*

Theodotio, in Sion, *interpretati sunt:* pro צָיּוֹן, *id est*, siti, legentes צִיּוֹן, *quæ eisdem literis scribitur.*

XIII. Tertius Locus invenitur in *Psalm.* LXV: 10. *&c.* Nulla ratio est hîc literam deserendi, atque *terram* in *Cœlum* commutandi; quia hoc scilicet *quotidie visitatur a Deo*, *cunctisque plenum est divitiis*, & in quo *fluvius Dei* reperitur, quod dicere velle videtur Hieronymus. Multiplex verò in contrarium militat. An Cœlum exsiccatæ Terræ pluviasque aliquando desiderantis, atque aratro secandæ, imagine commodè proponi potest? An ovium ibi *greges* ut beatis ad victum & amictum necessaria suppeditent? An ibi discrimen *annorum* obtinet, ut unus præ altero, bonitatis Divinæ influxu, instar *coronati* Regis, exexcellentior haberi queat? Omnia hæc & alia plura in Contextu Prædicata nos ad terram hanc sublunarem, & speciatim Cananæam ducunt, terram Domini dictam, cujus itaque fluvius, sive Jordan, sive Siloë, meritò *fluvius Dei* vocatur; cujusque terræ *visitatio* per pluvias fœcundantes, a Deo, qui solus habet clavem pluviæ *Job.* XXVIII: 26; vel *frequens*, *coll. Deut.* XI: 11. — 15; vel *repetenda* post Captivitatem Babylonicam; vel denique certo quodam *tempore Davidis*, & *anno* sic *coronato*, atque inter reliquos instar Regis eminente, post prementem famem ex longa terræ siccitate ortam, *facta*, debitis extollitur laudibus. Interim hæc per modum usus ad Ecclesiam, militantem, maxime sub N. T. & triumphantem, allegoricè, tropologice, anagogicè, *generalius* & quantum analogia Scripturæ & fidei permittit, transferri posse non negamus. In *Commentario* in Psalmum hunc, per *Terram*, *terram nostri corporis*, quam, *assumendo materiam carnis*, *visitavit* Dominus, intellexit Hieronymus. Non minus ineptè profectò.

XIV. Quartus denique Locus ab ipso adductus est *Prov.* XII: 11. *Qui operatur* (colit עֹבֵד) *terram suam*, *saturabitur*

tur pane. Litera, inquit, repugnat *experientiæ*, & terra *sua* est ex quâ *ejici non* potest, qualis scilicet est sola terra Viventium cœlestis, non hæc sublunaris. Quasi bonum *suam* nemo appellare deberet, qui aliquando illud perdere, atque ex eo ejici potest. Nihil verius est, juxta naturalis providentiæ leges atque communem experientiam; quæ tamen per judicia divina, quorum ratio sæpe occulta est, semper justa, patiuntur nonnunquam exceptionem; quàm quod diligens & tempestiva agri nostri cultura labores nostros compensare soleat. Scopus utique Salomonis in hac Morali nec Spiritu Sancto indigna sententia est, commendare nobis diligentiam in officio & Vocatione nostrâ legitimâ, absterrere ab omnibus, ab opere nostro & officio alienis, atque vanis occupationibus. Is denique *saturari pane* meritò dicitur, qui ex opere manuum suorum decenti accipit quantum satis est ad Vitæ sustentationem cum animi jucundâ acquiescentiâ, quæ piorum est felicitas, ad quos maximè dictum spectat. Ipse *Hieronymus* postea literalem hunc sensum agnovit & inculcavit ad *Jes.* XXIII: 10, (ubi LXX. habent Ἐργάζου τὴν γῆν σου; *operare terram tuam*; in Hebræo est, עברי ארצך, *Transi terram tuam*) in *Comment.* sic scribens: *Profuit enim Tyro naves interire peregrinas, ut cogatur* operari Terram suam, *de quâ in* Proverbiis *dicitur:* Qui operatur Terram suam, saturabitur panibus, *ut nequaquam de incerto fluctuum naufragorumque discrimine, sed operis sui vivat frugibus.*

XV. Non desunt qui summæ beatitatis Locum per *Terram Longinquissimam* intelligunt, de qua *Jes.* XXXIII: 17. *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui: videbunt* ארץ מרחקים Terram longinquitatum; LXX. γῆν πόῤῥωθεν, *Vulg. terram de longè*, quasi scriptum esset ממרחקים. Ita capiunt Græci, *Cyrillus Alexandrinus*, & *Theodoretus*. Ex Latinis *Hieronymus* in *Locum*. *Qui igitur talis est, regem Christum in sua claritate conspiciet, de quo supra dicitur: Ecce Rex justus regnabit, & principes in judicio præerunt.* Et oculi

culi ejus videbunt terram de longe, *quam multo tempore desideraverant, terram mitium & mansuetorum, de qua in Evangelio scriptum est: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* In *Glossa interlineari* habetur ad illud; Regem in decore suo videbunt *&c. Nunc in Spe: in futuro in Re.* Unde: *Credo videre bona Domini in terra viventium. Lyra* in *Expositione morali:* Regem in decore videbunt: *visione clara & beatificâ.* Oculi ejus cernent terram de longe. *Scilicet terram viventium, quia viventes in corpore mortali cœlestia meditantur. Paulus Burgensis in Additione.* Regem in decore suo videbunt oculi tui. *Sc: Regem Christum in Deitate, in qua visione clarâ tota merces consistit, secundum Augustinum. Vel peracto Judicio oculi ejus videbunt Regem Christum indutum decore humanitatis assumtæ. Et quia hoc maxime longè est à statu hujus vitæ: ideo subdit:* oculi ejus cernent terram de longe, sc. *terram viventium.* Ex Nostris hoc secuti sunt, cum Aliis, Theologi Groningani duo superiori seculo celeberrimi; *Samuel Maresius*, in *Syst. Theol. Loc.* XIV: § LXIII: *Tamen arbitramur hanc renovationem maxime spectaturam ætherea corpora, supra quæ est* terra illa viventium, *in qua se* bonitate Jehovæ fruiturum *credebat David, Ps.* XXVII: 13. *& de quâ Propheta ad pium quemlibet,* Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui, spectabunt terram longinquissimam *Jes.* XXXIII: 17. *piorum felicitati & habitationi destinatâ:* Et *Jacobus Altingius, Tom.* IV: *p.* IV: *p.* 27. ad Loc. *Joh.* VIII: 56. *Sic nobis intuendus hoc & quovis Dominico Christus. Esa. Cap.* 33: 17. oculi tui regem videbunt in pulchritudine sua: *& hoc fit, juxta illud Heb.* II: 9. Oculi tui videbunt terram procul dissitam; *apertum cœlum, quo præivit, ut in paterna domo locum nobis paret Joh.* XIV: 1. *Cap.* XX: 17.

XVI. Meretur sane hic Locus singularem attentionem, uti & totus contextus Propheticus. *Musculo* verosimile videtur, Alloquium heic institui ad *Sebnam*, Domui Regis Hizkiæ Præfectum, ejusque Scribam, continens gravissimæ

mæ pœnæ *Comminationem*, per abjectionem ejus אל ארץ רחבת ידים *in terram amplam spatiis*, ubi *moreretur* ille: *Cap.* XXII: 18. *Oculi tui videbunt regem*, inquit *Musculus*, *abs te contemtum in decore ipsius*, *verum felicitate regni ejus non fruêris*, *sed illis ipsis oculis quibus gloriam regis cernes*, *videbis etiam terram remotorum populorum*, *ad quos projicieris a domino.* Rectius censent Alii sermonem suum dirigere Vatem, vel ad *Tzijon* seu *Ecclesiam* communiter, vel ad הלך צדקות *perambulantem justitias* &c. *vs.* 15. id est, ad *unumquemque justum*, sive ad *justorum* integram *multitudinem.* Multi contendunt esse *Prophetiam* de Bono Ecclesiæ certi temporis dando. Atque adeò: *Vel* de *Rege Hiskia*, non in sacco amplius, neque se serviliter Assyrio submittente 2 *Reg.* XIX: 1. *Jes.* XXXVII: 1. sed in *gloria*, seu gloriosè imperante, 2 *Chron.* XXXII: 23, 27, 31. iterum conspiciendo; atque de *Terra* Judæâ liberanda ab Assyriorum Exercitu, ita ut quaqua luberet libere exspatiari liceret, etiam ad regiones longè remotas; quemadmodum ferè *Belgæ*, dum *Piscator* nominat *Legatos venturos è terra longinquissima*, *videl. è Babylonia* 2 *Reg.* XX: 12, 14.: *Vel* de *Jehova* Exercituum *Rege magno* Populi sui sub Oeconomia Veteri, se ostensuro Rege Judice & Vindice Ecclesiæ suæ tempore Maccabaico, per liberationem ejus à Tyrannide & ingenti oppressione Antiochi Epiphanis, Magni illius Vastatoris, qui in initio Capitis descriptus esset; quando etiam Judæi *Visuri* essent *Limites* Terræ suæ *longe* extentos, imo in ipsam terram hostilem remotiorem occupandam, veluti Philistæorum, Idumæorum, Moabitarum, Phœnicum & Syrorum quoque, *excurrentes*, uti Cl. *Vitringa*: *Vel* denique de *Rege Messia*, gloria & honore coronando, atque ita in *pulchritudine sua* compariturо, atque de Regno ejus latissime propagando & extendendo ad *fines terræ*, juxta Vaticinia alia quam plurima. *Promittitur fideli*, inquit *Joh. Henr. Majus* in *Oeconomia Temp. V. T. Cap.* XLVIII: *p.* 934, 935. ad nostrum *Comma* & ad sequens respiciens: *Vi-*

ſio & fruitio Regis Meſſiæ in pulchritudine ſive Majeſtate ſuæ comparentis, & in diſſitis terris de gentibus conſpicui, ut iſta luce glorioſa exciti è longinquo veniant, videant, obſtupeſcant animis, admiratione magnalium Dei (*conf. Eſ.* LX: 4, 5.) *in liberatione & aſſumtione piorum gratioſa, & impiorum rejectione glorioſa, quam ſapientes hujus ſeculi, ſcribæ, diſquiſitores, Reges & Principes munimenta ſua numerantes, ad rationis trutinam rem ponderantes, effugere nequeant* 1 *Cor.* I: 20. Harum ſententiarum Auctores pro ſe habent uſum Phraſeos *Terræ longinquæ* ארץ רחקה 1 *Reg.* VIII: 41. 2 *Reg.* XX: 14. ארץ מרחק *Prov.* XXV: 25, *Jeſ.* XIII: 5. XLVI: 11. & ארץ מרחקים *Jer.* VIII: 19. *Zach.* X: 9. pro Regionibus terræ hujus quæ minorem vel majorem à Cananæâ diſtantiam habebant.

XVII. Si quis vero velit in hoc dicto potius contineri *Promiſſionem* Fœderis Gratiæ de communi ſalute in *Cœlo* conſummanda; atque omnibus & ſingulis piis certò dandâ, me quidem nunc Adverſarium non habebit. Etenim haud diffiteor, quod Meſſias Rex in pulchritudine ſuâ omni, de quâ *Pſ.* XLV: 3. *Cant.* I: 16. &c. à beatis in cœlo perfectè demum ſit cognoſcendus 1 *Joh.* III: 2. *Job.* XIX: 25, 26, 27. *Pſalm.* XVII: 15. Et facile largior, quod opportunè admodum hæc Viſio gloriæ in altera Vita certò futura heic commemoretur ad confutationem & ſimul inſtructionem impiorum & hypocritarum in Tzijon *vs.* 14. qui tempore Vatis noſtri Deum Judicem, vitæque æternæ ſpem abnegabant, & ſimul metum mortis æternæ & pœnæ ſenſus interminabilis abjiciebant, *coll. Cap.* XXII: 13, 14. nunc vero ex horrendo Dei Judicio vehementi terrore perculſi videbantur *vs.* 14. Hoc tamen minime nos cogit ad intelligendum *Cœlum* ipſum, ſummæ felicitatis Locum per *Terram Longinquitatum.* Si ënim referamus promiſſum hoc ad *Regis* Meſſiæ cœleſtem *viſionem* in gloria *inchoatâ* quoad animam; Viſio *Terræ Longinquitatum* juncta commodè exponi poterit de totius Terræ hujus inferioris & ſublunaris, cum omnibus quæ in ea ſunt, quæ-

que

que mortalibus magna videntur, ut minutiſſimi puncti, reique exiguæ valde, atque maximè remotæ à ſumma beatitate cæleſti, *intellectuali ac experimentali Viſione*, in Cœlitibus locum habiturâ. Videbunt ſcilicet, id eſt, intelligent atque ipſo actu experientur Spiritus juſtorum conſummatorum in cœlum tranſlati, Terram hanc cum omni ornatu ſuo atque deliciis locum eſſe miſeriæ, peccati, inſcitiæ, pugnæ, plurimæque imperfectionis, atque adeò ſitus ſui naturalis non tantum ratione, ſed & horum omnium reſpectu à Cœlo altiſſimo, beatorum ſummæque felicitatis & Vitæ æternæ ſede, longiſſimè diſtare. *Beati*, inquit à *Lapide*, *è cœlo empyreo eminus reſpicient & deſpicient terram, quaſi punctum in quo homines ambulant quaſi formicæ, quodque inter eos ferro & igne dividitur . . . . Unde deſpicantur terræ exilitatem, vident & rident hominum labores & ſtudia, quod muſcas captent, quod rixentur de lana caprina, quod de terræ puncto in mille particulas ſecando concertent, usque ad ſanguinem & mortem, dicuntque: O quam anguſti ſunt mortalium termini! O quam anguſti ſunt mortalium animi!* Hauſit hoc ex *Hieronymo*, qui dubius ipſe de ſenſu hujus Loci, verbis ſupra à nobis adductis immediate ſubjecit: *ſive in cœlo poſiti, terrena deſpicient.* Si verò Conſpectum Regis Meſſiæ in pulchritudine ſua extendere placeat ad *Viſionem* ejus in gloria *conſummatâ* poſt Reſuſcitationem corporum in die Judicii; *Terram longinquitatum* tunc ſimul videndam, haud lubenter exponerem cum Paraphraſte *Jonathane* de *Inferno* damnatorum Loco, quem inter & Beatorum ſedem *magnum* eſſe *hiatum* docet Parabola Euangelica *Luc.* XVI: 26. *Aſpicies*, inquit ille, *& videbis deſcendentes* in ארץ־גהנם *in terram gehennæ.* Intelligerem potius *hanc* noſtram *Terram*, verùm prout renovata exiſtet in die æternitatis illo ad gloriam Dei Creatioris, & conſummationem felicitatis juſtorum; atque *Viſionem* ejus, cunctis promiſſam juſtis, caperem de *Fruitione* ejus atque *Uſu*, ipſis, in ſummo Cœlo ordinarium Habitaculum habituris, con-

cedendo quidem; sed quoad modum omnem à nobis in hac mortalitate non satis perspecto, nec temerè, tacente Scripturâ, determinando. Qua de re postea fortè aliquid adhuc dicemus.

XVIII. Sed, inquiunt, quidquid sit de his Locis, hoc tamen certum esse videtur, quod *Cœlum* dicatur in Sacris ארץ חיים *Terra Viventium*. In hoc enim consentiunt fere omnes Patres, & Recentiores plurimi; imo hoc plusquam una ratione probavit *Hieronymus* in *Epistola* ad *Dardanum*, & alibi, uti supra §. V. visum fuit. Sed Patrum consensus non est universalis, neque eorum Auctoritas tanta ut cogat nos ad cæcum & servile obsequium. Certè extra omnem dubitationis aleam est positum, quod *Terra viventium* in Sacris sæpius notet *Terram hanc* quam nos *vivi* incolimus, opposite ad inferiores ejus partes & ad *sepulchrum*, quod dicitur ארץ נשיה *terra oblivionis Ps.* LXXXVIII: 13. ארץ חשך וצלמות *terra tenebrarum & umbræ mortis Job.* X: 21, 22. Sic *terra viventium* opponitur *terræ inferorum* ארץ תחתיות & *sepulchro* בור, in quo עם עלם *populus antiquus* habitat, *Ezech.* XXVI: 20. quod & repetitis vicibus fit admodum notanter, *Ezech.* XXXII: 23, 24, 25, 26, 27, 32. Hoc sensu de *Jeremia* dictum; *Exscindamus eum* è terra viventium *Jer.* XI: 19; & de *Messiâ*, *quoniam abscissus est* de terra viventium *Jes.* LIII: 8., & *Hizkias* de se locutus est, *Ego dixi*, *in excisione dierum meorum vadam ad portas* sepulchri: *privatus sum residuo annorum meorum*. *Dixi*, *Non videbo Jah*, *Jah in* terra viventium. *Jes.* XXXVIII: 10, 11.; Et David de *Doeg*, *& eradicabit te* è terra viventium *Ps.* LII: 7.; & denique Job de *Sapientia*, *non invenietur in* terra viventium *Cap.* XXVIII: 13.

XIX. Restant ad huc Tria Loca in quibus hæc phrasis cum exiguo discrimine reperitur, sed eodem ut putem sensu. Nempe *Psalm.* CXLII: 6. *Tu spes mea*, *portio mea in terra viventium*. Erat in *Speluncâ* David, *v.* 1., quasi in *sepulchro*, cui opponit *Terram Viventium*, seu superiores terræ

par-

partes, in quibus vivi libero aëre fruuntur: petitque liberationem ex præsenti augustia à Deo, qui solus *refugium* ejus erat in hac terra constituti & *deserti* ab omnibus eam inhabitantibus *v.* 6. Tu מחסי *refugium meum*, es nunc solus, *in Terra viventium*, quam imples quoque, & in qua habitas; quia omnes homines me dereliquerunt. Alter Locus est *Psalm* CXVI: 9. *Ambulabo coram facie Jehovæ* בארצות החיים in terris viventium. Hieronymus: Placebo Domino in regione vivorum. *In Regione Abraham, Isaac & Jacob. Hoc est quando verè fuero in sinu Abraham, tunc placebo domino.* Sed non loquitur Psaltes de eo quod cum liberatione sui ab omni peccato & miseria conjunctum foret; verùm de *fine præservationis* suæ *à morte* temporali *vs.* 8. nimirum *ut ambularet*, (quemadmodum legitur in Loco parallelo *Ps.* LVI: 14 להתהלך) *coram facie Domini*, id est, in fide & cultu ejus publico & privato, *coll. Gen.* XVII: 1. 1. *Sam.* II: 30. 1. *Reg.* IX: 4. 2. *Cor.* V: 7. &c. Et notandum est, quod, cum in Psalmo LVI: 14. dixerit de *Luce viventium*, ne hoc caperetur de Luce illa inaccessa cælesti, hanc Lucem in hoc Psalmo per *Terras vivorum*, nempe metaphoricam per propriam locutionem, explicaverit. Locutus verò est in plurali de *Terris* viventium, sive excellentiæ caussa, sive cum respectu ad plures ejus partes, & Regiones distinctas. Tertius tandem Locus & ultimus est *Psalm* XXVII: 13. *Nisi credidissem me visurum Bonum Domini in* Terra viventium, defecissem scilicet. Supra §. V. vidimus Hieronymum *tres* maximè *rationes* adducentem, quibus probaret ille Terram viventium non esse hanc sublunarem in genere, neque Cananæam in specie, sed superiorem ac cœlestem regionem beatorum: *Prima erat*, quia David *in Terra Canaan erat* quando hoc cantabat, ergo quod possidebat se accepturum credere non poterat: *Altera*, quod Terra hæc inferior omnis, & judæa quoque, sit *Terra Mortuorum* verius quam vivorum: Et *Tertia* denique, quod *Bona Domini* videre sperabat, non temporalia, quibus abun-

bundabat, sed *æterna*. Clar. *Heideggerus* in *Differt. Select. Tom.* II. *Differt.* II. §. XIX. rationes Hieronymi laudavit & auxit. *Neque tamen*, inquit, *in verbis illis Davidis*, Non credidissem, me visurum bonum Jehovæ in terra viventium, *quæ Hieronymus in explicationis suæ subsidium vocat*, *inferiorem* hancce *terram designari*, *ut credam*, *inducor*. *Etenim* ראות בטוב יהוה videre bonum Domini *notat haud dubiè fruitionem Jehovæ*, *ut summi boni*, *ejusque Visionem*, *quæ non in Terra hac inferiori sed Cœlo contingit*. *Alias hæc terra potius est mortis*, *quam vitæ; quia vita nostra propter peccatum facta est mors*. Verum Rationes hæ tanti ponderis tantæque evidentiæ non sunt, ut assensum extorqueant. *Prima* enim atque *Tertia* Hieronymi *Ratio* nituntur hac hypothesi prorsus incertâ vel falsâ, quod David hunc Psalmum composuerit in Regno confirmatus, multarum in circuitu nationum Victor existens, omniumque bonorum terrenorum gaudens affluentiâ. Contra quam hypothesin disputavimus in *Differt.* V. *de Tabernaculi Levitici Amœnit.* ad Locum *Psalm* XXVII: 4. §. VIII., variisque rationibus ex ipso Psalmo petitis probavimus, eum in mediis exiliis periculis atque angustiis ab ipso fuisse confectum, ante unctionem ejus secundam, factam in Hebron, de qua 2 *Sam.* II: 4, 7. Unde etiam *Doct. Clericus* in *Quæst. Hieronymianis*, *Quæst.* XIV. ad hæc argumenta Hieronymi bene reposuit. *Primum hoc Hieronymus temerè adsumit*, *quidni enim possit hic Psalmus à Davide scriptus esse cum in Philistæorum solo*, *aut in vicinis solitudinibus versabatur*, *ut fugeret Saulis iram? Profectò quæcunque in eo habentur haud paullò meliùs conveniunt difficilibus illis temporibus Davidis*, *quam ejus senectuti*, *per quam victoriis suis fruitus est*, *uti rectè animadvertit Lud. Ferrandus Vir eruditus*. *Terrenum* itaque *Bonum* David, â Domino Israëli in Terra Cananæâ *Num.* X: 29, 32. imo & Sibi, unà cum Regno promissum, & quo destitutus hactenus erat ille, ex fide promissionis sibi factæ, sperare atque desiderare meritò poterat. Haud tamen nego illum altius simul re-

respexisse ad *Bonum Electorum Ps.* cvi: 5. & *Credentium Ps.* xxxi: 20. quod à Jehova Patre ipsis est destinatum, & à Jehova Filio acquisitum, & a Jehova Spiritu Sancto ipsis continuè applicatur, atque adeo cum singulari emphasi *Bonum Jehovæ* dicitur. Hujus verò *visionem* in Cœlo tantum obtinere nego. Inchoata enim *Visio* seu fruitio hujus Boni locum habet in hac Vita, tam quoad possessionem Boni gratiæ, quam quoad spem & prægustationem Boni gloriæ *Psalm.* lxv: 5. *Jer.* xxxi: 12, 14. *Ps.* xxxiv: 11. *Rom.* viii: 23, 24. Unde infirmitas ratiocinii Cl. *Heideggeri* apparet. *Secunda* ratio Hieronymi ab Heideggero adoptata nullius quoque momenti est. Etsi enim certo respectu inferior hæc terra *mortuorum* dici queat, alio tamen & *vivorum* meritò appellari potest, & appellata est in Locis supra adductis. Speciatim Terra *Cananæa* præ aliis regionibus ita vocari potuit, quoniam erat terra Dei viventis, atque inhabitabatur ab Hominibus, qui naturaliter non modo vivebant, sed & vita gratiæ gaudebant, in quorum itaque medio vivere & Deum colere haud parùm conducere poterat ad Visionem Boni Jehovæ magis magisque perficiendam.

XX. Etsi verò concedamus, quod *Cœlum* in his Locis, vitaque cœlestis, dicatur *Terra Viventium*, metaphorâ petitâ, vel à Paradiso, in quo nulla mors fuit, vel à Terrâ Cananæâ, in quâ Deus ipse vivens, & fideles spiritualiter viventes habitabant, quemadmodum etiam Chaldæus aliique Hebræorum cum Kimchio *Terram viventium* interpretati sunt, sicuti monuit *Simeon de Muis* ad *Ps.* xxvii.: exinde tamen minimè sequetur, *Terram*, cujus Hæreditas piis præmittitur in iis quæ tractamus Locis, similiter pro *Cœlo* esse positam. Etenim id nominis, *Terra viventium* scilicet, ne semel quidem in his nostris toties repetitis Promissis occurrit. Quod tamen necessarium fuisse videri posset ad tollendam magis sensus obscuritatem. Ubi enim *Terra* simpliciter nominatur & sæpius eodem modo, in iisdem

dem promissionibus. haud facile continget, ut aliquis cogitet de *Cœlo*, Terræ vulgò opposito. At, inquiunt, quamvis *Terra* à piis possidenda non dicatur *Viventium*, dicitur tamen Terra *multitudinis pacis*, & *altitudinis*. Nempe *Ps.* XXXVII: *v.* 11. ubi *multitudo pacis* cum Hæreditate Terræ jungitur, & *v.* 34. Exaltabit *Te ad hæreditandam terram*, quod supra ex Origene vidimus vehementer ursisse Hieronymum. Verum *multa pax* possidetur à piis etiam in hac vitâ *Rom.* V: 1. XIV: 17. *Phil.* IV: 7. *Ps.* CXXII: 5, 7, 8. &c. *omnis* autem & consummata demum in alterâ vitâ *Apoc.* XXI: 4. Deinde alia est *Exaltatio* Loci, alia verò Status per dignitatem & *Dominium*. De hac agit Psaltes, atque docet per Hæreditatem Terræ promissam piis in sublimi statu fore constituendos, ipsisque Regibus æquiparandos, imo præferendos.

XXI. Instant porrò atque confidenter satis statuunt, quod vocibus *Terræ* hujus sc. Cananææ, sæpius in promissis Abrahamo factis *Cœlum* ipsum sit significatum, quod supra §. VI. Hieronymum valde inculcantem atque suo more probantem vidimus; *tum* ex promissione terræ hujus *ipsi Abraha*mo in individuo facta, cui tamen *vestigium pedis* in ea non est concessum, & qui habitavit in ea tanquam *aliena*; *tum* ex *Heb.* XI: 39, 40. ubi de cunctis fidelibus veteribus, etiam qui terram Cananæam inhabitarunt, dicitur, quod *non acceperint repromissionem*, sc: hanc de Terra danda Abrahamo & semini ejus; *tum* denique ex Terræ Cananææ ab Israëlitis *ad tempus* possessæ *angustiâ*, non conciliandâ cum *amplitudine* toties repetitæ promissionis de Terra hac possidenda ut *ingenti bono*, & quidem in *æternum*. Sed frustra & infeliciter hæc congessit argumenta Hieronymus, minime probantia quod ipse voluit. Quantum attinet ad *Primum:* Promissio *Terræ hujus* הארץ הזאת nempe Cananææ facta est Abrahamo, sed ab ipso possidendæ *in semine* ejus: quemadmodum sæpe de Patribus dictum reperitur quod in filiis implendum erat, *Gen.* XXVII: 29,

29, 40. XLIX: 7. Certè in prima Terræ promissione *seminis* solius fit mentio *Gen.* XII: 7. *Et dixit ei*, semini tuo *dabo terram hanc*, *coll. Neh.* IX: 8. *Gen.* XV: 18. XXII: 17. Unde conjunctio *Et* in Promissis sequutis postea *Gen.* XIII: 5. XVII: 8. *Dabo tibi* Et *semini tuo*, exegeticè videtur capienda, quemadmodum etiam alibi sumitur 1 *Chron.* XXI: 12. coll. 2 *Sam.* XXIV: 13.; ut sensus sit, dabo Tibi; id est, semini tuo, terram hanc. Interim inhabitationem tranquillam & honorificam etiam ipsi Abrahamo concessit Deus *Gen.* XXIII: 6. *Ps.* CV: 14, 15. ad mortem usque cum insecutâ sepultura *Gen.* XV: 15. atque sic argumentum dedit juris dati in Terram hanc, ac possessionis, in quam certò Posteritas ejus immittenda erat; imo simul exequi consilium hac de re suum incepit Dominus, quod significatum est ab ipso quando dixit *Gen.* XV: 7. *Ego Jehova qui eduxi Te ex Ur Chasdim ad dandam* Tibi *terram hanc*, *ad hæreditandum eam*, quibus verbis declaravit se hunc in finem evocasse Patriarcham ex Ur Chaldæorum, ut decretum suum de danda semini ejus Terra hac sic inchoativè exequeretur in ipso translato in hanc Terram, eamque inhabitaturo ad mortem usque, atque sic simul documentum daret *plenissimæ* executionis consilii sui certè secuturæ, quo etiam posteri ejus excitarentur magis ad occupandam Terram, quam Patribus promiserat non modò, sed & in habitandam dederat, & ubi ossa eorum inveniebantur. *Alterum* Hieronymi argumentum duplicem errorem continet, *exegeticum* nempe & *doctrinalem* insignem. Errorem exegeticum committit, quando per *promissionem*, τὴν ἐπαγγελίαν, *Heb.* XI: 39. illam de *Terræ* hæreditate intelligendam esse contendit, ut Terram in Cœlum mutaret, quia scilicet fideles a Paulo antea nominati inferiorem hanc terram Cananæam certò possederunt, sed in superiorem & cœlestem non essent ingressi ante mortem Christi. *Promissionem* utique *Terræ*, nisi literam plane velimus deserere, quod nec ipse vult Hieronymus, obtinuerunt fideles illi ab Apostolo

laudati, ut hoc *absolutè* negare haud potuerit Paulus; deinde loquitur manifestè de illa promissione, in cujus implemento *κρεῖττόν τι præstantius quid* esset eo quod olim Patribus illis in hac vita contigit, & quod *Nobis* nunc sub N. T. viventibus *solis* destinatum atque reservatum erat, *v.* 40; & proinde *promissio* hæc est illa de *Adventu Messiæ*, nostris demum temporibus impleta *Act.* XIII: 32. *Matth.* XIII: 16, 17. Error porro *Doctrinalis* Hieronymi est, quod Patres dicat, ante mortem Christi quoad animas, non fuisse *admissos ad Terram viventium*, *Paradisum*, *Cælum*, sed *apud inferos versatos* fuisse. Hoc enim declarationi Divinæ *Exod.* III: 6. *coll. Luc.* XX: 37, 38, connexioni beneficiorum gratiæ cum glorificatione *Habak.* II: 4. *Ps.* XXXII: 1, 2. *Rom.* IV: 5, 6, 7, 8. VIII: 29, 30., fidei ac spei Veterum in Divinâ promissione fundatis *Heb.* XI: 10.—16. *Psalm.* LXXIII: 24, 25, exemplis Enochi, Eliæ, Lazari *Luc.* XVI: 22.—26, multisque Scripturæ Locis *Jes.* LVII: 2, *Actor.* XV: 11. *Heb.* II: 10. &c. manifestè repugnat. Ad *Tertium* denique argumentum dicimus; quod Cananæa fuerit promissa semini Abrahami ut *bonum*, verùm non *summum*, sed secundarium & temporale; & quod fuerit terra *bona*, terra mellis & lactis & vini *Num.* XIII: 23, 27. XIV: 7, 8. &c. *Nam sane*, ita *Doct. Clericus* in *Quæst. Hieronym.* XIV. *ex* Aristea *&* Josepho, *constat varios ejus tractus fertilissimos fuisse; & cultu impigro locorum minus fertilium potuisse etiam magnam hominum multitudinem in ea ali.* Et necesse est ut præstantiam habuerit hæc Regio, quam præ aliis in Typum cæli ordinatam fuisse Divinitus vult ipse Hieronymus. Et quod *angustiam* ejus attinet, habuit sane tantum latitudinis & longitudinis, *quantum satis erat excipiendis ejus colonis*, uti bene *Clericus*, quem vide l. c. *Æterna* denique possessio ejus promissa *Gen.* XIII: 15. XVII: 8. neutiquam cogit nos ut literam deseramus. Notum est enim quod voces לְעוֹלָם & עַד עוֹלָם notent sæpe longum tempus cujus terminus procul est, quod tamen certò finien-

niendum eſt; vel morte hominis 1. *Sam.* I: 22; vel anno jubileo *Exod.* XXI: 6; vel LXX. annis *Jer.* XXV: 9, vel adventu Meſſiæ *Gen.* XVII: 13. *Exod.* XII: 24. quomodo & in hoc promiſſo ſumuntur illæ; vel denique fine mundi *Deut.* XXXIII: 15, quo ſenſu hanc promiſſionem capiunt nonnulli, ob *mille generationes* Iſraelitarum, ad quas extenditur illa *Pſ.* CV: 8.—11. Vide Glar. *Witſium* de *decem Trib.* Cap. IX: §. VII. Certe multiplicatio ſeminis Abrahami per *generationes* in beatâ æternitate locum non habebit.

XXII. Non nego interim Cananæam Terram Cæli cæleſtisque quietis *Typum* fuiſſe, quod tamen facilius dicitur quam probatur vulgò Pertinebat ejus promiſſio ad Fœdus gratiæ cum Abrahamo erectum *Gen.* XV: 18. XVII: 8. XXII: 16, 17. *Pſ.* CV: 8.—11. cui fœderi ſuo modo conſequenter inſervire debebat. Deinde pertinuit ſimul ad Fœderis hujus gratiæ Veterem Oeconomiam, in quâ ſpiritualia & cæleſtia ſub terreſtrium Typorum involucris proponebantur *Heb.* X: 1. Neque etiam nego in promiſſione de Terræ Cananææ hæreditate ſemini Abrahami danda, contineri quoque *ſenſu myſtico* cæleſtis beatitudinis promiſſionem. *Senſu myſtico*, inquam, ita ut *Litera* ſignificaverit inferiorem Cananæam, *Res* vero hæc Literâ notata aliam Rem, nempe ſuperiorem & cæleſtem Cananæam præfiguraverit, ac per ſimilitudinem non unam, a *Clar. Witſio* expoſitam in *Oecon. Lib.* IV. *Cap.* X: §. IX: adumbraverit, ſanctisque & fidelibus ex Iſraele obſignaverit. Qui tamen myſticus ſenſus ab illis ſciri nec intelligi poterat absque aliâ Dei revelatione & declaratione; qualis an data fuerit Patriarchis, vel Iſraëli per Davidem, quando cæleſtem vitam *requiem Dei* appellavit in *Pſalmo* XCIV: 11. *coll. Heb.* IV: 1.—11., cum reſpectu ſcilicet ad locum *Num.* XIV: 21. 23, nunc non inquiro nec determino: certus interim de cæleſtis vitæ promiſſione Patriarchis aliàs factâ *Gen.* XV: 1. XVII: 7, 8. *coll. Heb.* XI: 10, 16. Sed hoc velim obſervari,

quòd *Literá* de Terræ hujus inferioris hæreditate solùm loquatur, concesso etiam hoc sensu mystico, sicuti apertè apud Mosem agitur de Terra *hac*, quam *videbat* nunc oculis corporis Abrahamus *Gen.* XIII: 15, & quæ erat Terra *peregrinationum* ejus *Gen.* XVII: 8, & quam *alienam* terram, atque *promissionis* vocat Paulus *Heb.* XI: 9. Atque adeo stat hactenus nostra Thesis; quod *voce terræ* nullibi, neque etiam in istis promissis Abrahamo factis, *Cœlum* directè sit significatum; & quod hoc multó minus fiat in Nostris Locis ubi *Terræ* simpliciter, absque ulla speciali determinatione, hæreditas omnibus & singulis piis promittitur. Nihil aliud ergo ex his promissis Abrahamo factis, si quid valerent ad probandum quod *Terra* quandoque *Cœlum* exprimeret, inferre liceret, quam quod in *Locis Nostris* cælestis *Cananæa* simul cum *terrestri*, mysticè promissa esset; quemadmodum etiam statuunt multi Interpretes, partim ut simplicitatem literæ teneant, partim ut difficultatibus supra motis felicius se expediant. Sicuti etiam ipse Hieronymus ad *Psalm.* XXXVII: 22, Terram *hanc* & *Terram viventium supernam* junxit. Verùm quia hæc conjunctio sensus Literalis & Mystici statui nequit in dicto Salvatoris *Matth.* V: 5, ad cujus tempus promissio de Cananæa danda in hæreditatem semini Abrahami durabat modò & non ultra; idcirco etiam in locis *Psalm.* XXXVII. de illâ cogitare non debemus, quia nobis firmiter persuasum est, nec contrarium hactenus probatum vidimus, quod nempe eodem prorsus sensu Dominus Verba Psalmi protulerit, quo à Davide antea prolata fuerant. Et præterea posita hac sensus utriusque conjunctione, utique ex *Literali* difficultatum supra motarum haud exigua pars remanebit.

XXIII. Unde etiam Nonnulli Veterum atque Recentiorum interpretum hanc Origenis & Hieronymi sententiam duram insolentem multisque difficultatibus obnoxiam, qua *Terra* scilicet *Cœlum*, in promissis hisce denotaret, deserentes

tes vel leviter tangentes, aliam adoptarunt vel laudarunt, non minus alienam; juxta quam TERRA hæreditariò possidenda significaret CORPUS nostrum, quod ex *terra* originem traxit; quatenus vel MORTALE, *rationis imperio subditum* haberent in hac vita Pii, ut *Dionysius Carthusianus* ad *Matth.* v: 11. in præmium scilicet *mansuetudinis*; vel potius quatenus IMMORTALE & GLORIFICATUM nobis restituetur in Resurrectione omnium: quando heic esset promissio non quidem vitæ cælestis immediatè notatæ, sed *Resurrectionis gloriosæ*, quæ illam proxime antecedet in die æternitatis. *Augustinus* ad *Ps.* XXV: 13. *Et semen ejus hæreditate possidebit terram;* hæc adscripsit; *Et opus ejus hæreditatem solidam instaurati corporis possidebit. Chromatius*, Aquilejensis Episcopus, Augustino coævus, & quem Hieronymus, in præfatione Paralipomenon, *Episcoporum sui temporis sanctissimum atque doctissimum* appellat, *de octo Beatitud.* in *Matth.* v. 5. *Maxime tamen*, ait, *de terra nostri corporis loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum, æterna fœlicitate regnabunt. Auctor* Operis *imperfecti* in *Matthæum:* quod alii *Chrysostomo*, alii verò *Johanni Hierosolymitano* Episcopo, tempore Hieronymi, vindicant, uti *Petrus Wastelius:* ita narrat; *Alii dicunt, quia corpus nostrum terra est, & quamdiu quidem subjacet morti, terra est mortuorum: cum autem fuerit transformatum, & conforme factum ita coropori gloriæ Christi; erit terra vivorum, & hæreditabunt eam æternam æterni: & spiritualem & sanctam, spirituales & sancti. Johannes Gagnejus* Theologus Parisinus in *Matth.* v. 5. *Potest etiam corpus post resurrectionem glorificandum intelligi, sed & consortium corporis Christi, jam glorificati: unde* Hilarius, possidebunt terram, *id est, corpus Christi glorificatum, quia erunt conformes in corpore suo, illi claritati.* Meritò *Daniel Whitby* Sarisburiensis Præcentor, hanc Hilarii glossam absurdam dixit. Cæterum hæc expositio *Terræ* per *corpus glorificatum*, sive Christi, sive nostrum, styli sacri obscuritatem haud mediocrem

infert; & simul repugnat contextui Davidis in *Ps.* XXXVII. & Salomonis in Proverbiis, ubi impii ex *hac Terra eradicandi* dicuntur, quam nunc scilicet possident, quod utique respectu corporis olim glorificandi de illis dici nequit. Non nego interim Corpus nostrum ex terra esse, & metonymice ita vocari posse, etiam corpus glorificatum, quia etsi incorruptibile sit futurum, idem tamen materiale corpus manebit: quemadmodum hoc *pulvis* diceretur, *Gen.* III. 19. *quoniam pulvis tu & in pulverem redibis*, juxta glossam *R. Simhon ben Jobay*, laudatam a *Menasseh Ben Israël* de *Resurrect. Mort. Lib.* I. *Cap.* I. *Ibis*, non est dictum, sed, *Redibis*, hoc sensu scilicet, *pulvis nunc es, o Adam, illoque pulvere iterum indueris, tempore resuscitationis mortuorum.*

XXIV. *Tertia* itaque sequitur *Sententia*, juxta quam TERRA significaret externè & internè vocatorum ECCLESIAM, sive per *metaphoram*, sive per *metonymiam*. Per metaphoram ita *Ecclesiam* vocari, petitam à *Terra quavis* in genere, (uti sumitur vox ארץ *Prov.* XXVIII. 2. XXIX. 4. XXXI. 23. *Eccles.* X. 16. 17.) volunt nonnulli, quia instar Terræ fœcundæ, *Verbi pabulo nos reficit, & patrocinii umbraculo custodit, & loquendo pascit & opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed & cum fructu operis, arborem protectionis*; quemadmodum metaphoram ita fere exposuit *Santes Pagninus in Isag. ad Mysticos S. S. sensus, Lib.* XVII. *Cap.* VIII. Alii verò *Terram* antonomasticè positam esse pro Cananæa, Terra Sancta & Immanuelis, primò contendunt. *coll. Ps.* XLIV. 4. LX. 4. LXI 3. CV. 16. *Jer.* XXII. 29. &c. & dein *metonymicè* Terram hanc sumunt pro *populo Dei* in ea habitante, *coll. Jes.* LXVI. 8. seu *Ecclesia*, olim limitata intra cancellos Terræ promissionis, sed nunc extensa ad fines totius orbis; quæque aliàs sæpe, partim per metonymiam partim per metaphoram, *Tzijon*, *Jerusalem*, *Mons Domini* appellatur. Quando *Hæreditaria* possessio hujus Terræ seu *Ecclesiæ* dicet, *Commu-*

munionem ejus *ſuaviſſimam* & *perpetuam*, omniumque ſalutarium bonorum ei deſtinatorum in Meſſia; & conſequenter *perſeverantiam* Manſuetorum credentium & juſtorum omnium in ſtatu gratiæ, eorumque certam ex militante in Triumphantem Eccleſiam in Cœlis translationem. *Varlenius* ad *Pſam*. XXXVII: 5. ſcripſit, *Auguſtinus per terram intelligit Eccleſiam Catholicam, quam Dominus rigat & colit, cujuſque Agricola pater eſt.* In *Gloſſa Ordinaria* in *Prov*. II. 21. legitur, *Terræ nomine Eccleſia deſignatur, quia ſpiritualem fructum Deo generat, in qua habitant & permanent* (*Recti*), *quia à conſortio ejus nec morte ſeparantur, ſed terminatâ hac vita, ad illam ejus partem, quæ cum Chriſto in cælis regnat, perveniunt. Impii vero qui ad illam pertinere terram videbantur, de terra perdentur, vel judicio ipſius Eccleſiæ, ut Simon, Arrius & Porphyrius, vel ſecreto Dei judicio, ſicut multi, qui boni hominibus videntur, in futuro autem de Terra viventium perdentur.* Calvinus in *Jeſ*. LX: 21. *Aliena eſt autem ab idiomate Prophetarum & coacta interpretatio eorum qui* TERRAM *per Cœlum & beatam vitam exponunt: quia hoc conſilio terra Chanaan data fuit filiis Iſraël, ut à toto mundo quaſi peculium Dei ſegregati illic eum purè colerent. Ideoque* HÆREDITARIO JURE HABITARE *in terra nihil aliud eſt quam* MANERE IN FAMILIA DEI. Res eſt veriſſima verè Pios Manſuetos & Credentes in ſtatu Gratiæ atque in Eccleſiæ Electorum & Salvandorum Communione perpetuò eſſe perſeveraturos; & ſimul Conſolatione pleniſſima, quia Beatitudinis ſummæ haud exiguam partem complectitur, ut meritò Dominus ejus intuitu *Manſuetos* prædicare *Beatos* potuerit. Haud diffitemur quoque quod hæc ſententia ſatisfaciat *ex parte* promiſſionis hujus Verbis, quibus *æterna* Poſſeſſio *Terræ* promittitur *omnibus* & *ſingulis* manſuetis juſtis credentibus, horumque *ſemini*, quia fidelium *Liberis* quoque facta eſt Promiſſio Gratiæ inamiſſibilis & Spiritus manſuri in æternum. *Act*. II. 39. *Jeſ*. LIX. 21. Imo haud negamus hanc fortè eſſe mentem Spiritus in

Lo-

Locis illis, *Jes.* LVII. 13. LVIII. 14. supra §. 11. descriptis, in quibus nomen *Terræ*, per additas nonnullas Voces ad *Cananæam* manifestè restringitur; nec non in *Psalmo* LXIX. 36. 37. *Quoniam Deus servabit Tzijon, & ædificabit civitates Jehudæ:* & habitabunt ibi, & hæreditabunt eam. *Et semen servorum ejus hæreditabunt eam, & diligentes nomen ejus, habitabunt in eâ.* Acquiescere tamen non possum in hac Sententiâ. Si Promissio heic toties repetita a Davide, Salomone, Jesaia, Christo; *vel semel* loqueretur de *Terrâ*, v. g. *Bona*, aliqua esset ratio cogitandi de *Ecclesiâ*, metaphoricè ita appellata, *coll. Matth.* XIII. 8. 23. Vel si ageret de Terrrâ *Sancta coll. Zach* II. 12. *Desiderii Psalm.* CVI. 24. *Jer.* III. 19. *Promissionis*, *Heb.* XI. 9. *Immanuelis*, *Jes.* VIII. 8. vel etiam de *Hac* Terra, *coll. Zach.* III. 9. in Cananæa enim Eloquia hæc sunt edita: haud inepta prorsus fuisset data occasio intelligendi Populum Dei seu *Ecclesiam*, metonymice ita vocatam. Sed nihil horum occurrit in Promissis nostris, ubi *Terra* nudè ac *simpliciter* nominatur. Non malè profectò *Bugenhagius* ad *Ps.* XXVII. 13. *Ego vocabulum* Terræ *volo in suo significatu accipi, nisi ipsa oratio Metaphoram habeat apertam.* Quale etiam *apertæ* Metaphoræ vel Metonymiæ istiusmodi signum non esset necessariò statuendum, etsi Terra *Bona*, aut *Promissionis*, nominata fuisset in hisce Promissis; quoniam hæc additamenta ad Terram ipsam Cananæam quidem, & inhabitationem in eâ perpetuam ac felicem, non verò mox ad Ecclesiam, ac perseverantiam in ejus Communione salutari, nos ducere possent. Quare etiam parùm efficiunt pro *Ecclesia* per *Terram* intelligendâ, qui observant in nomine *Mansuetorum* esse allusionem ad Historiam deserti, in quo feroces duri & intractabiles atque rixantes cum Deo conciderunt, dum mansueti in Terram promissam Divina manu introducti fuerunt.

XXV. Dubito an Illi mentem Spiritus felicius adsecuti fuerint, qui *Terram* generalius exponunt: Vel metaphoricè per

per BONA STABILIA; Terra enim ſtat immobilis, atque idcirco permanentium Bonorum emblema ſatis aptum eſſe videtur; uti apud *Corderium* in *Comment.* in *Pſalm* XXXVII. legitur; *Terram hæreditabunt*, id eſt, *poſſidebunt* βέβαια τὰ ἀγαθά: Vel *Synecdochice*, ſpecie pro genere poſita, per BONA quævis INSIGNIA GRATISSIMA ET JUCUNDISSIMA, potiſſimum SPIRITUALIA. Hæc tamen Expoſitio reliquis omnibus præferenda videtur *Celeb: Spanhemio*, in *Part.* III. *Dub. Euang.* LXXXII. §. IV., quia ſcilicet *plana* eſt, *& nodum ſolvit.* Iſraëlitis enim, inquit, nihil gratius fuit Poſſeſſione terræ promiſſionis, quæ ut inſigne Beneficium in Quinto Præcepto proponitur; ſed ita, ne experientia videatur contraria promiſſioni, ut ſpecies ibi quoque pro Genere, Particulare pro Univerſali, aliqua Benedictio pro quavis expreſſa ſit. Adeo ut, collatis verbis Præcepti illius Quinti cum Phraſi Pſaltis, dicere liceat, utrobique promitti, Liberos obſequentes parentibus, Juſtos, Humiles, Expectantes Dominum, Benedictos illius, fructum uberem ſuæ pietatis conſecuturos, benedictione ampla mactandos, & idem promiſſionum divinarum complementum percepturos, quod Iſraëlitæ olim per introductionem ſui in terram Canaan, è quibus feroces & murmuratores ſtrati in deſerto, obſequentes verò mites & manſueti in terram promiſſam ſunt introducti. Sic non novum, inquit porrò *Vir Clariſſimus*, ſub Benedictionibus & Maledictionibus ſpecialibus deſignari quaſcunque alias. Exempla multa proſtant in *Deut.* XXVIII. & paſſim apud Prophetas obvia ſunt, ab illis rebus petita, quæ vel amabiles maximè & gratæ in promiſſis, vel maximè exoſæ & formidabiles in minis. Sic enim Scriptura Beneficia promittendo loquitur de Planctu mutando in choreas, deliciarum Torrente, Convivio pinguium, Corona vitæ, Manna abſcondito, Veſtimentis albis, Seſſione in Throno. Sic Patria cœleſtis vocatur Hieroſolyma, & deſcribitur velut tota obducta auro & conſtrata gemmis, &c. quæ omnia nobis grata & apud

 nos

nos in pretio ſunt. Ex adverſo ſic Pœnæ deſcribuntur in Scriptura per Captivitatem, Servitutem, Tenebras, Vermem rodentem, ſtridorem Dentium, Gehennam ignis, & alia id genus, quæ hominibus ingrata atque exoſa ſunt. Et hæc una eſt ex potiſſimis Cauſſis pervicaciæ Judaicæ, quod miſerrima iſta gens Promiſſiones Propheticas de felicitate temporum Meſſiæ ad literam intelligendas putet, nec vel naturam Promiſſionum divinarum, vel ſtylum Prophetarum advertat, quum Spiritus Dei Cæleſtia Terreſtribus, Spiritualia Carnalibus, Divina Humanis, illa quæ nobis grata & in pretio eſſe debent, per illa quæ talia nobis re ipſa ſunt συγκαταβατικῶς exprimere conſueverit. Quod & facere eum in hac de *Terræ hæreditate* Promiſſione etiam ex eo patet, quod materialiter & quoad rem ipſam haud differant promiſſiones iſtæ, κληρονομήσουσι τὴν γῆν, χορτασθήσονται, παρακληθήσονται, ἐλεηθήσονται, *&c.* Et denique notandum eſt, quod nec Dominium hominum ferocium & violentorum, nec mitium ærumnæ, clades, exitia obſtent complemento promiſſionis hujus, hoc modo expoſitæ. Illi enim *poſſident hæreditariò terram*, qui *Re maximè deſiderabili* perfruuntur, nempe qui Deum placatum habent, & conſcientiam tranquillam, quorum eſt regnum Cœlorum, qui glebam quamvis exiguam poſſident titulo & Jure Filiorum & Hæredum, qui poſſident non poſſidentur, qui αὐτάρκεις ſorte ſua contenti, & bene utuntur conceſſis, & qui Jus in Chriſto habent ad omnia, ſicuti Abraham Hæres Mundi Apoſtolo, etſi ne veſtigium quidem pedis in Terra promiſſa obtineret. Ita erudite ut ſolet Magnus SPANHEMIUS, cujus Verba deſcripſit quoque atque ſententiam adoptavit *Quiſtorpius.*

XXVI. Nolo diffiteri, me, cum hæc legerem, ita vividè iis fuiſſe affectum, ut penè totus in hanc ſententiam conceſſerim, atque in ea acquieverim. Sed verò attentius iterum expendenti *Loca noſtra* in *Pſalmo* & *Proverbiis*, occurrebant continuò *Impii*, *nunc* poſſidentes *Terram*, piis pro-

promissam, & occupantes *Locum* in ea, instar *arboris virentis*, *indigenæ & suo solo sitæ*, atque *radicatæ* diu, ex qua tandem *excidendi* sunt, ut *Justi*, tanquam legitimi *hæredes*, in eorum Locum *succedant*. Unde necessariò sequitur, si *Terra* pro *desiderabilibus Bonis* quibuscunque, etiam & maximè illis *spiritualibus*, *Deo propitio in Christo*, *conscientia tranquilla*, *Regno Cœlorum* &c. synecdochice credatur posita, quod Improbi quoque horum Bonorum salutarium ad tempus fiant participes, quod falsum est. In nonnullis quidem hoc obtinet, si *Opinionem falsam* illorum de se, vel aliorum de illis spectamus. Sed de *Possessione & Habitatione Terræ* ab *Impiis* eum in modum loquitur Spiritus in *Locis Nostris*, ut omnino *Rei* hujus *veritatem* doceat, non externam modò apparentiam vel vanam opinionem, ut unusquisque ritè attendens animadvertet. Præterea, si statuamus cum *Spanhemio Speciem* pro *Genere* heic esse positam, utique & *ipsam* quoque *speciem* nos includere oportet, *Hanc* nempe *Terram* inferiorem, cum *desiderabilibus Bonis* ejus; quia significanter adeo & toties nominata est, atque ideo etiam omnino distinguenda hæc promissio ab aliis promissionibus junctis, non cum iis confundenda; quamvis una cum illis conspiret & concurrat ad summam Beatitatem & Felicitatem piorum conficiendam; & in se contineat etiam illud singulare, quod in aliis Promissis, à Domino in Monte datis, generalius erat propositum. Bene *Clar. Hoornbekius*, *Tom.* II. *Theol. Pract. Lib.* X. *Cap.* V. *Non enim possum Promissionem Christi ita exponere in genere, ut non in specie quoque ad terrena referam, tam signanter expressa, & aliis promissionibus etiam singularibus opposita.* Si verò Terra *hæc* cum ejus *Bonis* quoque intelligatur, quemadmodum etiam videtur concedere ipse *Spanhemius*, quando dicit, *potissimum* Spiritualia significari; remanet difficultas supra mota, nec *nodus solvitur omnis*.

XXVII. Multi hodie universalem hanc Promissionem in *Prophetiam certi temporis* convertunt, nimirum de REG-

NO MESSIÆ ſpirituali in GENTES, vocandas per Euangelium, & per Spiritum Sanctum ſubjiciendas, unà cum *Terra* illarum, Chriſto, atque ſic transferendas in *Unitatem Fidei Patrum*, ac Juſtificationis per eam. Scilicet *Terra* ipſis eſt *Terra Gentilium*, una cum *Gentilibus* ipſis, eam inhabitantibus, ad quos maximè quoque reſpiceretur in Vaticinio hoc. Hanc Terram Manſueti, Juſti, Verique Credentes occuparent, atque in eâ, ut Terra Dei, Eccleſiæ, & ſuâ, habitarent, neque tantum hoſpitium invenirent, ſed & Hæredum & Dominorum inſtar liberè juxta conſcientiæ dictamen viverent, fidemque ſuam profiterentur, ſive ex Judæis ſive ex Gentibus forent converſi. Imo *Illi ipſi* Manſueti, tempore Davidis & Chriſti exiſtentes, *Hæredes* fierent *Terræ* iſtius; partim quatenus hæc Chriſto, Hæredi omnium, & *Capiti* illorum, cujus ſunt *Cohæredes*, ſubjiceretur; partim quoque quatenus Fideles N. T. Fidem ac Pietatem Veterum ex Iſraële *imitarentur*: ſicuti Abraham hoc Pacto *Pater multarum gentium* perhibetur. Et quemadmodum ſic nati non ſolum ex parentibus, ſed etiam & magis Paternarum virtutum Imitatores, *Hæreditas* illorum dicuntur, *Pſalm.* CXXVII: 3. Ex adverſo *Impii*, *Judæi* ſcilicet increduli, nec populus Dei forent amplius, nec vocarentur, divino Judicio perdendi, una cum Templo & Urbe, atque ejiciendi ac *excidendi ex Terra*, ita ut *Locus* eorum, ut & Templi ac Civitatis ſanctæ, *antiquus* vix appareret; ita denique diſpergendi per Orbem terrarum univerſum, ut nullibi habitarent in *Terrâ* tanquam *ſua*, in quâ Jus Civitatis haberent, & aditus pateret ipſis ad Honores ac Magiſtratûs Munia. Vide *Celeb. Coccejum* in *Pſ.* XXXVII. & *Matth.* V. & in *Diſput. Select.* XXX. & *Clar. Tillium* in *Pſ.* XXXVII. & in *Matth.* V. Fundamenta hujus Sententiæ ſunt præcipua. I. Quod *Terræ Hæreditas* ſit *Hæreditas Mundi*, Abrahamo promiſſa *Rom.* IV. 13. Voce enim κόσμος utitur Scriptura pro vocabulo γῆς, uti obſervat *Cl. Coccejus.* Atqui *Hæreditas* illa *Mundi*

eſt

eſt *Hæreditas gentium multarum*, quarum Abraham ex promiſſione Dei *Pater* futurus erat, quemadmodum ſic Paulum ſemetipſum explicare ibidem in ſequenti *v.* 17. contendunt: ſicuti & alibi ſæpe κόσμ☉ pro gentilibus ponitur. *Joh.* III: 16. *Rom.* XI: 12. 2. *Cor.* V: 19. 1. *Joh.* II: 2. II. Quòd *Gentes*, crediture ſcilicet, dicantur *Hæreditas* Eccleſiæ Veteris. *Jeſ.* LIV: 3. *Et ſemen tuum Gentes Hæreditabit:* in quam rem & laudantur vulgò alia duo loca *Jeſ.* XIV: 1, 2. *Jerem.* III: 19. III Quòd eædem *Gentes* dicantur *Hæreditas* Meſſiæ, *Pſalm.* II: 8. *Et dabo Gentes hæreditatem tuam; & Poſſeſſionem tuam fines terræ:* Qui cum *Caput* ſit Fidelium, hi quoque in ipſo Gentes hæreditare meritò cenſentur. IV. Quòd Dominus in Euangelio dictum Pſalmi laudans, ſenſum ejus *Propheticum* ſic quoque doceat. Non enim dictum Domini intelligi poteſt de Terra Cananæa Typicâ, olim in Hæreditatem data, ſed de ejus Antitypo, ſeu *Hæreditate Mundi.* Nam poſt Chriſtum nulla Terra particularis Hæreditas Eccleſiæ eſſe poteſt, quia hæc nulli certæ Orbis Regioni eſt alligata. V. Quòd denique ſcopus Domini ſit *Conſolari* Diſcipulos adverſus *perſecutiones* inſtantes: quod egregie facit *prædicendo Converſionem Gentium* per Euangelium ab ipſis prædicandum, & per Vitam ſanctam ſecundum ejus præſcriptum inſtitutam, in quâ amplam mercedem & uberrimum fructum laborum & paſſionum ſuarum nanciſcerentur.

XXVIII. Huic Sententiæ opponit Nonnemo; *quod hactenus demonſtratum non ſit, Vocem* ארץ terræ *in deſcribendo hoc* ſpirituali beneficio, *quale verè eſt* hæreditas gentium & mundi, *à Spiritu S. alibi adhiberi:* Qui non cogitaſſe videtur de notiſſimo Dicto in *Pſalm.* II: *v* 8. modò à nobis exſcripto, quod certè ad ſpirituale hoc Beneficium aliquatenus ſaltem pertinet. Obſervo potius ad hanc ſententiam. 1. Quod communem Promiſſionem Fœderis gratiæ in *Prophetiam* certi temporis mutet, cujus tamen nec in Pſalmo, nec in Proverbiis, nec in Euangelio, ullum

est evidens Indicium. *Clar. Tillius* Psalmum XXXVII. existimat esse *Propheticum*. *Clar. Gurtlerus* tamen, si benè memini, *Propheticis* non adnumeravit. Haud indigna profectò sunt verba *Origenis*, quibus exorsus est explanationem *Psalmi* XXXVII, & quæ ex interpretatione *Ruffini* ita sonant. *Multifariè, multisque modis Deus locutus est Patribus in Prophetis. Aliquando quidem ineffabilia sacramenta nos edocet in his quæ loquitur. Aliquando autem de Salvatore, & de ejus adventu nos instruit. Interdum verò mores nostros corrigit & emendat. Propter quod nos tentabimus per Loca singula Scripturæ Divinæ hujuscemodi differentias assignare: & discernere ubi Prophetiæ sint, & de futuris dicatur: ubi autem mystica aliqua indicantur: ubi vero Moralis est Locus. Incipientes igitur explanationem* trigesimi sexti (qui juxta Hebræos est trigesimus septimus) Psalmi: *invenimus quod* totus Psalmus *iste* moralis *est*. Præstantissimi sanè Interpretes Psalmi hujus argumentum doctrinale & consolatorium esse judicarunt, & haud immeritò contulerunt cum *Ps.* LXXIII. & *Jer.* XII: 1, 2, 3. Egregie sane hanc in rem Augustinus de prima parte hujus Psalmi, *Num.* 3. *Sed revera hoc te perturbat hominem Christianum, quia vides malè viventes felices, rerum istarum copia circumfluere, sanos esse, superbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia suorum, obsequia clientium, excellentissimas potentias, nihil triste interpellare vitam ipsorum: nequissimos vides, facultates copiosissimas perspicis; & dicit cor tuum nullum esse divinum judicium, omnia casibus ferri & fortuitis motibus ventilari. Nam si deus, inquis, res humanas respiceret, floreret illius iniquitas & mea innocentia laboraret? Omnis morbus animi habet in Scripturis medicamentum suum: qui ergo sic ægrotat ut ista dicat in corde suo, BIBAT POTIONEM PSALMI HUJUS.*

XXIX. Neque Dominus *Prædicit* in *Beatitudinibus Euangelicis* illis *Matth.* V: 3. — 10. certos eventus & fata Ecclesiæ N. T., sed ut Angelus Fœderis docet viam salutis com-

communem & perpetuam, Fœderisque gratiæ Officia & Beneficia conjungit ad Institutionem & Consolationem Discipulorum & nostram. Etiam *Regnum cœlorum*, cujus bis meminit Dominus ibidem, nempe *v.* 3. *&* 10. quatenus dicit *Regnum Messiæ spirituale* simpliciter, obtinuit sub V.T. ejusque & Veteres fideles fuêre participes *Psal.* cx. 1. quo sensu in Libro *Zohar*, *interne Deo servire in timore*, dicitur *Regnum cœlorum*, uti observatum est à *Ligtfoto* ad *Matth.* III. 2. Non negamus tamen *Regnum cœlorum* in his Promissis Euangelicis simul notare eximiam conditionem Regni Messiæ sub N.T. manifestandi, & in Cœlo consummandi, absque novâ aliâ interveniente Oeconomiâ. Quemadmodum Veteres Judæi *Regnum cœlorum* posuerunt nonnunquam pro Regno Messiæ interno & externo, in Judæos pariter & gentiles, quibus Jehova *unus* foret, & in communicatione gratiæ suæ, & in fide ac amore atque cultu omnium. Sic dicunt apud *Ligtfotum* in *Matth.* III: eum, qui recitat Textum *Deut.* XI. 13. in se recipere *Jugum præcepti;* (seu Legis Mosis omnis) sed qui recitat *Schema*, sive pericopam illam, *Audi Israel*, *&c. Deut.* VI. 4. in se recipere *Jugum Regni Cœlorum*, id est, profiteri fidem suam in Deum *Unum* omnium Dominum, & talem *futurum* tempore *Messiæ*. Quapropter etiam conferunt hoc dictum Mosaicum *Deut.* VI. 4. cum Prophetico Zachariæ, *Cap.* XIV. 9. ut similem Prophetiam continens.

XXX. Juxta hanc Propheticam Exegesin, Vocabula illa *indeterminatè* posita, *Impii* scilicet & *Maligni*, *Mansueti* & *Justi*, denique *Terra*, multùm & variè admodum *restringuntur*. *Impii* enim excidendi sunt *Judæi* increduli, (*Celeb. Coccejus* ad *falsos Christianos* quoque extendit) *Mansueti sunt credentes* ex *Judæis*, gentes hæreditaturi conversas, & *Terra*, indeterminatè semper posita, est terra *Gentilium*, quatenus scilicet hæreditanda foret à Mansuetis, & iterum *Cananæa*, quatenus ex eâ excidendi essent Malig-

ligni, imo etiam, si ita placet, Terra *Gentilium* rursus, quatenus in hac viverent Maligni illi & Increduli, sed non ut in Terra *sua*, quia foret Terra Dei & populi ejus, à cujus communione isti separandi essent. Quomodò Verba Spiritus indefinita restringere, ubi restrictionis istiusmodi variæ nullum apertum adferunt signum, animi incerti ac fluctuantis indicium mihi esse videtur.

XXXI. Si HÆREDITAS MUNDI, Abrahamo, ut Effectus *fidei justificantis*, promissa, juxta phrasin Pauli, ipsi peculiarem, *Rom.* IV. 13. esset *Hæreditas gentium*, ex eo mox non sequeretur, quod HÆREDITAS TERRÆ quoque esset *Hæreditas gentium:* quemadmodum Nonnemo valdè inculcavit nuper *Hæreditatem Mundi* & *Hæreditatem Terræ* esse duo distincta Bona, minimè confundenda. Alii vero haud immeritò dubitant an *Hæreditas Mundi* apud Paulum sit *Hæreditas gentium.* Qua de re videri potest Venerabilis noster *Marckius* in *Exercit. Scriptur. ad Loca N. T. XX.* Verba Pauli ita sonant. *Non enim per Legem promissio* cessit *Abrahamo, aut semini ejus; ut* hæres *esset* mundi, *sed per justitiam fidei.* Sensus est; neque Abrahamo, neque semini ejus *Hæreditatem mundi* promissam esse ac dari ex *justitia legali*, verùm ex *justitia fidei*, seu fide justificante. In eo versatur Paulus ut probet Caussam *Justificationis* coram Deo non esse *Opera Legis* aut justitiam propriam inhærentem, sed unice *justitiam Messiæ fide* apprehensam. Hoc probat ex *Hæreditate Mundi* promissa Abrahamo, non per *Legem*, sive justitiam Legis propriam, sed *per justitiam fidei.* Oportet ergo ut *Hæreditas Mundi*, quæ statuitur effectus Fidei justificantis Abrahami, sit *tale Bonum*, quod ingrediatur *Justificationem* & Summam felicitatem ejus in *individuo*, & omnium qui ad Filios promissionis pertinent: quale Bonum *non* est *Vocatio gentium* ad *imitationem* fidei Abrahami, sed *Jus* ad *Dei* Communionem, & per eam ad *omnia*, quæ Dei sunt, cujus est *Mundus*, & *omne* quod in eo est; ipsi Abrahamo credenti & semini ejus fideli promis-

missum *Gen.* XVII. 7, 8. Deinde *Promisso* hæc dicitur pertinere *ad totum semen:* non *Benedicturum*, quod est *Messias*, cui Hæreditas gentium est promissa quidem, sed ex *merito obedientiæ* ejus, non ex *Fide justificante*, quæ in Christum non cadit: sed *Benedicendum* in Christo; *non solùm* quod est *ex Lege*, id est, *sub Legis Oeconomia* vixit, & unum populum Dei externum constituit cum multis hypocritis, qui *ex Lege* justitiam quærebant; *verùm etiam* quod est *ex fide Abrahami*, (tantùm scilicet & non simul ex carne ejus ortum, aut sub Lege olim constitutum) *qui est Pater omnium nostrûm*, uti diserte Paulus loquitur *v.* 16. Atqui hoc *semen* quod *ex fide Abrahami*, *patris omnium nostrûm*, sunt *credentes* ex *Gentibus*. Hi ergo cum statuantur *Hæredes* à Paulo, non possunt commodè *ab ipso* eodem halitu statui *Hæreditas*, atque per *Mundum*, cujus *Hæreditas* Abrahamo & *semini* ejus dicitur promissa, intelligi, nisi hæreditatem cum hæredibus confundere velimus. Qui ex mysticâ membrorum Ecclesiæ unione; juxta quam Fideles omnes sese mutuò spirituali modo possident, ad mutua charitatis officia devincti, & juxta quam proinde & *Hæredes* essent, & simul *Hæreditas*; facile hanc difficultatem expediri posse putat, is meo quidem judicio fallitur. Nam non solùm Paulinum hoc dictum, multis obscurius visum, multò intricatius adhuc redditur; verum à notione *Hæredis* sic manifestè discceditur. Hæres enim est qui possidet bona, non possidetur ab iis. Hæres utique & Hæreditas se mutuò non possident pari jure atque dominio, quod in hac solutione difficultatis istius tamen supponitur. Denique & hoc temerè adsumitur ut firmum & indubitatum, quod Apostolus *v.* 17. provocans ad illud *quod scriptum est*, *Patrem multarum gentium constitui te*, sic explicaverit vel indicaverit promissionem illam, qua Abrahamo *hæreditas Mundi* addicta fuisset; cum nihil certius sit quam quod sic probare voluerit proxime præcedens dictum suum *v.* 16. de *semine duplici*, & ex *Judæis*, & ex *Gentibus*, *Abraha-*

 ha-

hami, qui est Pater omnium nostrûm. Hoc probaturus enim immediate subjicit, *sicut scriptum est*, *Patrem multarum Gentium constitui te.*

XXXII. *Terræ* tandem *Possessio* promittitur Piis, maximè *post excisos* impios, quando *remanebunt* illi soli ejus Domini & Hæredes, juxta id quod sapientissimus Regum dicit in *Proverbiis*. Sed Christus Gentium hæreditatem Gubernat & tuetur medios inter hostes persequentes & impios, Gentiles primò, dein Pseudo Christianos.

XXXIII. Quapropter etiam Alii, animadvertentes heic promitti Hæreditatem Terræ *post* destructos Piorum Hostes, cogitant de REGNO SANCTORUM GLORIOSO in TERRIS, destructis destructoribus populi Dei, erigendo. Ita, post Alios Veteres & Recentiores, *Daniel Brenius*, in *Tractatu* de *Regno Ecclesiæ glorioso*, in *Terris erigendo*, *Cap.* III. *probatione* III. explicat loca nostra, *Psam.* XXV. 12, 13. XXXVII. 9, 10, 11, 22, 29, 34. *Jes.* LX. 21. *Matt.* v. 5. In quibus Prophetiam esse contendit de Tempore venturo; quo Impiis è terrâ sublatis, eversisque Imperiis Mundanis quæ Christanorum titulo sub Romana Monarchia sese venditant, Antichristi asseclis, verosque Christianos conscientiæ & religionis caussâ persequentibus; Justi ex gentibus, cum toto Israele converso, velut hæreditario jure possidebunt terram hostium suorum, tradita ipsis omni potestate, Imperio, Majestate, & amplitudine regnorum quæ sunt sub toto cœlo, juxta vaticinia Danielis, *Cap.* II. & VII. & alia Loca plurima, *Act.* III. 19, 20, 21. *Apoc.* XX. 1, — 11. &c; ita quidem, ut alia gentium Regna ad finem usque mundi fortè perstitura sint, sed simul ut Justi iis sint præficiendi, Patrum Curatorum & Tutorum loco eis futuri; idque cum magna pacis & externæ tranquillitatis abundantiâ, perpetuâ Christi defensione, eximia Dei & mysteriorum ejus cognitione, singulari credentium pietate & sanctimonia, per longum tempus, haud multò brevius millennio in Apocalypsi nominato, & deni-

nique cum mirabili longævitate ſanctorum in hoc Regno, juxta *Jeſ.* LXV. 20, 22. Ex noſtris vero idem tenet Cl. *Vitringa*, *Obſervat. Lib.* V. *Cap.* VI. Regnum illud pacis & quietis, & Sanctorum in hac Terra prædictum a Davide & Chriſto cenſens; in quo Terra hæc majorem partem à fæce malorum & impiorum hominum purgabitur; Regna & Reſpublicæ ſunt futuræ in poteſtate Rectorum & Judicum, pietatis ſanctimoniæ & manſuetudinis ſtudioſorum, pacis & veritatis amantium; Impii & publici Eccleſiæ & Sanctorum & Virtutis hoſtes exterminabuntur: & qui illius ingenii ſupererunt cogentur Chriſto & Eccleſiæ mentiri, & cum hypocriſi ſe illis ſubjicere; Pii ex adverſo vivent, in pace publica abſque perſecutionibus & bellis à Principibus malis excitatis, fruentes libertate conſcientiæ & Religionis, atque Dei Benedictione in ſpiritualibus & corporalibus ſingulari; idque per tempus longum, duraturum ad ſeculi finem, cujuſque initium erit in Converſione Judæorum ad Meſſiam, conjunctâ cum acceſſione Gentium: quem florentem Eccleſiæ ſtatum in Terrâ futurum prædictum quoque exiſtimat 1. *Cor.* VI. 2. *Dan.* VII. 27. *Act.* III. 19. *Apoc.* XI. 15. *&c.* Præierat quodam modo *Celeb. Coccejus* in Diſp. *Sel.* XXX. ad *Matth.* V. Ubi, non tantùm ſed etiam, promitti in noſtro dicto judicat, *deſtructionem omnis Regni adverſarii*, *ut Eccleſia ſedeat in arcibus Terræ*, *& omnes gentes & populi ei ſerviant*; *Apoc.* XI. 15. XV. 4. *Pſ.* LXXXVI. 9. *Dan.* VII. 27.

XXXIV. Fundamenta hujus ſententiæ præcipuè petuntur ex *Pſalmo trigeſimo ſeptimo.* Ubi *Poſſeſſio terræ* prædicitur *poſt* exciſos Impios Tyrannos & Perſecutores: conjuncta cum *univerſali pace v.* 11. duratura לעולם & לעד/ id eſt, ad ſeculi hujus finem *v.* 27, 28, 29. & cum *pleniſſimo jure*, juxta vim verbi ירש/ ſignificantis aliquid *inſtar mancipii* poſſidere, a *Grotio* obſervatam: & denique quæ ſecutura eſſet *Afflictionem* & *Oppreſſionem longi temporis*, per quod manſueti ſibi ab invidia cavere debebant, & ſe paſ-

cere fide, *v.* 1, 2, 3, 31, 32, 33. atque futura in *extremo tempore* Ecclesiæ, juxta illud quod legitur *v.* 37. *Extremum istius Viri*, id est, totius corporis mansuetorum, *Pax:* & tandem quæ *Mansuetis* addicitur, id est, subditis Christi sub Novo Testamento, qui hoc nomine insigniuntur à Prophetis, *Psalm.* XXII. 27. *Jes.* XI. 4. LXI. 1. quemadmodum quoque *Mansuetudo* est *Virtus* maximè *Euangelica*, quæ quidam locum habuit sub Lege, verùm in paucis, & minori gradu; sicùti etiam minus conveniens erat Oeconomiæ veteri, quæ *ejus exercitium restrinxit*, nec *vindictam omnem exclusit*, *nec severitatem*. Quæ cuncta conjuncta nos ad *extrema* sed *felicissima* Ecclesiæ, in Terra hac, cujus dominium sanctis dabitur, tempora ducere existimant.

XXXV. Spem horum feliciorum Ecclesiæ temporum neutiquam abjicio; neque de Re ipsa, nempe *Regno* hoc *Sanctorum* in *Terris* erigendo, nùnc disputabo: sed dicam tantùm, quod omnia illa ferè *Argumenta* nos potius ducant ad Tempora, ut ita dicam, æterna post Consummationem hujus seculi futura, quam ad illa quæ ante current adhuc. Tunc enim planè excidentur è terrâ hac omnes impii, in gehennam detrudendi, & nunquam inde reversuri, quod & *singuli* fidelium tunc *videbunt*; *juxta illud*, *cum excidentur Impii videbis v.* 34. sed in hoc seculo nunquam ad unum omnes excidentur penitus, ut locus eorum non inveniatur amplius, nec ipse Anti-Christus plane abolendus, nisi in *Adventu* Domini *Illustri* 2. *Thess.* II. 8 quando demum erit *finis* pugnæ, omnesque hostes suppositi pedibus Christi 1. *Cor.* XV. 24.—28. Tunc etiam *Pax* demum obtinebit *universalis* & *perfecta*, qualem in hoc seculo expectare nobis vix permittunt generaliora effata illa, *Joh.* XVI. 33. *Actor.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12. quæ nunquam planè in hoc mundo peccaminoso cessaturas esse afflictiones & persecutiones Ecclesiæ a malis inferendas satis clare & aperte docere videntur, ut frustra *Brenius* eorum sensum ad tempora

ra prima & media Christianismi restringere conatus fuerit, quando scripsit: *Non existimem vel unicum Sacræ Scripturæ locum afferri posse*, *in quo* aperte *dicatur*, *tristitiam afflictionesque sanctorum non nisi cum interitu cœli & terræ finem habituras*. Tunc denique vocabula לעד & לעולם in perfectissimo sensu implebuntur, quando piorum etiam in *hanc terram renovatam*, de quâ postea, *Dominium* erit *absolutè æternum* & interminabile.

XXXVI. Obstat porro huic Sententiæ, æque ac præcedenti, quòd promissum Fœderis Gratiæ generale in Vaticinium certi temporis commutet. Et mirari licet profectò, quod & *Mansuetorum* nomen in Caussæ hujus patrocinium vel subsidium trahatur, quasi illud *proprium* esset Fidelibus Novi Testamenti, & non commune cujuscunque temporis Piis, *coll. Num.* XII. 3. *Ps.* XXV. 9. una cum virtute Mansuetudinis ipsâ, *Prov.* III. 34. XVI. 19. *Amos* II. 7. vel etiam quasi *solum* adhiberetur in Psalmo, ubi *Hæredes Terræ* hujus non tantum *Mansueti*, sed & *Justi*, *Benedicti*, *Expectantes Dominum* vocantur, quæ utique nomina omnibus fidelibus cujuscunque temporis communia esse nemo, opinor, negabit. Certè omnibus & *singulis Mansuetis*, *Justis*, *Credentibus* absque discrimine temporis & gentis, promittitur Terræ Hæreditas in Psalmo, & in dicto Domini in Monte. Reliqua enim omnia Promissa in Concione illa montana facta sunt omnibus & singulis Pauperibus Spiritu, Lugentibus, Sitientibus & Esurientibus Justitiam, Misericordibus, Puris corde, Pacificis *&c.* ergo & *omnibus* & *singulis Mansuetis* promissa est Terræ Hæreditas. Facile quidem sed & frigidum simul est Effugium, quo vim argumenti hujus contra illam sententiam enervare conantur, quando dicunt, quod *Aliqui* Mansueti accipiunt, id *Omnes* accipiunt, quia omnes sunt Membra ejusdem Corporis Mystici, quorum si unum patiatur, omnia patiuntur, si unum glorificetur, omnia glorificantur. *Aliquid* Consolationis adferre potest, fateor,

teor, mysticæ illius unionis consideratio afflictis & oppressis, quod sciant, societatem suam totam & in omnibus ejus membris non ita semper esse vexandam atque opprimendam, quemadmodum illi nunc premuntur & tantùm non opprimuntur. Sed nemo diffitebitur, uti credo, longè majorem capi posse Consolationem ex Bono, quod *mihi*, non in aliis societatis membris, sed *mihi* in *individuo*, promittitur. Atqui scopus Davidis est in Psalmo, uti ex omni ejus Argumento apparet, *Consolari validè* afflictos & ab Impiis tantùm non oppressos Mansuetos. Cui itaque scopo magis satisfieri statuendum est, si Bonum universale ad omnes Mansuetos extensum promittatur, quam particulare & certi temporis.

XXXVII. Nec moramur multùm Exceptionem *Danielis Brenii*, quando statuit Promissionem in *Psalmo* fieri quidem Mansuetis tum viventibus, sed in *Posteris* eorum, in *Semine*, atque *Imitatoribus* eorum implendam, in extremo dierum victuris: quod ut magis probabile reddat, observat, quod in *Psalmo* xxv. 13. ubi primò hæc Promissio occurrit, *Seminis* piorum tunc viventium tantùm fiat mentio. Nam quemadmodum *Semen* Viri timentis Dominum eo in Loco non excluditur à *Bono*, in quo *Anima* ipsius *timentis viri* commoratura dicitur; ita etiam *Vir Timens* Dominum à *Terræ Hæreditate* non excluditur. Notum enim est, quod in Psalmis frequenter occurrant *Commata*, quæ duo membra complectuntur, in quibus duo Subjecta, duo itidem Prædicata, inveniuntur; sic ut utrumque Prædicatum ad' utrumque Subjectum ex æquo referri debeat. Cujus rei Exemplum apertum est in *Psalmo* xcvii. 11. *Lux sata est justo, & rectis corde lætitia.* Deinde in Concione Domini in monte *Mansueti* non magis pro illorum *Semine Spirituali* ponuntur, quam *Pauperes spiritu*, *Lugentes*, *Misericordes*, *Puri corde*, *Pacifici*, &c. qui omnes utique individualiter intelliguntur: ergò & *Mansueti*, eodem modo nominati, & *eodem sensu*, quo in *Psalmo*

Psalmo trigesimo septimo, uti ipsemet contendit *Brenius* in dicto *Tractatu*, *Cap.* III. *Probat.* III. ubi dicit, *proprium sensum horum verborum*, scilicet apud Matthæum, *eundem esse nempe qui Ps.* 37. *expressus quinquies ibidem disertis verbis repetitur;* sic *Socinum* aliosque ejus Asseclas hac in parte deserens, qui volunt in Psalmo *terrenum*, sed in Euangelio *cœleste* esse hoc Promissum.

XXXVIII. Ut tandem post hæc omnia, dicam sententiam meam; sic existimo; ALIQUID Boni heic promissi dari quoque Mansuetis, in *hac Terra* viventibus, & in hoc seculo; UNIVERSALE verò & perfectissimum IMPLEMENTUM ejus fore in *Terra renovandâ* post consummationem seculi hujus. Antequam autem illud ALIQUID quod in hac Vitâ etiam conceditur Piis commemorem, haud inutile duxi in memoriam iterum revocare quædam eorum, quæ supra, §. III. tanquam Characteres veri sensus hujus Promissi, posita sunt. Scilicet, quòd *Terra* heic latè & *propriè* sumatur: quòd *omnibus* & *singulis* Justis ac *Rectis* illa promittatur: & quòd Promissio hæc sæpius *repetatur*, ut significetur agi de *Bono*, non qualicunque, sed *Beatitudinis* summæ haud *exiguam partem* constituente; & præterea de *Bono*, quod *intus magis sentitur à Justis*, *quam extus ab aliis conspicitur*, atque cujus Caussa ad forum Divinum magis quam humanum pertinet; & denique de *Bono*, quod ex Mansuetudinis Justitiæ atque Pietatis virtute profluit, non *naturali* consequentiâ, nisi aliquatenus, & quoad exiguam ejus partem, & rarius, verùm ex *Testamento* Dei, est enim *Hæreditas*, atque ex Divinâ gratia liberrimâ, intercedente Sponsoris Novi Fœderis merito, atque supra naturali Spiritus Sancti virtute. Prophetæ enim & Christus, Angelus Fœderis, Fœderis Gratiæ Officia & Beneficia exponunt, quando Hæc promissa toties & tam diligenter inculcant, non Ethicam aliquam naturalem docent, qualis in scholis gentilium quoque addisci posset, nempe quod mansuetudinis comes sit longævitas, & pacata vita,

atque aliorum benevolentia & amicitia. Quod tamen communiter verum haud esse quoque, comprobat dictum illud vulgare, quod Calvinus meritò, si ut regula morum proponatur, Diabolicum pronunciavit, nempe, *qui se facit ovem, devoratur à lupis.* Quibus nunc addo, quod in *Psalmo* XXXVII. etiam promittatur *inhabitatio Terræ*, quæ conjuncta foret cum exercitio *fidei* & *spei*, absque animi commotione per *invidiam*, ex præsenti impiorum felicitate ortam, quorsum spectant verba quæ leguntur *v.* 3. 5. 7. *Confide Domino*, & *fac bonum:* Inhabita terram, ורעה אמונה / & pasce fidem. *Volve super Dominum viam tuam*, *&* spera *in eo*, *& ipse faciet. Tace Domino*, & *spera in eo: ne commoveare propter eum qui prosperatur in via suâ &c.* Qualis utique Inhabitatio Terræ ad hanc vitam pertinet. Quemadmodum quoque omnia promissa Euangelica in Concione montana a Domino prolata, partim ad hanc, partim & magis ad alteram, vitam spectant.

XXXIX. Ex hisce præmissis nunc facilius intelligetur illud ALIQUID Boni, quod in hac vita etiam conceditur Mansuetis, atque in hoc Promisso de *Terræ Hæreditate* etiam includitur. Quod est; *Primo:* Terræ hujus POSSESSIO LEGITIMA. Hæres, vel ex Testamento, vel ab Intestato, est legitimus Possessor, & justo titulo Dominus. *Cum jus rerum præcipuum*, inquit *Mantuanus* in *Ps.* XXV: 13, *in hæreditariis bonis consistat*, *idcirco Scriptura ejusmodi nomen pro plenissimo Dominio præcipuoque utendi jure ponere consuevit*, *& est sensus* . . . . . Terræ Domini *erunt*.. Fideles ob spirituale per fidem connubium cum Christo, *Hærede omnium Heb.* I: 2, ejus *Cohæredes*, & *Hæredes Dei Rom.* VIII: 17. sunt *omnium Domini*, *Psalm.* VIII: 7, 8, 9. 1. *Cor.* III: 21, 22. In Christo est Jehova ipse *Deus ipsorum* singularissimo & beatissimo modo, adeoque cum omnibus Bonis suis. At *Jehovæ* est *Terra* etiam, *Ps.* XXIV: 1, 2, ergo & ipsorum. Quare etiam Paulus videtur inprimis respexisse ad Verba illa *Gen.* XVII: 7. *ut sim tibi in Deum*, *& semi-*

femini tuo post te, quando dixit, *Hæreditatem Mundi* ex fide justificante promissam esse Abrahamo, & semini ejus, *Rom.* IV: 13. Imago Dei ad quam Dominium in omnia pertinuit quoque fidelibus in Christo restituitur in secundo Adamo. Terra hæc datur ut plurimum in manus impiorum, bonorumque terrenorum usus conceditur illis vulgò magis quam piis, sed non ut *Dominis*, ex Jure Divino talibus, verùm veluti mancipiis, & tanquam ultima mensa, quæ apponitur sceleratis supplicio afficiendis. Habitant in hac terra, sed non ut *suâ*, verum alienâ potius. Dum moriuntur, & in infernum detruduntur, dicuntur descendere & abire in *Locum suum Act.* 1: 25. Gaudent quidem fortunæ bonis Improbi, sed non ex jure possident, unde & nunquam ea *hæreditare* dicuntur in Sacris, uti observavit *Salazar* ad *Prov.* 11. Justi quidem *Peregrinari* in hac terra dicuntur, quemadmodum supra § IV. notavimus. Sed *Peregrinum* esse in terrâ & simul ejus *Dominum*, minimè pugnant in hoc negotio. Terra enim est quidem *ditionis* piorum *pars* quoque, sed *vilior* & *longe dissita* a sede Regiâ & cælesti civitate, ex qua originem ducunt, quatenus sunt Filii Dei, & cohæredes Christi. Ibi quoque Locus est *quietis* gloriosissimæ ab omni opere & onere pecati ac miseriæ, quæ in hac terra, quamdiu erit lacrymarum vallis, non datur. Quamobrem etiam *nunc* per *breve tempus* in eâ commorantur, peregrinantium instar, expectantes æterna Tabernacula in Cœlis, & liberationem hujus creaturæ a servitute corruptionis; & sic *animo affixi* sunt cælesti & meliori Patriæ, in quâ Hæreditatis pars continetur longè præstantissima. Neque dicendum est, quòd hæc sit merè *imaginaria* possessio. Nam revera *Jus* habent ad omnia. Hoc quotidie in Tabulis Testamenti Divini, seu Libro Scripturæ, legere possunt: & proinde certi esse; quòd terræ hujus bonis, etsi non magnâ copia concessis, in Dei favore fruantur, ut patrimonio & hæreditate pa-

ternâ, ampliandâ quoad usum, ubi Cælesti Patri placuerit, & salutis æternæ eorum ratio id exegerit vel permiserit. Atque adeo hoc quoque sensu cum Paulo dicere queunt, ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες, *quasi nihil habentes, omnia tamen obtinentes*, vel *possidentes*, 2. *Cor.* VI: 20.

XL. *Secundò*: Terræ hujus POSSESSIO DOMINICA, ut ita dicam: *Hæres* enim est *Dominus Gal.* IV: 1., regit Bona sua non regitur ab iis: Unde quoque Liberi dicuntur parentum *Hæreditas Ps.* CXXVII: 3, quia hi imperium exercent in illos; omnesque homines *hæreditate possidere* dicitur Deus *Ps.* LXXXII: 8., quia gubernat eos, ipsique volentes nolentes servire coguntur. Sic Pii sunt *Hæredes* Terræ quia ejus *Domini* sunt, non *servi*, neque illi serviliter addicti. Terra ex adverso illis servire cogitur cum omnibus creaturis suis, & reverà servit illis ex summi Rectoris jussu, eorumque salutem promovet modis occultis, saltem nunquam illis nocere potest. Quo sensu *cum lapidibus agri fœdus* habere, *& bestiæ agri pacatæ ipsis* dicuntur, *Job.* V: 23. ut *habitare in deserto securè, & dormire in silvis* queant, *Ezech.* XXXIV: 25. *Hos.* II: 17.—21, atque *omnia* ipsis *cooperari in bonum* Paulus affirmat *Rom.* VIII: 28. Impii è contrario quorum *Deus est venter Phil.* III: 19, plus quam servili animo terrenis addicti, veriùs possidentur ab iis, & corrumpuntur, atque ad Divina & Spiritualia ac cælestia longe stupidiores redduntur, quàm erant quando primùm ad eorum usum admittebantur. Atque hoc modo etiam verum est, quod David dicit *Ps.* XXXVII: 16. *Melius est modicum justi*, vel *justo*, *quam divitiæ impiorum multæ*.

XLI. *Tertiò*: Terræ hujus POSSESSIO JUCUNDA. Talis enim est *Hæreditas Patrum*, quæ cum jucunditate possideri, & à quâ animus noster difficulter avelli solet: Ut etiam hujus suavitatis respectu dicere potuerit Nabothus Achabo; *Absit mihi a Jehova, ut cedam hæreditatem majorum*

jorum meorum tibi, 1. *Reg.* XXI: 3. Hoc modo Terra est Hæreditas piorum, ob vitam nempe *jucundam*, quam transigunt in eâ. Animum habent quietum, tranquillum, atque contentum vel minima portione terrena, quia ipse Deus, Dominus cæli & terræ, est portio eorum in Christo, cum quo ipsis reconciliato pacem habent, & sub cujus tutelâ securi, & in cujus communione læti, etiam in mediis afflictionibus, vivunt *Ps.* IV: 8, 9. *Hab.* III: 17, 18. *Rom.* V: 1; 2. Hic animus securus & contentus, ajens cum Jacobo, *satis est mihi*, *Gen.* XXXIII: 9, verè jucundam vitam adfert, superatque omnes divitias, & nos verè *Reges* efficit spirituales, atque *centum vitis præcellit*, uti *Calvinus* meritò dixit ad *Ps.* XXXVII: v. 29., & alibi, in *hoc bono occulto* & *interno fideles sentire quid sit possidere terram*, quod *carnis stupor* non *capit*. Certè hoc Bonum ut hæreditatem terræ ex parte constituens celebrat David, *Ps.* XXV: 13. *Anima ejus in* BONO *pernoctabit*, & *semen ejus hæreditabit terram*; & *Ps.* XXXVII: 11. *Et mansueti hæreditabunt terram*, & *delectabuntur super* MULTITUDINE PACIS. Pacem externam, sincerosque Amicos, qui nobis in secundis ornamento, in adversis subsidio sunt, in utraque autem fortuna voluptatem pariunt, habere, ad *jucunditatem* vitæ in hac terra etiam aliquid conferre haud nego. Mansuetos quoque præ aliis nonnunquam (non semper, nec communitur) hac felicitate frui, verum est; quamque ideo â *jucundâ* hac Terræ Possessione heic promissâ, non excludo, sed potius ei includo cum *Lyrano* & *Francisco Luca Brugensi*. Quorum *Ille* ad *Ps.* XXXVII: 11., & *delectabuntur in multitudine pacis*, scilicet *supernæ*, inquit, *quæ est perfecta pax*, & *frequenter etiam in multitudine pacis temporalis*, *quia mansueti non movent rixas & brigas*, *propter quas debeant ab aliis inquietari: Hic* verò ad *Matth.* V: 5. *Et quamquam id potissimum de orbe terræ futuro*, *ita ut ut diximus*, *intelligi debeat*, *fit tamen ferè in hoc mundo*, *ut quietius nemo*, *nemo minori cum*

ab hominibus mota difficultate, suis utatur, quam mitis animus, rixæ contentionisque osor: quem dum fortè contingit contra fas suis exui, plus impetrat ab ultrò largientibus mansueta tolerantia, quam ab invitis extorqueat immitis violentia. Hoc tamen ægrè fero, quod nonnulli Interpretes in solâ hac Pace externa, atque Amicitiis humanis, & Benevolentiâ Superiorum, omne illud Mansuetorum Bonum collocent, sub nomine *Hæreditatis Terræ* promissum. Quæ sanè frigida Interpretatio Illustrissima hæc Fœderis gratiæ Promissa commutat in monita merè moralia, qualia in Gentilium scholis æque audiri possent ac in Schola Christi. Quibus frigidis hac in parte Interpretibus adnumerandus est *Grotius*, qui ad *Matth.* v: 5. per Terræ Hæreditatem *firmas* intelligit *atque constantes amicitias, quæ in terris longe optima est possessio*, quasque *sibi comparare facillimè solent qui miti placidoque sunt animo: quamquam & ad alias*, inquit, *res minores tuendas multum valet hæc virtus:* Ut & *Hammondus*; qui per *Mansuetos* intelligit obsequiosos modò subditos, a bono Principe, si valeat, defendendos, ut tutò & tranquillè in terra hac vivant; Hic tamen, sed veluti in transitu, *Terræ Viventium* quoque meminit: & denique *Clericus*, quando in *Quæst. Hieronym.* XIV., disputans de sensu Promissi nostri apud *Matthæum* contra *Hieronymum*, (qui, uti supra dictum est, *Terram Viventium* nempe Cœlum, intelligendam contendit, quia hæc terra *non* est *mansuetorum*, sed *virorum fortium & violentorum, qui sunt ad bella promtissimi*) hoc ad ejus ratiocinia reposuit. *Hæc ad rem nihil faciunt, & præterea sæpe contigit mites ac pacis amantes possidere ea, quibus excidunt homines violenti; quod in Judæa factum est, post captam Jerosolimam, bellaque Judæorum metropoleos exscidium consequuta; nam Christiani & Judæi, qui Romanis paruerant, tranquillè in Judæâ vixerunt, unde perduelles Judæi ejecti fuerunt. Quò respicere potuit Christus.* Impii verò, quamvis centies terræ sint Domini, jure humano

vel

vel injuriâ, omnia possidendo nihil possident, quia animum inquietum, vel in minimo fortunæ vulnere dolentem, imo insanientem, neque unquam verè contentum habent, juxta experientiam atque Scripturam sacram, ubi ita vivis coloribus depinguntur, *Job.* XV: 20, 21, 22, 24. *Jes.* LVII: 20, 21.

XLII. *Quartò:* Terræ hujus POSSESSIO DIUTURNA & STABILIS. Hæreditates Patrum non facilè ceduntur aliis, uti supra visum est ex Exemplo Nabothi. Olim in Republica Judæorum alienari haud debebant à tribu ac familia, *Num.* XXXVI: 7, 8, 9. Quorsum respicitur *Ps.* XCIV: 14. *Quia non derelinquet Dominus Populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet.* Sic Pii hæreditant Terram hanc, quando pacatam non modò & tranquillam, sed & *longam* in eâ vitam ducunt, quæ *utraque* piis promissa est *Exod.* XX: 12. *Ps.* XXXIV: 13, 14, 15. 1 Tim. IV: 8. &c. & in Locis nostris etiam omnibus justis promittitur, sed non solùm, uti videtur sensisse Præstantissimus *Gomarus.* Hæc autem *Longæ* vitæ terrenæ promissio, quia minoris est Boni, & consequenter naturâ sua conditionalis, in cunctis fidelibus non impletur; sive quia occulto suo judicio Deus in piis quoque filiis peccata Patrum Visitare constituit; sive quia communibus seculi mali vitiis inquinati, corporalibus malis unà cum reliquis sæpe abripiuntur; sive quod Deus dilectos suos ante diem mali, regioni, in qua pii degunt, imminentis, transferat ad beatas cæli sedes, ne mala illa videant ac sentiant; sive denique in pœnam Urbis & Regionis impiæ, quæ se indignam fecit, ut fulcris illis terræ diutius fruatur. Impletur tamen in Aliquibus justis, dum in Aliis hujus vitæ peccaminosæ semper, & calamitosæ frequenter, levior jactura meliori abundè compensatur. Cujus rei exemplum in ipso Davide, ejusque semine, oppositè ad Saulem, ejusque posteritatem citò excisam, datum fuisse observant nonnulli, atque ad illud Davidem speciatim respe-

xisse volunt *Ps.* XXXVII: 15, 28, 35, 36, 37. Sed *gladius eorum ingredietur cor eorum, & arcus eorum confringentur. Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet sanctos suos, in seculum custodientur: semen autem impiorum succidetur. Vidi impium fortem, & virescentem, instar arboris indigenæ viridis. Et transivit, & ecce non fuit, & quæsivi eum, & non est inventus. Observa integrum, & aspice rectum, quia finis istius viri pax.* Imò quadantenus in Omnibus sanctis & semper impletur hæc promissio, quia qui *benè* & sanctè vivunt, etiamsi breviorem aliis in hac terra vitam agant, *diu* vivere in sacris perhibentur Literis; Nam *Puer*, probus scilicet, *centum annos natus morietur; peccator autem, natus*, verè scilicet, *centum annos, maledictus erit*, *Jes.* LXV: 20. Plus enim veræ vitæ Pius Juvenis in viginti, quam Impius in centum annorum spatio, possidet: quod tamen homines merè carnales difficulter percipient.

XLIII. Hoc est illud ALIQUID, quod Mansuetis quà *Terræ Hæredibus*, in hac vitâ quoque conceditur; quodque cum spirituale magis quam terrenum sit haud inconvenienter in medio Promissorum Spiritualium à Domino in Sermone montano positum est. Ut adeo Argumentum illud pro *Cælo* per *Terram* intelligendo, quod §. V. à nobis est propositum, & petitum à *nullo terreno*, sed omnibus spiritualibus & cœlestibus Promissis in sermone illo occurrentibus; nihil faciat ad destruendam hanc nostram explicationem: quemadmodum & infeliciter ex *Spiritualibus reliquis* promissis concluditur, hoc unicum nullo modo *terrenum* esse posse. In Oratione Dominica medium fere locum inter petitiones spirituales occupat una corporalis & terrena. Et beatitudo nostra, quamvis in cœlo perficiatur, hac tamen in Terra inchoatur; sicuti & posthac Terra ad ejus consummationem suo modo concurret. Merces, *in Cælo* potissimum locum habitura, omnem in *Terra* non excludit, vel ante-

antecedentem, vel conjunctam *coll. Gen.* xv: 1. *Marc.* x: 29, 30.

XLIV. Universale tamen & Perfectissimum Implementum habebit hæc *Promissio* post consummationem hujus seculi, in Terra Nova seu *Renovata* futura. Hoc enim docet possessionis Terræ *Æternitas*, haud una voce & plus semel, in *Psalmo* deprædicata, procul dubio in omni significationis suæ amplitudine sumenda: quæque idcirco brevem quidem patitur interruptionem, nullam autem finem nullumque terminum admittit. Antithesis quoque Impiorum *omnium excidendorum* ex Terra hac, in *perpetuum*, ita ut *Locus* eorum non inveniatur amplius, nullumque eorum vestigium appareat, indicat satis promitti *Piis solis* Possessionem Terræ legitimam, veram, jucundam, non usque ad mortem modò, sed & *post eam*, & Resuscitationem ex eâ, in perpetuum, & interminabilem. Et hoc eò magis liquet, quia in *Proverbiis* disertè dicitur, quod Recti sint *Remansuri* in Terra, post impios ex eâ excisos. Observant Alii, quod hæreditaria possessio includat *successionem* in Locum alterius; quemadmodum supra §. III. vidimus *Clar. Coccejum* hoc notantem, etiam ex propria significatione verbi ירש. Quod si applicare velimus huic negotio nostro, dicendum puto, quod Piis promittatur *Successio* in possessione Terræ, quæ sit; non in Locum Testatoris defuncti, quod ab hac caussa ubi Jehova ipse Testator est, est longe alienum; sed in Locum mancipiorum, quibus Cœlestis Dominus legavit usum fructum hujus terræ ad tempus, sed qui in die Judicii ex morte resuscitati, expellentur ex Terra, & in Infernum detrudentur, ut Terra cedat solis Liberis Cœlestis Patris, in æternum ejus Hæredibus futuris.

XLV. Cæterum Visibilem Mundum hunc non fore annihilandum in Consummatione seculorum, sed immutandum & renovandum per παλιγγενεσίαν, nunc non probamus,

bamus, sed supponimus. Cœlum non modò Novum, sed & Terram Novam cum Petro, *juxta Promissum Dei*, expectamus 2 *Pet.* III: 13. Pertinet *Terra* quoque ad *omnem Creaturam*, visibilem nempe, quæ *liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum* Dei *Rom.* VIII: 21., ut hic solis inserviat. Quare *Clar. Maresio* subscribere nequeo, scribenti in *Syst. Theol. loc.* XIV. §. LXIII. *Tamen arbitramur hanc renovationem maximè spectaturam ætherea corpora .... Mundi interea elementari sive terreno, in stagnum ignis & sulphuris, instar Sodomæ & Gomorræ, ad dæmonum & impiorum habitationem & pœnam transmutato.* Status & qualitas Renovatæ Terræ curiosè nimis à nobis inquiri vel determinari non debent, nec possunt, quia silet Scriptura. Certum est interim hujus *Renovatæ* Terræ quoque Fideles posthac fore *Hæredes*, *Possessores*, ac *Dominos*. Hoc à fide Reformatorum non abludit. *Dathenus* ad *Ps.* XXXVII: 3. *Gy sult dat aertrijk besitten hier naer, En gebruycken met vreugden vry van pijnen.* Theologi Heidelbergenses in Cathechesi, *Quæst.* XXXII. dicunt, fideles *postea æternum cum Christo regnum* in omnes Creaturas *obtenturos.* Quorsum à multis nostrorum etiam refertur illud καὶ βασιλεύσομεν ἐπὶ τῆς γῆς *Apoc.* V: 10. Consentiunt Veteres. Auctor Operis Imperfecti in *Matth.* V: 5. Terram illam futuram renovatam censens esse dictam *Terram Viventium*, id est, reviviscentium & immortalium, ita porro scripsit. *Terra autem hæc, sicut quidam dicunt, quamdiu est in hoc statu, terra est mortuorum, quia vanitati subjecta est; cum autem liberata fuerit de corruptionis servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, terra fit vivorum, ut immortales hæreditent immortalitatem.* Rectè *Barradius id Euang. Lib.* VII. *Cap.* 11. *Arbitrantur homines terram a Viris bellatoribus, iracundis, potentibus, nullamque injuriam ferentibus, possideri. At ii à terræ possessione tandem excludentur: mites verò post resurrectionem toti orbi terra-*

terrarum dominabuntur, cum Cœlum novum erit, & terra nova.

XLVI. *Possidebunt* itaque Terram renovatam olim Pii: sed an *corpore* etiam possidebunt eam? Possidere enim dicimur prædia, in quibus nec semper nec frequenter corpore præsentes sumus. Psaltes dicit וישכנו לעד עליה & HABITABUNT *in æternum super eam.* Figmentum de Beato millennio à Sanctis post Conflagrationem Mundi, ante Judicium universale, in Terra nova, (post Judicium, in liquidum æthera dissolvendâ, vel in stellam fixam convertenda,) transigendo, linquimus *Burneto.* Scimus ex Scripturis *Cœlum* fore sedem Regni Triumphantis cum Christo ordinariam ac perpetuam. Discimus tamen simul ex iisdem Sacris Voluminibus Beatos cœlites illos quoque in Terra *nova habitaturos.* Hæc minimè pugnant. *Ibi* (in Cœlo) inquit Clar. *Heideggerus*, *Loco* XXVIII. de *Glorificat.* §. CII. *cum Christo capite plene uniti plene regnabunt. Habitabunt nihilominus in Terra, quia in capite suo Christo terram scabellum pedum suorum habebunt, & creaturis omnibus dominabuntur. Nam & in Regno habitare Rex dicitur, qui in Regia sua considens, à Regni partibus reliquis corpore suo divulsus, easdem voluntate & imperio suo regit & moderatur.* Addit: *Neque etiam præsentis sæculi est dijudicare, an non pii quoque terras & habitatas olim sedes sint revisuri, novamque rerum faciem admiraturi sint. Cognoscemus id tum, cum & ipsi cogniti erimus.* Laudanda hæc est Modestia. Nihil absurdi tamen in eo erit, nihilque summæ beatitati illorum, vel renovationis terræ fini ac scopo adversum. Absque ullâ beatitatis imminutione Eliam olim descendisse de Cœlo, & Angelos quotidie mitti in Terram hanc maledictioni obnoxiam, novimus. Verbum *inhabitandi* activum pro *potestate* & *facultate* agendi vel inhabitandi, forté sumitur: quemadmodum verba Activa sæpe adhibentur, juxta *Glassii* Observationem in *Grammat. Sac. Lib.* III.

Tract. III. *Cap.* v. Ut sensus sit, Mansueti post hac soli habebunt potestatem commorandi toties in Terra renovata, quoties placuerit ipsis. Quod dicere forte voluit *Pomeranus* in *Ps.* XXVII. *Quia & non solum Cœlum sed & terra* nostra *est in æternum . . . & vivemus post resurrectionem* ubique, & ubique *fruemur gloria vultus Dei. Novos enim Cœlos & terram novam videbimus.* Hoc Regiæ illorum potestati & gloriæ congruum erit: Regum enim est Palatia, si placuerit, ad breve tempus relinquere, Terrasque longinquas, imperio eorum subjectas, perlustrare. Sic & Beati, *Jehovam in pulchritudine* videbunt continuè in Palatio Cœlesti, sed & quando libuerit ipsis, *Terram hanc longinquissimam*, ad exercitium Admirationis suæ, & Celebrationis Dei, *Videre* poterunt.

XLVII. Ad summam itaque *Beatitudinem* perficiendam hæc *Hæreditas Terræ* promissa omnino facit: ut meritò Dominus *Beatos* pronunciaverit *Mansuetos*, *quia* hæreditabunt Terram. Sic simul ostendens nexum inter *Mansuetudinem* & hanc *Beatitudinem*. Qui nexus; non est *Legalis*, ex mansuetudinis opere fluens; neque *Naturalis*, ex *Mansuetudinis* cujuscunque virtute procedens; sed oritur ex *Connexione Officiorum* & Beneficiorum Fœderis gratiæ in Sermone illo commemoratorum. Etenim promittitur hoc Bonum Hæreditatis Terræ *Mansuetis* illis, qui tales sunt supranaturali Virtute Spiritus, & qui simul per eandem Spiritus gratiam sunt vere Pauperes Spiritu, Lugentes, Esurientes & Sitientes Justitiam, Misericordes, Puri corde, & Pacifici. Interim fieri potuit, ut David & Dominus, in hoc *Bono Mansuetis* addicendo, respexerint, in phrasi, ad nexum illum naturalem quodammodo, qui est inter Mansuetudinem naturalem etiam & vitam longævam ac tranquillam; vel etiam ad *Mansuetos*, in deserto, introductos in Terram promissionis, uti voluit cum aliis Bullingerus. Finio Verbis Petri, *Cap.* III: 11.-13. *Epist. Poster. Quum igitur hæc*

omnia

omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in Sanctis conversationibus & pietatis officiis? Expectantes & properantes ad adventum diei Dei, in quo cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent. SED COELOS NOVOS AC TERRAM NOVAM SECUNDUM PROMISSUM EJUS EXPECTAMUS, IN QUIBUS JUSTITIA INHABITAT.

DISSERTATIO DECIMA QUINTA

DE

ANTIQUITATE ET ORIGINE BAPTISMI PROSELYTORUM APUD JUDÆOS.

Præcipuè ad LOCUM 1 *CORINTH.* X. 1, 2.

I.



Nter solennes Ritus quibus ab ævo recepti sunt Advenæ ex gentilismo in Ecclesiam Populumque Judaicum, fuisse quoque BAPTISMUM, Judæorum fert Traditio. Hunc extollunt *Talmudistæ*, *Jurisque Judaici* celebriores *Interpretes*, inprimis *Maimonides*, ut Ritum, *perpetuò*, ante & post Templi Excidium, *universaliter*, in maribus fœminis ac infantibus, imo & *necessariò*, adhibitum. Loca & dicta illorum videri possunt apud *Seldenum* de *Synedriis Lib.* 1. *cap.* 3. de *Jure Nat. & Gent. Lib.* II. *cap.* 2: 3, 4. de *Success. ad Leges Ebræorum*, *Cap.* XXVI. *Buxtorfium in Lexico Chaldaico*, *p.* 407. *Ligtfotum* in *Horis Hebraicis* ad *Matth.* III. 6. *Jacobum Altingium* in *Dissertatione* de *Proselytis*. *Melchiorem Leideckerum* de *Rep. Hebr. Lib.* VI. *cap.* VI. Tritum illud est Talmudicorum axioma, quod *Coccejus* in *Addendis* ad *Maccoth*, ex *Avoda zara*, *Seldenus* & *Altingius* ex *Jevamoth* laudarunt, לעולם אין גר עד שימול ויטבול *In æternum non est proselytus donec circumcidatur & Baptizetur.* Vel uti *Altingius* transtulit; *Perpetua lege obtinet ut proselytus nemo sit, donec Circumcisus & Baptizatus fuerit.* Ad-

Additur, *quod si non sit Baptizatus*, (nempe etsi circumcisus fuerit a suis gentilibus) נכרי הוא *alienigena est*, uti est apud *Altingium*, גוי הוא *gentilis est*, uti est apud *Coccejum* & *Seldenum*. Ante Templi Excidium nullum ex gentilibus marem absque מילה טבילה וקרבן *Circumcisione Baptismo* & *Oblatione*, nullamque fœminam absque *Baptismo* & *Oblatione*, post verò Templi destructionem, nullum marem aut masculum absque *Circumcisione* & *Baptismo*, nullamque fœminam absque *Baptismo*, receptos esse asserunt.

II Quantum ad hodiernum hujus Baptismi Judaici usum attinet, fassus est *Drusius*, *Lib.* II. de *Sectis*, se nescire an hodie adhibeatur. Cujus etiam dicti *Drusii Buxtorffius* in Lexico Talmudico absque ulla animadversione addita mentionem fecit. *Grotius* apud *Cloppenburgium* in *Exercit: Theol. Loc.* XIII. *Disp.* IV. §. IX. dicit, quod in *hunc usque diem mos ille apud Judæos maneat*. Similiter scripsit ad *Matth.* III 6. *Sed & nunc qui ex gentibus circumcisis, ut Ismaëlitis, Persis, Turcis ad Judaismum veniunt ab ipsis Baptizantur*. Res certa est ex iis quæ de Judæis in Hollandia & Germania Proselytos recipientibus ex *Wagenseilio* protulit Doct. *Zeltnerus* in Differt. de *Initiis Baptismi Initiationis*, anno hujus seculi undecimo edita: ne dicam de Exemplo Seculi XIV. quod Eruditissimus D. *Hazæus* in *Biblioth. Bremensi Class.* IV. *Fasc.* VI. *Differt.* III. §. 31. in *Notis*, ex *Libro Sententiarum Inquisitionis Tolosanæ*, *quem Limborchius suæ Inquisitionis historiæ annexum edidit*, adduxit.

III. Neque dubitandum est valde hac de re, si consideremus quod *Talmudici* & *Maimonides* ex mente Veterum de *Ritu* hoc, ut *perpetuo* & *necessario*, inculcarunt, atque probare conati sunt ex analogia introitus totius Israëlitici populi in Fœdus Abrahamicum & Mosaicum. Ita *Maimonides* apud *Seldenum* de *Synedriis*, *Lib.* I. *cap.* 3. *Triplici ritu intrarunt in fœdus Israëlitæ;* Circumcisione, Baptismo & Oblatione. *Circumcisionis usus erat in Ægypto*, *juxta quod dici-*

dicitur, (*Exod.* XII. 48.) *nemo incircumcisus de eo comedet. Circumcidit eos omnes Moses Magister noster. Nam neglexerant universi* aut *prætermiserant fœdus Circumcisionis in Ægypto, excepta tribu Levi. Ideoque dicitur de iis* (Deut. XXXIII. 6.) *& observabant fœdus tuum.* Baptismus *autem erat in deserto ante legis dationem, de quo* seu *de cujus origine dicitur* (Exod. XIX. 10.) Sanctificabis *eos hodie & cras &* Lavent *Vestimenta sua.* Oblatio *autem* seu *Sacrificium huc ex illo* (*Exod.* XXIV. 5.) *spectat, & misit* (Moses) *juvenes de filiis Israël qui* obtulerunt holocausta. *Pro universo scilicet Israëlitarum cœtu republica* seu *Ecclesia, offerebant illa. Atque simili modo* per omnia postmodum secula, *quoties gentilis* seu *Ethnicus voluerit intrare in fœdus illud recipi atque sub alis Majestatis divinæ colligi jugumque legis in se suscipere*, necesse *fuit ut ei* Circumcisio & Baptismus *adhiberetur* præter sparsionem sacrificii. *Et si fœmina fuerit*, Baptismus & Sacrificium. *Nam & dicitur* (*Num.* XV. 15.) ut vobis sic & proselyto. Quod est juxta *Maimonidem;* quemadmodum vos intravistis in fœdus *Circumcisione & Baptismo & sparsione Sacrificii, Sic quoque Proselytus per* omnia *secula circumcisione & Baptismo & sparsione Sacrificii* in fœdus intrare debet. Similiter ad confirmandam magis hanc suam sententiam enarrant *Usum* Baptismi in multis proselytis tempore Davidis & Salomonis receptis. *Maimonides* apud *Ligtfotum* in *Horis Hebr.* ad *Matth.* III. 6. *Non receperunt Synhedria Proselytos in diebus Davidis ac Salomonis; Non Davidis, ne ex formidine regni Israëlitici ad Proselytismum se reciperent; Non Salomonis, ne ob gloriam regni. Et tamen plurimi Proselyti facti sunt in diebus Davidis & Solomonis coram viris privatis, & solicitum de hac re fuit Synhedrium magnum. Non enim eos ex Ecclesia repellere voluerunt, eo quod erant* Baptizati. &c.

IV. Judaicam hanc Traditionem de *Antiquitate* Baptismi Proselytorum adoptarunt Eruditiores quidam maxime ex Protestantibus Viri, qui superiori seculo & paulò ante ejus ini-

Digitized by Google

initium floruerunt. Ita tamen ut alii Baptismi hujus initia retulerint ad ipsa Reipublicæ Hebræorum incunabula; alii verò ante Christi & Johannis tempora obtinuisse inter Judæos concesserint modò. *Ante suum tempus paucissimos scriptorum animadvertisse Baptismi usum* apud *Hebræos* in *faciendis Proselytis*, fassus est *Seldenus* in *Libro de Successionibus ad Leges Hebræorum*, *cap.* XXVI. edito ab ipso anno 1636. Ante Seldenum *Hugo Broughtonus* in *commentario* in *Danielem*, p. 46. ex Maimonide affirmavit, *Baptismum celebratum* fuisse *Judæis inde à temporibus Davidis & Salomonis*, *ex collectione ad Legem* (*Exod.* XIX.) *non aperto mandato.* Broughtonum laudavit *Grotius*, eumque secutus de totâ hac caussâ prolixè magis disseruit. In *Epistola* 329. ad *Cordesium* 15. *Octob.* 1633. data, brevius dicit, *Baptismum* quendam Johannis illo *vetustiorem* fuisse, *quem Judæi adhibuerunt*, *cum idololatræ aut ad Judaismum transirent*, *aut jus hospitii apud ipsos sub lege vivendi secundum præcepta Adamo & Noæ data*, *impetrarent.* (*Maimonides* verò in *Issure biah cap.* 14. dicit, quod גר תושב *Proselytus domicilii*, sit gentilis, qui in se recipit se non culturum idola, seque observaturum reliqua Noachi posteris præcepta, sed qui *nec circumciditur*, *nec Baptizatur:* vide *Alting.* de proselytis. §. LI.) Latius verò hac de re egit *Grotius* in *Epistola* 336. Hamburgi 14. Jan. 1634. conscripta, & missâ ad *Martinum Ruarum;* ubi inter alia & hæc habet. *Itaque ex eo tempore* (quo nempe factum est, ut, Deo curam suam fermè ad unum populum retrahente, nulli essent populi defectionis ab unius Dei cultu immunes) *à sapientibus Hebræis institutum est*, *ne qui ad jus incolatus admitterentur*, *nisi qui* solenni mersatione *professi essent se pravum cultum vitamque ἄνομον exuere*, *prævia circumcisione*, *si de Abrahami essent genere*, *sine ea*, *si aliundi orti. Si qui præterea vellent totam Mosis legem sibi imponere*, *de eo fiebat testatio*, *& sic in numerum non incolarum sed civium recipiebantur*, *honorumque erant participes*, *nisi ex illis essent gentibus*, *quas Lex speciali*

de-

de caussa exceperat. Gravis autem caussa fuit cur etiam circumcisis injungeretur altera Baptismi *professio, quia gentes aliquot circumcisæ ad falsos Deos jam defecerant. Est autem ferme apud omnes populos receptum ut emendatio vitæ signo conspicuo* Ablutionis, *& ubi magna esset mutatio*, Mersationis *exprimatur. Vetus scholiastes Horatii ad illud Epistolæ primæ, Ter pure lecto*, ter *ait* mergunt qui se expiant. *Hinc Baptæ apud Græcos: Isidos quoque & Mithræ sacris, Tertulliano docente, eo, qui de Baptismo est, libro, per lavacrum initiabantur. Ejusdem Tertulliani est eodem libro*, Certè ludis Apollinaribus & Pelusiis tinguntur, idque se in regenerationem & impunitatem perjuriorum agere præsumunt. *Hunc ergo communem gentibus intellectum secuti Hebræi non immerito commaculatis vita impura* Tinctionem *id est* Mersationem *injunxere.* Cum quibus conferri possunt ea quæ adnotavit ad *Matth.* III: 6. ex quibus postea nonnulla nobis usu venient. Ipse verò *Martinus Ruarus* Dithmarsus, Vir doctus, sed Sociciniana hæresi imbutus, de quo Morhofius narrat, quod primus fuisse credatur qui Grotium in partes Socinianorum pertraxerit, scripserat ad Grotium Gedani, a.d. III. Calend. Januarii 1633. Epistolam, quæ est inter Epistolas Ruari trigesima sexta, in quâ præter alia & hæc leguntur. De Baptismo *Judæorum, cujus* primam mentionem colloquio tuo *debeo, deprehendi tandem aliquot loca ex Thalmud à viris eruditis allegata. Johannes Cochus in annotationibus, seu potius in earum spicilegio super caput secundum* Maccoth *citat* ex Aboda Sara *fol.* LIX. *p.* 1. *hæc verba* (supra à nobis allegata) in æternum non est proselytus, dum circumcidatur & baptizetur, nam donec baptizatus non est gentilis est. *Duo alia loca ex Jebammoth fol.* LXVI. LXVII. *& ex Barachot fol.* XLVII. *affert* Christianus Gerson *in Thalmude suo Judaico. Ex eodem Gersone disco, Thalmudem hunc ritum pro antiquissimo habere: utpote qui in Sota fol.* XLII. *& in* Megilla *fol.* XIII. *lotionem filiæ Pharaonis in flumine, de quâ Exod.* II. *hoc fine susceptam* (quanquam id sane ridiculè) *interpretetur, ut per Baptismum Israë-*

Israëlitarum religioni initiaretur. Crediderim tamen, saltem Servatoris nostri ævo, *postquam tam multi Baptismi vel ad superstitionem usque invaluerant, Judæis hanc Gentium externarum initiationem ad sacrorum Judaicorum communionem in usu fuisse*. Circa idem fere tempus & paulò post, reconditioris eruditionis Vir *Johannes Seldenus* inter Anglos sententiam Talmudicorum de Antiquitate Baptismi Proselytorum, hujusque originem modum rationem usum & effecta ex Talmude, Additionibus & Glossis ejus, Jurisque Judaici Interpretibus præcipuis, exposuit atque illustravit non modò in *Lib. de Successionibus ad Leg. Ebræorum*, anno 1636. edito, *cap.* XXVI. & de *Jure Nat. & Gent. Lib.* II. *cap.* 2: 3, 4. nec non in *Lib.* de *Synedr. cap.* 3. verum etiam fassus fuit in *Lib.* de *Synedriis*, *cap.* 3. *sibi omnino esse* VEROSIMILE *Judæos Baptismum proselytorum a Majoribus ante Christum accepisse. Et mecum*, ita pergit ille, *sensisse videntur tum ex Judæis Christiani alii, tum Christiani originarii, iique Viri hujus seculi doctissimi, qui Baptismum ejusmodi Judaismo proprium memorarunt nec interim de eo dubitantes aut antiquitati ejus obtensæ omnino reclamantes*: respexit fortè ad *Job. Buxtorfium* in *Lexico Chaldaico*, quem, p. 12. in margine laudavit. Seldenum sequutus est *Johannes Marshamus* in *Canone Chronico*, *sec.* IX. *Solemnis autem Proselyti ablutio*, inquit, *quum is Judaismo nomen primò dederit, inter initiamenti ritus observabatur ab hoc*, (exitus ex Ægypto & Legislationis) *de quo agimus, tempore. Jam enim Proselytos plurimos factos esse tradit Philo.* &c. Similiter *Johannes Ligtfotus* in *Chronico N. T.*, *sect.* IX. & in *Horis Hebraicis* ad *Matth.* III: 6. & alibi, Magistrorum Traditiones de Judaico hoc Baptismo non tantum copiose allegavit, sed & sententiæ eorum de Usu ejus longè ante tempora Johannis Baptistæ subscripsit, imò primum ejus usum Patriarchæ Jacobo adscripsit. Ita ille in *Chronico N. T. sect.* IX: *Multis retro seculis ante tempora Johannis Baptistæ usurpatus fuerat Baptismus, tanquam ritus, quo Proselyti in Ecclesiam re-*

 cep-

cepti fuerunt, sive viri fuerint, seu fœminæ, aut infantes: Et in *Hor: Hebr.* ad *Matth.* III. 6. *At primus tamen usus Baptismi non tunc temporis* (Johannis Baptistæ) *exhibitus fuit: nam quam plurimis annorum retro centuriis, & notus, & frequentissimo apud Judæos usu receptus fuerat Baptismus, in ipsissimum eundem, quo nunc apud Christianos obtinet, finem, nempe ut per eum admitterentur Proselyti in Ecclesiam: atque hinc* dictus à טבילת גרות Baptismus ad proselytismum: & distinctus טבילת נדה *Vide* Babyl. Jevamoth, *fol.* 45. 2. *in glossa. Primum ejus usum in hunc finem, ego Patriarchæ Jacobo ascriberem,* Sichemitidas *fœmellas, aliosque, qui jam apud eum versati sunt, Ethnicos, in familiam Ecclesiamque suam, cooptanti.* Dixit Jacobus familiæ suæ, omnibusque, qui cum eo erant, amovete à Vobis Deos alienos, & mundamini, & mutate vestimenta vestra, &c. *Gen.* 35. 2. *Quid sibi velit vox ista* והטהרו Et mundamini, *optime interpretatur* Aben Ezra שירחצו הגוף / *nempe* Lotionem corporis, *vel Baptismum, quod & suadet ipsa ratio. Totam gentem Israëliticam per Baptismum inter alia in fœdus introductam fuisse, asserit uno quasi ore tota gens Israëlitica.* Huic merito jungendus est *Jacobus Altingius*, qui in peculiari Dissertatione publicè ventilata in Academia Groninganâ, Anno 1664. rem omnem hujus Baptismi Proselytorum ex Judæorum traditionibus ordine enarravit, & quamvis placita Magistrorum in omnibus non approbaverit, miram tamen Baptismi Judaici in multis cum Christiano convenientiam laudavit, illumque hoc nostro anteriorem & antiquiorem esse, unà cum Regenerationis proselytorum per Baptismum illum Doctrinâ, absque ullâ hæsitatione affirmavit, uti videre licet in laudata Dissertatione §. XXVI. & XLII.

V. Hos Viros Eximios eruditionis insignis summæque rerum Talmudicarum & Rabbinicarum peritiæ laude conspicuos secutos esse multos in Belgio Germania atque Anglia ex Protestantibus præcipuè Doctores, nemo facile mirabitur: præsertim qui consideraverit, quod Præstantissimi

mi hi Auctores pro singulari eruditione suâ novis observationibus atque rationibus Magistrorum sententiam quantum pote confirmaverint, eique haud contemnendas suppetias ferre haud dedignati fuerint. Et PRIMO quidem *Gentilium Testimonia*, Judaicam Traditionem de Antiquitate hujus Baptismi quoad notabilem ejus partem roborantia, adducunt. Nempe; quemadmodum recentioribus hisce temporibus nostris Baptismi hujus usum apud Judæos permansisse observavimus supra §. 11. & sicuti Maimonidis ævo, seculo XII. in usu fuisse constat ex iis quæ ex ipso descripserunt *Seldenus Ligtfotus & Altingius*, & confirmatur quoque ex ritibus, circa eos, qui è Christianismo ad Judaismum transibant, adhibitis, quos ex *Eymerico* descripsit *Bzovius* ad Annum Christi 1288. laudatus quoque à *Carpzovio* in *Notis* ad *Schickardum Cap.* v. *Theor.* XVII. ita Baptismum hunc Judaicum in ipsis Christianismi Primordiis obtinuisse, ex gentilium quorundam Dictis colligunt Viri Eruditi. *Grotius* in *Matth.* III. 6. *Et hujus baptismi Judaici meminit Scholiastes ad Juvenalem, & Arrianus Epicteti.* In *Epistola* verò ad *Martinum Ruarum*, scripta Hamburgi, 14. Jan. 1634. quæ est inter Epistolas ejus *trecentesima trigesima sexta*, argumentum illud ex *Scholiaste Juvenalis* hunc in modum exposuit. *De baptismo Judaico quæ scribis vera sunt: & adjici potest ad ea quæ commemoras loca illud ex Scholiaste Juvenalis vetere & scriptoribus uso qui proximè Juvenalis sæculum fuere ad illum versum.*

Quæsitum ad fontem solos deducere Verpos.

Sic ille ait. ubi baptizantur. *Quod quanquam ad rectam versus illius expositionem non pertinet: culpat enim Juvenalis* τὸ τῶν Ἰουδαίων ἄμικτον, *qui ne communia quidem humanitatis officia, qualia sunt erranti viam, sitienti* fontem *monstrare, præstarent* τοῖς ἀλλοέθνεσιν: *testimonium tamen præbet mori* τῶν Ἰουδαϊζόντων *in oculos Romanorum quoque incurrenti.* Quod attinet verò testimonium *Arriani*, hoc *Grotius* non modò laudavit, sed & *Seldenus* de *successionibus ad Leges Ebræo-*

rum, *cap*. XXVI. imo ante hos *Martinus Ruarus*, *Epist*. 31. ad *Grotium*, anno 1632. verosimiliter conscripta. Ubi dicit ille. *Cæterum incidi nuper in locum quendam* Arriani Epicteti Commentatoris, *qui quod è Talmude de Judæorum Baptismo coram mihi referebas in mentem mihi revocavit. Sic verò habetur Lib*. II. *cap*. 9. τί οὖν στωικὸν λέγεις σεαυτὸν, τί ἐξαπατᾷς τοὺς πολλούς, τί ὑποκρίνῃ, Ἰουδαῖος ὢν, ἕλληνας; οὐχ ὁρᾷς πῶς ἕκαστος λέγεται Ἰουδαῖος; πῶς Σύρος; πῶς Αἰγύπτιος; καὶ ὅταν τινα ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται, ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. οὕτω καὶ ἡμεῖς παραβαπτισταὶ, λόγῳ μὲν Ἰουδαῖος (*sic quidem est in meo exemplari*, *sed legendum*, *ut opinor* Ἰουδαῖοι) ἔργῳ δ' ἄλλο τι. *Satis manifeste Judæis baptismum hic tribuit*, *&* παραβαπτιστὰς *ab illis distinguit: quanquam fieri potest ut Ethnicorum aliorum Exemplo Christianos*, *qui baptismo ad Religionem Christianam initiabantur*, *cum Judæis confuderit: quod eruditissimus Wolfius hic non injuria suspicatur. Sed quid hoc est*, *quod se aliosque secum* παραβαπτιστὰς *&* λόγῳ Ἰουδαίους *appellat*, *à quibus sese alioquin re abire profitetur? An tam honestum erat tunc temporis* Judæorum *nomen*, *ut & gentiles sibi illud arrogarent? an potius respicit probitatem sive* Judæorum, *sive Christianorum istius seculi*, *& multos eam gentiles profiteri queritur*, *quam tamen non præstent?* Ad hæc respondit *Grotius Ruaro Epist*. 32. *Hamburgi* 2. *Julii* 1633. datâ, hunc in modum. *De Arriani loco memini*, *& eum de* Judæis *intelligendum censeo*, *cum idem scriptor* Christianos Galilæorum *appellet nomine. Sed in Verbis posterioribus pridem est cum ad libri mei oram notavi* legendum λόγῳ μὲν σπουδαῖος, ἔργῳ δ' ἄλλο τι. *Considera loci sensum ac seriem: non improbaturum confido. Vocis aliquanto ante positæ duabus literis distans sonus & scriptura librariis*, *ut fieri assolet*, *errandi caussam dedit*. Ad quæ rursus *Ruarus* regessit in *Epist*. 33. *Gedano prid. Eid Aug*. 1633. ad Grotium missa. *De loco Arriani tibi assentior*, *illum de* Judæis *intelligendum*, *& jam ipse depre-*

prehendi in Libro quarto Chriſtianos Galilæorum *nomine venire; & video alibi quoque ita eum* Judæorum *mentionem facere, ut ſatis appareat, diſcrimen utriuſque cultus illi non ignotum fuiſſe. Illud tamen miror, cur cum* initiationem Judaicam *deſignare vellet*, Baptiſmum *potius quàm* Circumciſionem *nominaverit? an id ideo fortaſſis fecit, quod* Baptiſmus, *qui in publico fiebat, magis in externorum oculos incurreret? an potius cum in eodem loco* Syros atque Ægyptios *nominaſſet, exiſtimavit non ſatis commodè ab his gentibus* Judæos *per* Circumciſionem *diſtingui, quandoquidem & Ægyptios & Syrorum nonnullos circumciſos fuiſſe Herodotus aliique ſcriptores antiqui teſtantur, eoque* Baptiſmum, *non æque fortaſſis illis gentibus frequentatum, nominare maluit? Conjecturæ tuæ, quâ apud Arrianum pro* Ἰουδαῖος *σπουδαῖος ſubſtituis, volens ſubſcribo, & cauſſam erroris agnoſco, nec video, quis alioquin idoneus ex eo loco ſenſus exſculpi queat.* Ad hæc denique *Grotius* 20. *Aug*. 1633. repoſuit. *De Arriani loco confirmat me judicium tuum. Cur de Judæis agens* Baptiſmum *potius quam circumciſionem attulerit, cauſſam veram utramque attigiſti: nam circumciſio domi peragi poterat*, Baptiſmus in fluminibus *adminiſtrabatur, ut & apud Chriſtianos etiam Juſtini ævo; &c.* Quomodo verò hic Arriani Locus aliquid conferat ad antiquitatem Baptiſmi Proſelytorum apud Judæos confirmandam, expoſuit *Ruarus Epiſt.* 36. *Ad* ætatem Baptiſmi Judaici *nonnihil facit, quod* Arrianus, *mentionem illius ex interpretatione tua faciens*, non procul ab ævo Servatoris noſtri, ſub Hadriano & Marco & Antonino *Imperatoribus vixerit, ſi modò Commentator Epicteti, quem habemus, is eſt, quem* Suidas ἐπικτήτειον φιλόσοφον *appellat.* Audiamus nunc *Seldenum* hoc de Arriani loco, latinitate donato, in Libro de Succeſſionibus ad Leges Ebræorum, *cap.* XXVI. ita diſſerentem. *Ad Baptiſmum autem quem diximus & Judæi nomen ipſam religionem non magis atque novam patriam denotans ſpectabat proculdubio* Arrianus in Epictetum *Lib.* II. *cap.* IX. Quid (*inquit Philoſophiam ſimulantes increpans*) appellas te

 Stoi-

Stoicum? quare decipis & fallis tam multos? Quam ob causam Græcorum personam induis, cum sis Judæus? An nescis quare dicitur quisque Judæus? quare item Syrus, quare Ægyptius? At quando viderimus quempiam animo utrinque ancipiti, dicere solemus Judæus non est sed simulat. Quum autem induerit (*τό πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου*) *affectum Baptizati & inter sectatores adsciti*, tum revera & est & appellatur Judæus. Ita & nos quoque parabaptistæ sumus (*seu ut non legitime tincti*) dum quisque verbo tenus duntaxat velut Judæus, re autem verâ aliud quid existit. Vir Doctissimus *Dionysius Petavius ad Themistii orationem* XII. *legere mavult* περιηρημένου circumcisi pro ᾑρημένου inter sectatores adsciti. *Et ex Judæorum & Christian. rum nominis confusione scripsisse Arrianum opinatur. Scilicet cum Circumcisio proprius esset Judaismi Character, magnaque tum Christianorum pars e Judæis esset*, crediderant, *inquit ille*, Gentiles Judæos omnes & baptizatos & Circumcisos esse oportere. *Lipsius autem ad Annal. Tac. l.* XV. *de Christianis locum illum capit, ex eadem confusione.* Ait, *sic ille*, τοῦ βεβαμμένου (*Baptizati*) qui ergo tincti & baptizati præter Christianos? *Et Gaspar Barthius ad Rutilii Itinerar. de eo loco*, sanè Judæi, *inquit*, signaculum non erat Baptizatum esse, sed Christiani. *Nec melius Hieron. Wolfius, qui* ᾑρημένου amplexi, *scilicet Judaismum, ibi verti vult, & Christianorum ecclesiam cum secta Judæorum confundi. Certe fatemur, Judæorum nomine Christianos antiquitas apud scriptores gentiles, eo quod Christianismi, uti & Christi, in Judæa erant natales, designari; quemadmodum apud Suetonium in Claud. c.* XXV. *Judæos* impulsore Chresto (*nam & Christum Chrestum, unde & Chrestianos qui Christo nomina dederant, appellitabant*) assiduè tumultuantes Roma expulit. *Et vide sis P. Pithœi Adversariorum lib.* II. *cap.* III. *Sed verò apud Arrianum, Judæorum Proselytos seu Judæos circumcisione & Baptismo ex Gentilibus factos innui vix ambigendum videtur. Et tantum abfuit, ut male Gentiles, Judæos hujusmodi tam*

ba-

baptizandos quam circumcidendos fuisse sentirent, aut nulli in initiamentis tingerentur præter Christianos (quod vult Lipsius) ut nemo citra Baptismum magis ac citra Circumcisionem Proselytus aut hac notione Judæus rite fieri aut haberi potuisset. Sententiam hanc de Judæis circumcisione & baptismo factis ab Epicteto intellectis novis observationibus confirmavit Clar. *Rossal* in *Disquisitione* de *Epicteto* erudite docens, verba illa τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου commodè verti posse per *affectum qui est in baptizato & circumciso*, quo pacto ad Judæorum proselytos utroque ritu initiatos manifeste ducimur, ab Epicteto indigitatos.

VI. SECUNDO observant, quod ad *Baptismum Johannis tantus* fuerit populi *Confluxus*, quodque Scribæ & Pharisæi non legantur illi *litem* movisse ullam de *ipso externo Initiationis ritu* usurpato, cujus utriusque rei ratio præcipua erat scilicet, quia *Ritum* haud plane *novum* sed dudum in gente illa usitatum adhibebat. Seldenus de *Synedriis Lib.* I. *cap.* III. *Hoc interim advertere etiam liceat, Baptismi, in Christianismi seu Legis Evangelicæ initiis, ritum seu Sacramentum, sive ab* Joanne, *sive ab Apostolis adhibitum, non ut actum* novum, *ac antea, qua actus etiam erat religionis*, inauditum, *esse introductum, sed ut* Ebræis *satis etiam, quatenus erat Initiationis ritus, ex majorum seu patrum usu ac disciplina*, cognitum *ac cum circumcisione, ita ut ostensum est, conjunctum.* Ligtfotus in *Chronico Temp. N.T. Sect.* IX. *His rite perpensis, haud æquum est mirari, tantam populi turbam ad Baptismum Joannis confluxisse. Hoc enim tempore Judæi Messiam expectabant: porro baptismus communiter usurpatus fuerat* &c. & in *Horis Hebraic.* ad *Matth.* III. 6. *Hæc ideo copiosius allegavimus, ut non solum de re proposita satisfiat, cur scilicet ad Baptismum Joannis, tam universo concursu confluxerit populus, quia res Judæis aliena non erat Baptismus:* &c. & paulò post ibidem sic ille pergit. *Observato ex his, quæ dicta sunt, quam notissimus apud Judæos fuerit usus Baptismi, facillima patet ratio, cur Synhedrium a Joan-*

Joanne per nuntios suos non quæsiverit de ratione Baptismi, *sed de* auctoritate baptizantis: *non quid sibi vellet Baptismus, sed unde licentia illi ita baptizandi, Joan.* I 25. Ligtfoti in hoc Argumento vestigia cum aliis pressit Doctissimus Joh. Bened. Carpzovius, in *Notis* ad *Schickardum*, *Cap.* V. *Theor.* XVII. *Hinc*, inquit; quia scilicet Baptismus Sacramenti circumcisionis necessarium, ex instituto sive divino sive humano, & inseparabile erat connexum in omnibus iis, quotquot abjurato gentilismo ad Israëliticam transire religionem & proselyti fieri cuperent: *non tantus modò ad Johannem baptistam populi illico confluxus Matth.* III. 5, 6. *sed & Legati procerum Jerosylomitanorum ad Johannem missi, non de ipso Baptismo, veluti re ac ceremonia, & ritu inusitato, sed de autoritate solum quærebant, quod viderent, eum suo hoc baptismo non proselytos e gentilismo in Judaismum recipere, sed ipsos in Israëlitico fœdere natos, & pridem, si mares essent, in infantia octavo à nativitate die circumcisos, novi fœderis proselytos constituere; atque Judæos à patria religione in aliam transferre.* Quare baptizas, *inquit*, si neque Messias, neque Elias, neque aliquis Prophetarum es? *Joh.* I. 25. *Nempe ritum jam noverant, noverant eundem adhiberi solitum, cum ex infideli fieret fidelis: cum ergo ipsos per hunc Judæos novo fœderi initiari, suamque Judaicam religionem non minus, quam, quod sanctissimum putabant, fœdus cum Deo a patribus olim initum reformari viderent, non nudi illud hominis, sed vel Messiæ, vel Eliæ aut alterius cujusdam Prophetæ opus existimabant.*

VII. TERTIO adducunt, quod Dominus doctrinæ hujus de *Regeneratione ex Aqua*, id est, *Baptismo*, ignorantiam ut maxime culpabilem & pene incredibilem satis acriter in *Nicodemo*, *doctore Israëlis*, reprehenderit, *Joh.* III. 5. 10. Huic enim incognita esse haud debebat Rabbinorum doctrina de *Proselyto Baptizato*, quod *infanti recens nato* esset *similis*, pro *antea nato* non habendus, sed pro *novo homine*, jam *primò nato*, cui nova anima cælitus immissa,

sa, cujusque pristinæ cognationis ratio prorsus desiisset, ita ut incestus ex antea conjunctissimorum connubio nullus esset, de quâ Judaicorum Doctorum Doctrina *Seldenus* in *Lib.* II. *Cap.* IV. de J. N. & G. & de *Succes.* ad *Leg. Ebr. cap.* XXVI. Hoc argumentum urget idem *Seldenus* de *Syned. Lib.* I. *c.* 3. *Unde item*, inquit, *Regenerationis per aquas, etiam in Baptismo illo Ebræorum Veteri, juxta ante dicta, intellectæ ignorantiam meritò exprobrat Christus Nicodemo, quod, cum is princeps & Doctor esset inter Judæos, mirabatur, velut ante inauditum, quid regeneratio ejusmodi seu novi natales significare quirent.* Nec non *Altingius* §. XLII. *Neque aliter locutus Christus ad Nicodemum Joh.* III. 3. Amen, Amen dico tibi, nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei. Conf. *Matth.* XVIII. 3. *Quod cum ille de nativitate naturali intelligeret, quæ seni impossibilis, revocatur* ad conditionem Proselytorum de quibus ita loquebantur Scholæ Hebræorum, *sic tamen, ut non infernam & elementarem aquam rem ipsam præstare significaretur, sed supernam & spiritualem.* Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei. *Et cum ne sic quidem hæc assequeretur Nicodemus, dictum ipsi*, Tu es Magister in Israël & hæc non nosti? *Nam* Magistris *non poterat* esse ignota Regenerationis *doctrina*, *qualis nempe per* baptismum proselytis *significatur*, *qui ab eo die* recens nati Israëlitæ *habebantur.* Similiter *Samuel Basnagius* in *Annal. Polit. Eccles.* ad *Annum D.* 29. §. XIII. *Nescio*, ait, *quid* regenerationis *per* Baptismum *fieri*, *Judæis infixum animo fuisse*, *Servatoris verba testantur:* Nisi quis genitus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei, *quæ cum miratur Nicodemus*, quomodo possunt hæc fieri, *hoc addidit Christus*, Tu es Magister ille Israëlis, & hæc non nosti? *Quibus Judaicæ per baptismum regenerationi allusum est.*

VIII. QUARTO dicunt, admodum verosimile esse, quod Dominus noster Ritus externos sub. N.T. haud plane

Mmm ne

ne novos, inauditos, vel inusitatos Judæis, adeoque qui offendiculo esse possent, mandaverit observandos, sed ex medio Judæorum usu desumtos sapienti consilio instituerit. Quemadmodum enim in S. *Cœnæ* institutione se accommodavit Dominus ad phrases & ritus Judaicos, in Cœna Paschali, aliisque festivis & solennibus Epulis, observatos; quâ de re consulendus *Buxtorffius* de *Cœnæ Dominicæ Ritibus*, & *Scaliger*, *Lib.* VI. de *Emend. Temp.* & *Fagius* ad *Chald. Paraphrasin Deut.* VIII. sic quoque in *Baptismo* mandato, non novam plane jussisse ceremoniam, sed usu dudum receptam, ad novum & mysticum usum separasse, maxime probabile esse existimant. Cum autem multiplex in usu Judaico fuerit Baptismus, sive divinitus institutus, sive humano arbitrio susceptus; nempe *Baptismus* Leviticus *immunditiei*, ad immunditiem legalem contractam eluendam, sæpe pro re nata repetendus, *Heb.* IX. 10. & *Pharisaicus* superstitiosus *Marc.* VII. 4; & *Pœnitentiæ* privatus (de quo *Seld.* de *Succ.* ad L. E. cap. 26.) in signum mutationis vitæ susceptus, & denique *Initiationis*, adhibitus in signum mutatæ religionis, imo & cordis ipsius regeniti; *Baptismum Johannis* & *Christi*, ad imitationem, non Levitici, aut Pharisaici, aut Pœnitentis privati, sed *Baptismi Initiationis Proselytorum* fuisse institutum asserunt. Neque enim probabile autumant Dominum Ritum aliquem Mosaicâ lege Præceptum consecrasse in Sacramentum Novi Fœderis, quia sic videri possent Ceremoniæ legales umbraticæ sub Oeconomia Nova perseveraturæ. Neque etiam ex usu Pharisæorum superstitioso, aut Pœnitentium privato desumsisse Dominum Baptizandi sacrum Ritum solennem credibile judicant. Quare ex nullo alio nisi ex *Initiationis Proselytorum Baptismo* originem traxisse nostrum primum Novi Fœderis sacramentum colligunt. Quem in finem commendant quoque miram convenientiam hujus nostri sacramenti in sacris descripti cum proselytorum illo Baptismo à Magistris tradito. *A Judæorum ritu desumtum fuisse Joannis Baptismum, hujus illiusque similitudo*

litudo documento est, inquit *Samuel Basnagius*, ad A. D. 29. §. XIV. Similitudinem hanc in antecedenti Institutione, Proselyti Professione, Immersione, Testibus, Regeneratione, Subjectis, etiam Infantibus *&c.* prolixè & eruditè ostendit *Clar. Altingius* §. XXVII. .. XLVII.

IX. Audiamus nunc ipsos Auctores, quorum mentem sic breviter proposuimus quidem, sed quorum verba ipsa describere, mihi non erit tædiosum, nec Lectori fore inutile putamus. Brougtonus; *Comment. in Dan. p.* 46. scripsit, quod *Dominus*, (ut ostenderet *quantopere nobis συγκαταβαίνῃ*, & ut nunquam inducamus animum *res novare*) *de Baptismo*, (*celebrato Judæis inde a temporibus Davidis & Salomonis, ex collectione ad legem, non aperto mandato*) *sigillum instituit intrandi in requietem Messiæ, & abjiciendi reliquas ceremonias: Judæorumque infirmitatem ex inventis super lumine naturæ fundatis, ad magnos usus reducit. Ex pane & uvæ sanguine, partibus Cœnæ Agni, haud quaquam ex mandato, sed ex communi prudentia quam Deus animis insculpsit; sancit sigillum sui ipsius veri corporis, & sanguinis:* &c. Ligtfotus in *Hor. Hebr.* ad *Matth.* III. 6. *Appendicem vides Baptismum Circumcisioni Proselytorum inseparabiliter affixam. Erat quidem aliquantula temporis distantia.* Nam non nisi post sanatum circumcisionis dolorem baptizabantur, eo quod aquæ vulneri essent noxiæ, Jevam. fol. 45. 2. *at nunquam certè non secutus est Baptismus. Circumcisionem certè institutionis plane divinæ agnoscimus; ast, à quo institutus fuit inseparabilis ei Baptismus, ambigitur. Et tamen, quod notatu dignum, Servator, rejecta Circumcisione*, appendicem *retinuit, & cum universi gentiles jam in veram religionem essent introducendi*, Proselyticum hoc introductorium (*detur verbo venia*) *in Sacramentum introductionis in Evangelium promovit. Idem fere observare licet de* Eucharistia. *Agnus in Paschate erat divinæ institutionis, & sic quidem panis. Ast unde vinum? At rejecto tamen agno, in pane & vino instituit Christus Sacramentum.* Merentur quoque hanc in rem describi verba celeberrimi Theologi Sam.

Maresii in *Syst. Theol. Loc.* de *Sacramentis.* quæ ita sonant. §.40. *Baptismi author est Christus, qui non tam lotiones Leviticas, quam ritum Judæis observari solitum circa Proselytos justitiæ regenerandos, & inserendos Reipublicæ Israeliticæ, eum in finem speciatim voluit consecrare ministerio Joh. Baptistæ.* Et in notis. *Nec in Baptismo nec in Cœna adhibiti sunt ritus lege Mosaica præcepti, ne viderentur cæremoniæ legales esse perpetuandæ. Sed ut Christus ad* S. Cœnæ *institutionem usurpavit ritum, eum alii usui addicendo, observari solitum a patre familias in epulo* Paschali, *quo singulis suis in communi exhibebat primò panis azymi frustum in memoriam panis miseriæ, quem sui patres comederant in Ægypto, & postea poculum vini solenniter benedictum in gratiarum actionem; ita etiam ad usum* Baptismi *nulla lotio præscripta lege Mosis adhibita fuit, sed ea quæ ex instituto humano ad proselytismum sanctiorem observabatur.*

X. Neque *Quintò* prætereundum est hoc, quod ex hac hypothesi ratio satis solida, uti existimant, dari queat, quare nihil de *Pædobaptismo*, in Ecclesia Christiana ab ævo recepto, diserte mandatum legatur in N. T., neque ejus exemplum ullum expresse notatum ibidem occurrat. Nempe filii filiæque minorennes & infantes baptizabantur etiam cum parentibus proselytis juxta traditionem Talmudicorum, addentium etiam hanc Rationem, quia *beneficium hac ratione ipsis præstatur*, & quia *benefacimus homini etiam absenti* & *inscio*. Videantur Seldenus *de Syned. Lib.* I. *cap.* 3. de J. N. & G. *Lib.* II. *c.* 2. Ligtfotus in *Chron. Temp. N. T. Sect.* IX. in *Hor. Hebr.* ad *Matth.* III. 6. & XXVIII. 19. Altingius in *Differt.* de *Proselytis* §. XLVI. Cum ergo Dominus, quando Ritum hunc Judaicum transtulit in Sacramentum Novi Fœderis, non exceperit infantes, meritò censendus est voluisse & hos a Ministris suis baptizari, atque existimandum est omnino, Apostolos, quando Baptizabant integras, Lydiæ, Commentariensis, Stephani, aliorumque familias, *Act.* XVI. 14. 15. 33. 1 *Cor.* I. 16. ex consuetudine Judæorum admi-

administrasse Baptismos illos, æque infantibus & minorennibus, si adfuerint, quam illorum parentibus, sic initiandis Fœderi Novo omnibus. Loquatur iterum Ligtfotus, qui non uno in loco hoc argumentum tractavit, & inprimis ad *Matth.* III. 6. prolixe & copiose admodum; placet tamen verba ejus describere in gratiam Lectoris, eo magis, quia video Viros quosdam Eruditos verba Ligtfoti sua fecisse, auctore ipso non laudato, *Hinc etiam patet Ratio*, inquit, *cur apud Novum Testamentum, accuratiori regula non præscribatur, quinam Baptizandi. Oggerunt Anabaptistæ.* Non præcipitur, ut baptizentur infantes, ergò non baptizandi. *Quibus ego*, non prohibetur ut baptizentur infantes, ergo sunt baptizandi. *Et ratio in aperto. Nam cum Pædobaptismus in Ecclesia Judaica, in admissione proselytorum, ita fuit notus, usitatus, & frequens, ut nihil fere notius, usitatius, & frequentius:* I. *Non opus erat ut aliquo præcepto roboraretur, cum Baptismus jam in Sacramentum evaderet Euangelicum. Nam Christus Baptismum in manus suas, atque in usum Euangelicum, suscepit qualem invenit, hoc solum addito, quod ad digniorem finem atque ad largiorem usum promoveret. Novit satis gens universa parvulos solitos baptizari: illud præcepto opus non habuit, quod communi usu semper invaluerat. Si prodiret jam Edictum regale in hæc verba*, Recipiat se unusquisque die Dominico ad publicum conventum in Ecclesia; *insaniet ille certè quicunque olim hinc argueret, non celebrandas esse Die Dominico in publicis conventibus preces, conciones, psalmodias, eo quod nulla in Edicto de iis mentio: Nam cavit Edictum de celebratione diei Dominicæ in publicis conventibus in genere, de particularibus autem divini cultus speciebus ibidem celebrandis, non opus erat, ut esset mentio, cum istæ ante datum Edictum, & cum daretur, semper & ubique notæ essent, & in usu assiduo. Ipsissimo isthoc modo res se habuit cum Baptismo, Christus eum instituit in Sacramentum Euangelicum, quo in professionem Euangelii omnes admitterentur, ut olim in Proselytismum, ad religionem Judaicam. Particularia eò spectantia,*
 modu,

modus scilicet Baptizandi, ætas Baptizanda, sexus baptizandus, &c. regulâ & definitione opus non habuerunt, eò quod hæc vel lippis & tonsoribus satis nota erant ex communi usu. II. *E contra ergò planâ & apertâ probibitione opus erat, ut infantes & parvuli non baptizentur, si eos baptizandos nollet Servator. Nam cum per* omnia *sæcula præcedentia usitatissimum esset, ut baptizarentur parvuli, si aboleri istam consuetudinem vellet Christus aperte probibuisset: Silentium ergo ejus, & scripturæ, hac in re Pædobaptismum firmat, &* propagat in omnia sæcula. *Ex dictis antea satis liquet quo sensu illud intelligendum in Novo Testamento, quod aliquoties occurrit, quod Paterfamilias scilicet baptizatus fuerit cum tota familia Act.* XVI. 15. 33. *&c. Nec valet, quod cavillantur Anti Pædobaptistæ, probari non posse in istis familiis fuisse infantes; nam non tam aptè quæritur, an in istis familiis fuerint infantes, quam verè & merito concluditur, si essent, omnes baptisandos. Nec credo ego, populum hunc, ad Baptismum Joannis confluentem, tam moris & consuetudinis gentis oblitum, ut non parvulos secum etiam baptizandos adduxerint.* Probabile omnino est propter hanc maximè Rationem, tot verbis à Ligtfoto descriptam, tantum hodie Theologorum numerum Talmudicorum Traditionem amplexum fuisse, quia arma nobis suppeditare videtur egregia, quibus Pædobaptismi hostes & contemtores felicius expugnari posse sibi persuadebant. Vide *Heideggerum* in *Corpore Theol. Loc.* XXV. §. LV. & *Carpsovium* ad *Schickardum* cap. V. *Theor.* XVII. *p.* 330. 331.

XI. Sed & Socini Asseclæ cum Grotio avide arripuerunt hanc Magistrorum Sententiam, saltem de Usu hujus Baptismi ante tempora Servatoris nostri & Præcursoris ejus: Quia conferre non nihil illam ad stabiliendas pravas suas hypotheses arbitrabantur; nimirum de Baptismo Aquæ externo; Ritu adiaphoro, in perpetuum non præcepto, infidelibus modò ad Ecclesiam accedentibus, non in eâ natis, administrando; nudo insuper professionis Symbolo, quo nomen Christo datur ab eo, qui antea ab illius doctrina alienus

nus erat, religioni Christianæ sic initiandus: Imo quia apta iis videbatur ad enervandum Argumentum nostrum pro Pædobaptismo, quod petimus ex eo quod in locum Circumcisionis successerit. Scilicet Baptismus Johannis, à Christo servatus, fuit Ritus antiquus Judaicus, non novus, neque ex institutione divina primam suam trahens originem, quamvis non absque instinctu divino adhibitus; atque adeò non primo, neque absolutè divinæ institutionis, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti, ita nempe ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ, sed potius unâ cum reliquis Ritibus Judaicis pro antiquato habendus; hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis, quam antiquus Ritus *Impositionis manuum*, olim usurpatus, in orando pro ægrotis, confirmando baptizatos, ordinando Pastores, absolvendo criminum sontes, matrimonio benedicendo, sed quem nunc liberè in solâ Pastorum ordinatione retinent Ecclesiæ Reformatæ, ad significandam, non ad obsignandam spem divinæ efficaciæ, quæ Pastoribus optatur, uti *Grotius* in *Dissert.* de *Cœna* & *Problemate* illo, *an semper Communicandum per Symbola*, apud *Cloppenburgium*, *Tom.* IV. *Disp. Sel.* I. & *Exercit. Theol. Loc.* XIII. *Disp.* IV. Si porro Baptismus Johannis & Christi ad imitationem Judaici hujus est introductus, qui erat tantum *Initiationis Baptismus*, quo se Judaismum amplecti derelicto gentilismo publicè profitebantur olim, sequitur ergo ex sensu Socinianorum, quod Baptismus Christianus, ad similitudinem Judaici compositus, nihil aliud quoque sit quam nudum Professionis Christianismi Symbolum, quo suscepto Christo nomen damus, ejusque discipulos nos profitemur. Nulla ergo in Baptismo nostro somnianda sunt] mysteria, aut ἀπόῤῥητα arcana, & non parum nugati sunt Reformati Theologi, dum nihil crepant præter *Sigilla Fœderis Novi*, *Sacramenta Religionis*, *Obsignationem Fidei*, *similesque ignotas* Apostolorum *ævo voces & ideas in Christianismum invehunt*, uti scripsit unus ex

Socini

Socini grege Anonymus in *Epist. Theol.* Anno 1679. editis; quamvis non ex eadem, de Baptismo Proselytorum Judaico, sed simili, de Baptismo nempe à Sadducæis, Essenis & Pharisæis usurpato, cum quis eorum Sectam & familiam intrare cupiebat, & à ad Christo ad lucrandos Judæos infirmos retento, Hypothesi. Imo quemadmodum Proselyti, eorumque liberi ante Proselytismum nati, baptizabantur apud Judæos, nunquam verò in prole eorum post Proselytismum susceptâ Baptismus repebatur, utpote quæ propter parentis Baptismum in sanctitate nata censebatur; ita quoque Baptismum Christianum in Advenis infidelibus quidem, non tamen necessariò in Natis ex Christianis parentibus adhibendum esse asserunt. Denique si Baptismi ritum ab Exemplo Judæorum mutuati sunt Johannes & Christus ipse, haud inepte concludere ex eo se posse existimant, Baptismum Christianum, non Judæorum Circumcisioni proprie, sed potius eorundem Baptismo successisse. Ita *Martinus Ruarus* in *Epist.* 36. ad *Grotium*. *Hoc si tanquam verum accipitur* (nempe Baptismum nostrum ab Exemplo Judæorum esse desumtum) *concludere ulterius non inepte licebit Baptismum Christianorum non Circumcisioni proprie sed potius eorundem Baptismo successisse: atque ita collabetur argumentum, quod à Circumcisione infantium inter Judæos ad eorum Baptismum apud Christianos vulgo trahi tamque acriter urgeri solet. Scrutatus sum curiose, an Judæi ex sua gente natis, quoties religioni initiantur, Baptismi legem imponent. Et invenio in Buxtorfii Synagoga Judaica, infantes Judæorum non quidem circumcisos, ut in gentibus ad Judaismum conversis fieri solet, sed circumcidendos, lavari diligenter solere. Sed, ni fallor, hæc lotio non est illis pars initiationis, sed præparatio initiandi, qui cum sordibus ad vitam tam sacrosanctam, admitti non debet. Quorsum hæc tam solicitè quæram caussam facile intelligis.*

XII. Hæc vero à me non adducuntur neque laudantur ut legitime deducta & necessariò consequentia ex Hypothesi de Ritu Baptizandi Judaico in Christianismum translato.

lato. Ex adverſo enim planè cum aliis perſuaſus ſum infeliciter admodum atque imperitè omnia illa ex hac ſententiâ inferri a Socinianizantibus iſtis. Etenim Ritum, humano arbitratu inter Judæos introductum, à Deo inſtitui, cum immutatione quadam, reſpectu Subjecti Effecti & Adjuncti, in Sacramentum Novi Fœderis & ſigillum gratiæ Chriſti, ſingulis Fœderatis ſemel, ſed & omnibus ſucceſſivè & perpetuò ad finem mundi, adminiſtrandum, nulla ratio ſana prohibet nec damnat. Utique Vetuſtior Baptiſmi uſus in Judaiſmo non tollit Novam ejus perpetuo uſurpandi Inſtitutionem Divinam in Chriſtianiſmo, quemadmodum imprudenter videtur velle *Grotius*. *De Novorum rituum inſtitutione haud repugnamus*, inquit Vener: *Cloppenburgius* adverſus *Grotium* diſputans, *Diſp. Sel.* IV. §. V. *nullos Chriſtum novè imperaſſe, qui inauditi vel inuſitati eſſent Judæis ...... ſed abſque novorum rituum externorum inſtitutione nolle agnoſcere novam in Ritibus antiquis, novi Sacramenti & ſigilli divinam inſtitutionem, & cum inſtitutione conjunctum mandatum & præceptum de ſacramenti & ſigilli uſu, indoctum vel impium eſt.* Rurſum eundem Baptiſmum, quatenus externa ceremonia eſt, habere originem ex Baptiſmo uno vel altero Judaico, & ſimul quatenus eſt Sacramentum Fœderis gratiæ ſucceſſiſſe in locum Circumciſionis, nullo modo repugnat nec ſibimet adverſatur. Baptiſmus Judaicus erat appendix Circumciſionis, hac abrogatâ, appendicem retinuit Chriſtus, gratiæ autem Medium, quale olim fuit Circumciſio, ſigillum juſtitiæ fidei, adminiſtrata quoque infantibus, etiam natis ex proſelytis jam factis, reſtringere nec coarctare ſub præſtantiori Oeconomia voluit benigniſſimus Dominus. Unde & praxis baptizandi parvulos, natos etiam ex Fidelibus Baptizatis, ab omni ævo in Chriſtianiſmo obtinuit. Verùm eum in finem hæc adduxi ut pateat, quòd, quamvis Doctrina de Pædobaptiſmo noſtra hoc lucretur ex hac Hypotheſi contra Anabaptiſtas, quòd Infantium Baptiſmus non ſit ſimpliciter inutilis nec ridiculus, quoniam

parvuli ante Proselytismum Parentium nati unà cum his baptizati sunt à Judæis, & proinde quoque ab Apostolis: Baptismus tamen eorum qui nati sunt ex Christianis parentibus, haud per se neque immediatè ex illâ, uti nec simpliciter ex silentio Christi non excipientis infantes, fluat, ut *propagandus per omnia secula*, *uti* supra Ligtfotum audivimus disserentem.

XIII. Interim ipsa hæc Sententia de *Baptismo Proselytorum* apud Judæos, vel inde à *Monte Sinai per omnia secula*, vel saltem *ante Johannis Baptistæ & Christi* tempora Usitato, atque *in Sacramentum* Novi Fœderis Consecrato, uti Recentior est inter Christianos; ita & Eruditis quibusdam hodie Incerta & Dubia, si non *F*alsa, videtur. Supra §. IV. audivimus *Seldenum* dicentem, quòd hunc Baptismum *Paucissimi* Scriptorum *ante tempus suum animadverterint*; atque *Ruarum* fatentem, se *primam* mentionem ejus *Colloquio Grotii* debere. Clar. G. *Wernsdorffius*, Theologus Wittenbergensis in *Disp.* anno hujus seculi *Octavo* habitâ *de Recentioribus de Baptismo Controversiis*, §. XVIII. scripsit: *Hoc unum me dissentientem solatur, quod hæc Opinio* (de Baptismo nostro ad imitationem antiquioris Baptismi Proselytorum Judaici instituto) *Veteribus Græcis*, *Latinis*, *Scholasticis denique*, *& emendatam per Lutherum Doctrinam secutis Doctoribus per* XVI. *omnino secula ignorata fuit*: & §. XX. in fine addidit, *à Reformatis primùm exclusam*, *fotam & incrustatam* fuisse hanc Opinionem. Similiter *Antonius van Dale*, in *Hist. Baptismorum*, *pag.* 382. confidenter affirmat, *Scriptores Primitivæ Ecclesiæ istius* (scilicet Baptismi Judæorum cui superstructus esset Pædo-Baptismus Christianorum) *nullibi meminisse*, & hoc suo silentio *ostendisse*, *quod talem Judæorum Baptismum non cognoverint*, *nedum agnoverint*.

XIV. Neque desunt hodie Viri Eruditi qui cum *Oweno Wernsdorffio*, *Zeltnero*, Aliis, negant hunc Judæorum Baptismum ante tempus Johannis & Christi obtinuisse, & Christianos à Judæis accepisse; imo qui ex adverso, existimant,

quòd

quòd Judæi suum Proselytorum Baptismum ad similitudinem Baptismi Johannis & Christianorum efformaverint, vel ante, vel post Excidium Templi & Urbis Hierosolymæ. Et ne omni ratione destituti ita opinari videantur, adducunt; Primò *Altum* de Eo *Silentium* apud Gravissimos *Auctores* antiquos *Judaicos* pariter ac *Gentiles*, Domesticos ac Externos. In Libris *Apocryphis* de Illo ne γρῦ quidem occurrit. Auctores *Targumim*, *Onkelos* in Legem, *Jonathan* in Prophetas, qui circa Christi tempora vixisse perhibentur, *Pseudo-Jonathan* in Legem, ambiguæ ætatis Auctor, & *Posteriores* Paraphrasium Auctores, Talmudicis Fabulis alioquin imbuti, silent Omnes de hac Ceremoniâ, licet ansa commemorandi aliquid de Eâ Ipsis data fuerit in Locis Scripturæ, in quibus de Proselytis agitur, eorumque mentio facta est qui juxta Judæorum traditionem Proselyti fuerunt apud *Seldenum* de *Jure Nat. & Gent. pag.* 144. 147. Sic v. g. *Targum* in *Ruth.*, *Cap.* I. ubi de Rutha *Proselyta* prolixe agit, & in *Estheræ Cap.* VIII. 17. nihil refert de hoc Ritu. Nihil quoque hac de re occurrit in Scriptis *Philonis*, qui tamen de Gentis suæ Institutis, sacrisque Lotionibus curiosè & scrupulosè ad minutias usque disseruit. Nihil etiam *Flavius Josephus* de hoc Baptismo Inaugurali memoriæ prodidit, cujus certè vel semel meminisset, si tam antiquæ Originis ac per omnia secula inde a Monte Sinai necessariò administrandus, & Usitatus fuisset apud Populum suum; præsertim cum Occasio de Eo loquendi Illi minimè defuerit. Narrat enim *Ant. Lib.* XIII. C. IX. vel XVII. Hyrcanum subactis omnibus *Idumæis permisisse in regione suâ manere*, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν si pudenda circumcidere, *Judæisque legibus uti vellent. Illos vero Patriæ amore* καὶ τὴν περιτομὴν & circumcisionem, *& reliquum Vitæ Judaicæ Institutum* admisisse; atque *eo tempore ipsis contigisse, ut deinceps Judæi essent:* sed tacet de *Baptismo* Josephus quo unà cum *Circumcisione* Religioni Judaicæ initiati fuissent. Si dicat Aliquis cum Cl. *Danzio* in *Disputatione* de *Bapt. Prosely-*

selytorum Judaico, Anno MDCIC. habita, *pag.* 40. quòd *Josephus de Hujus* (Johannis) *Baptismo loquatur* (*Ant. Lib.* XVIII. C. V. vel VII.) *tanquam Ritu dudum in Ecclesia recepto*; is sciat hoc factum esse à Josepho ob Convenientiam aliquam Baptismi Johannis, non cum illo Initiationis Proselytorum ex Gentibus, verùm cum Mosaico *Immunditiei* & *Purgationis*, quem susceperunt in signum Purgati & Purgandi amplius corporis & animi ab omni inquinamento morali: Unde etiam Baptismus ille Johannis vocatur καθαρισμὸς *Joh.* III. 25. Silet denique *Cornelius Tacitus* de hoc Proselytorum Baptismo in *Lib.* V. *Hist. cap.* V. ubi de Judæorum origine, moribus & institutis agit. *Circumcidere*, inquit, *genitalia instituere*; ut *diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum, idem usurpant. Nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere Pariam: Parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Abusus profectò est ingenio suo Celeb. *Buddeus* in *Disp.* de *Antiquitate Baptismi Initiationis Israëlitarum*, anno MDCCX. habita, quando §. 58. Verbo *Imbuuntur*, evidens Baptismo Proselytorum a Tacito dari Testimonium affirmat, cum *Hammondo* in *Matth.* III; quia scilicet *Imbui* propriè denotat *aquis impleri*, *tingi*. Certum enim est *Imbui* à Tacito frequenter usurpari metaphoricè pro *edoceri*, *institui*. Quomodo & heic sumsit hoc Verbum de Proselytis, quia cum moribus ac institutis Judaicis conjunxit, quæ Illis a Judæis studiosè inculcabantur; uti bene à *Wernsdorffio* in *Disp.* de *Baptismi Christ. Origine merè* Divina, Buddeo opposita, §. XIV. observatum est: *Indicat Tacitus*, inquit, non *quo ritu* Proselyti Judæorum sacris *initiati fuerint*, sed *quæ Doctrina* ipsis tradita sit. Idem *Wernsdorffius* in eadem *Disputatione*, §. XXI. scripsit; quod Cyprianus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, aliique *omnia Baptismatum genera* sollicitè recensentes, *hunc unum Proselytorum Judaicum ne verbulo quidem tetigerint*. Videatur quoque *Zeltnerus*, Theologus nuper Altorffinus, in *Disp. de Initiis Bapt. Initiationis Judæorum*, anno hujus seculi XI. habita, §. IX. —— XV.

XV.

XV. Secundò, ad *Silentium Sacræ Scripturæ* provocant, in quâ nec *Præceptum* ullum de hoc Baptismo occurrit, nec *Exemplum* ullius Baptizati Proselyti reperitur; etiam ubi *Occasio* memorandi illud opportuna satis sese offerebat. Qualis Occasio meritò existimatur fuisse in Loco *Exod.* XII. 48. 49. *Quod si peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit Pascha Jehovæ*, Circumciditor *ei omnis mas; tum demum accedito ad faciendum ipsum, & esto sicut ipse indigena terræ: at nullus præputiatus vescitor illo. Lex eadem esto indigenæ ipsi & Peregrino huic qui Peregrinatur inter vos.* Ubi *Lex* quidem expressa de *Circumcisione* Proselytorum, cooptandorum in Populum Dei, atque ad sacra Israëlis solennia admittendorum, nulla verò de eorundem *Baptismo* legitur. Huic Loco Alterum junxit *Owenus* in *Theologumenis* p. 427. ex *Deut.* XXI. 10. 11. 12. 13, ubi de *Proselytæ* Admissione agitur, sed nihil de ejus *Baptismo* reperitur. *Fœmina Proselyta*, ita Ille, *Circumcidi nequibat. In ejus ideo admissione, si ullubi, Baptismi ratio habenda erat: Ast ubi Ceremoniæ illius admissionis & in Populum Dei insitionis recensentur, Baptismi nulla mentio est.* Neque etiam *Exemplum* extat in Scripturâ Baptizati Proselyti. *Sichemitis enim* cum Jacobi familia unam in Civitatem coituris Circumcisionem imperatam fuisse, meminimus, Baptismum non legimus, inquit *Werensdorffius*, §. XXVIII. In *Versione Æthiopica*, ad quam provocat *Buddeus* § 75, ejus quidem fit mentio, ubi Verba ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον *Matth.* XXIII. 15. transferuntur, *ut* Baptizetis *unum Proselytum*: sed *Versio* est, de cujus Antiquitate etiam dubitant Viri Docti; nec aliud quid ex illâ sequitur, quàm quod tempore Auctoris hujus Versionis, qui non diu fortè, attamen post ævum Apostolicum & Excidium Hierosolymæ, vixisse creditur, Baptismus aliquis Proselytorum in usu fuerit apud Judæos dispersos.

XVI. Argumentum hoc ex *Silentio Scripturæ* petitum non valet quidem simpliciter, nec in *Omnibus* rebus scitu

creditu factu ad salutem haud necessariis: ut sunt Canæ Antiquitatis Gesta, Consuetudines, Ritus & Artes. Quare etiam subscribere verentur multi Argumento illi pro Arte Scriptoriâ Mosis demùm ætate cœptâ, quod petitur ex *Silentio* ejus, ut qui nullibi in historia Patriarcharum artis scribendi mentionem fecit. Attamen valet hoc Argumentum in *Aliquibus* rebus, nec rejici debet semper, nisi & ipsum Paullum ex *Silentio* Scripturæ argumentantem in Epistola ad Hebræos, *Cap.* I. 5. rejicere velimus. Scilicet ubi Dogmata vel Præcepta *necessariò* credenda vel præstanda inculcantur, meritò ad Scripturæ, Perfectissimæ credendorum & faciendorum Normæ, *Silentium* provocamus. Atqui hic Baptismus Proselytorum, si Judæos audiamus, Ritus est, qui in utroque sexu, inde ab initiis Reipublicæ Israëlis, fuit *Necessarius*; ita ut Circumcisus, & *non Baptizatus* Advena, pro vero Proselyto neutiquam agnosci debuerit.

XVII. Vim Argumenti hujus persentiscentes Christiani pariter ac Judaici Doctores, *Traditionem* Majorum, quam aliàs scriptæ Legi æquiparare, imo præferre non dubitant occœcati Judæorum Magistri, *Biblicis* Argumentis fulcire dudum conati sunt; Verùm adeò longe petitis partim, atque ineptis, partim quoque perridiculis, ut vel ex iis constare queat desperata ipsorum Caussa, si scriptæ Legis auctoritate standum heic aut cadendum sit. Supra §. IV. vidimus, Magistros Judæorum, ut Antiquitatem Ritus hujus probarent, audacter & nugaciter simul asserentes, Filiam Pharaonis sese lavasse in Rivo Exod. II. 5, ut Religioni Hebræorum initiaretur, & *Proselyta* fieret. Quod sanè adeò ludicrum est, ut refutationem seriam haud mereatur, & verissimum comprobat illud *Claudiani*; *Qualiacunque voles Judæi somnia vendunt.* In eadem quoque §. IV. audivimus *Ligtfotum* dicentem, se *primum usum Baptismi*, ad Proselymum scilicet, *Patriarchæ Jacobo adscribere*, qui, *Ethnicos cooptaturus in Familiam suam*, injunxit illis *Baptismum* Verbo

bo והטהרו & *Mundamini Gen.* xxxv. 2. Sed errat Vir Doctus, quia Jacobus non solùm extraneo famulitio, sed & toti suæ familiæ, Uxoribus & Filiis suis hoc *Purificationis* Mandatum dedit. Ut adeo non fuerit hic Baptismus *Initiationis* & transitus in Ecclesiam veram, quæ tunc temporis etiam ad solam Israelis Domum non erat restricta; sed *Pœnitentiæ* & *Præparationis* ad *Cultum* Dei Israëlis solennem, ad novum *Altare* Bethleemiticum Ipsi deferendum, uti liquet ex *vers.* 1. 3. 4. 7. Aliud ergo ex Concilio Talmudicorum produxit Argumentum Scripturarium *Maimonides*, ut Ritum hunc *antiquum* non modò, sed & *Divinitus institutum* probaret; nempe ex *Exod.* xix. 10. 14. *coll.* cum *Num.* xv. 15, 16. quod supra quoque §. iii. à nobis descriptum est. In Posteriori Loco ex *Numeris* legitur ככם כגר יהיה לפני יהוה *sicut vos ita Peregrinus erit coram Jehova*; id est juxta *Maimonidem*; sicut *vos intravistis in Fœdus*, sic & *Proselytus* per omnia secula *intrare debet* in *Fœdus* Sinaiticum. Sed Israël intravit in Fœdus illud; non solùm *Circumcisione*, quæ neglecta fuerat in Ægypto, sed à Mose imperata & procurata *Exod.* xii. 48; neque tantùm *Oblatione* seu *Sacrificio* juxta *Exod.* xxiv. 5, verùm etiam *Baptismo*, de quo in Priori *Exodi* Loco legitur hunc in modum *Vers.* 10. *Et dixit Dominus ad Mosem, Vade ad Populum*, וקדשתם & Sanctifica eos *hodie & cras*, וכבסו שמלתם & lavent vestimenta sua: & *Vers.* 14. *Descendit ergo Moses de monte ad Populum*, ויקדש & sanctificavit *Populum* ויכבסו שמלתם & laverunt Vestimenta sua; nempe per ipsius *corporis totius Baptismum*, quod ex mente Magistrorum & Maimonidis addidit *Seldenus* de *Syned. p.* 13.

XVIII. Verùm & hoc Argumentum non stringit. Ponamus enim in *Exodo* agi de Baptismo *Initiationis* & Introitûs in in Fœdus Sinaiticum; Verba tamen Jehovæ in *Numerorum* Loco non inferunt Necessitatem Baptizandi similiter Advenas ex Gentibus, quo initientur Fœderi isti. Statutum enim Dei Israëli & Peregrino *idem* positum in isthoc

isthoc Loco, Universaliter non est capiendum, sed ex Contextu omnino restringendum ad *Sacrificia* & *Holocausta* â Peregrinis pariter ac Israëlitis offerenda; atque ad *Officia* circa Deum & Proximum exercenda, quemadmodum hoc ipse explicare videtur *Seldenus* de J. N. & G. *Lib.* II. c. 4. p. 162. Interim in *Exodo* non agitur de Baptismo *Inaugurali*, quo Fœderi & Religioni Mosaicæ initiarentur Israëlitæ. Hæc enim non erant prorsus *Alia* & *Nova*, a Religione Patrum & Fœdere Abrahamico diversa, nec iis ideo initiari sic debebant, qui jam dudum Veræ Religioni & Fœderi Abrahamico, (cujus *nova* quædam *Dispositio* modò erat Fœdus Sinaiticum) initiati erant. Deinde si Baptismus ille Sinaiticus *Inauguralis* fuisset, cur non æque ac Circumcisio in Posteris repetitus fuit? Fœdus enim illud Sinaiticum non solùm ad Patres Deserti, sed & ad Posteros spectabat, & proinde quoque Fœderis istius signaculum. Quare dicendum est, quod *Baptismus* ille Sinaiticus fuerit Baptismus *Præparationis* ad sacra solennia & ad Auditum Legis ex ore ipsius Jehovæ promulgandæ, a *toto populo* peragendus. Nempe *Sanctificavit* Moses juxta mandatum Dei Populum, id est, jussit ut se *Præpararent* ad Sacra Sinaitica: *tum* per *abstinentiam* ab uxoribus, quod explicationis gratia subjicitur *vers.* 15; *tum* per *Lotionem Vestimentorum suorum*, quod immediatè *vers.* 14. & exegeticè quoque additur. Non loquitur Jehova de *Lotione Carnis* vel *Corporis*, sed *Vestium* modò. Vestimenta verò heic notare *Corpora* est Glossa vetus Christianorum quorundam, *Seldeno* quoque de *Syned. p.* 13. memorata, sed inepta. Nusquam legi de *Lotione Vestimentorum* in Lege Mosis quin connotetur Lotio totius *Corporis*, sententia est Magistrorum, prolixè à *Seldeno* ibidem *pag.* 13. — 17. exposita. Sed Lotio hæc *Carnis* & *Corporis* ab illa *Vestium* accuratè distinguitur *Levit.* XIV. 9, ubi de Leproso; *& ablutis* Vestimentis suis, *lavabit* Carnem suam *aquâ*, *ut sit mundus:* & *Levit.* XV. 13, ubi de Gonorrhoeâ affecto; *& abluet* Vestimenta sua, *dein-*

de lavabit carnem suam *aqua viva*, *ut sit mundus.* Unde colligimus in hoc *Exodi* loco *Vestimentorum* tantum *Lotionem* mandatam fuisse populo. Scilicet Sacra Festis diebus celebraturi *pura veste* utebantur gentiles, quod *Servius* adnotavit ad *Æneid.* L. XII. *Vers.* 169. Unde *Tibullus* L. II. El. I. *v.* 13. *Casta placent superis*, pura *cum* veste *venite.* Hebræi utebantur מחלצות *Mutatoriis Vestibus* in solennitatibus Festivis. Hisce verò cum Israëlitæ in Deserto destituti erant, mandatur illis, ne Festi solennitatem negligere viderentur, ut Vestimenta, per itineris Cœlique injurias sordida, non *mutarent*, sed *abluerent*; sic solenniter sese, quantum fieri poterat, ad Sacra Sinaitica tremenda præparaturi. Etsi enim Vestimenta per se neminem coram Deo profanent, Majestas tamen Dei, æque ac publica honestas inter homines, exigit ut decenter indutus coram facie ejus compareat. Et sic voluit Deus commendare rudi populo ut diligentius vocem ejus observaret; & simul hoc symbolo ipsum docere, accessuros ad audienda & suscipienda Verba sua, *Vestes* non modò puras & corpora proinde quoque non contaminata, sed & *mentes* inprimis puras adferre debere. Denique si velis omnino Lotionem *Vestium* & *Carnis* junctam semper fuisse; hæc *Sinaitica Lotio*, cum *Privatis* fuit mandata, & ab iis exercita, pro Baptismo *Initiationis*, à Viris publicâ auctoritate instructis deinceps per omnia secula administrando, haberi nequit. Unde Clar. *Buddeus*, ut tamen Baptismum talem *Initiationis* in loco *Exodi* mandatum inveniret, confugit ad mandatum *Sanctificandi* populum per biduum integrum, *Mosi* Ministro Dei datum, & a *Mose* executioni datum, ut legitur *Vers.* 10. קדשתם sanctifica eos *bodie & cras*, & *Vers.* 14. *&* sanctificavit *populum.* Sed frustra: Neque enim τὸ *Kiddesch* per se significat sanctificationem per *ablutionem Corporis*, neque ex usu sacro. De *Monte* Sinai hoc ipso Capite *Vers.* 23. adhibetur illud Verbum, qui tamen aquâ non fuit lotus, nec lavari potuit. Quando Josuæ jussit Deus קדש sanctifica *populum hunc*, non mandavit eum *Baptisare* vel

Baptiſmo *Initiare* denuo Fœderi Sinaitico, ſed voluit ut Joſua juberet populo *Præparationem* ſui decentem ad appropinquandum ad Jehovam; quare ſequitur *dicens*, *ſanctificate vos in craſtinum*. *Joſ.* VII. 13. Eodem modo heic juſſit Deus Moſi *ſanctificare* populum, id eſt curare ut populus ſeſe præpararet, *Veſtimentorum Lotione* ſcilicet, quod *exegeticè* additum eſt, ad Auditum Legis ore ſupremi Legiſlatoris pronunciandæ. Certè ſi *Moſis* Miniſterio peragendus fuiſſet ejuſmodi Baptiſmus *Initiationis* totius Populi, *Biduum* illud, per *hodie* & *cras* ſignificatum, in quo etiam præſidium qualecunque Cauſſæ ſuæ collocat *Buddeus*, minimè ſuffeciſſet, imo nec ſeptiduum. Ut adeo concludere liceat ex hiſce omnibus Baptiſmum *Initiationis* fruſtra quæri in hoc *Exodi* loco. Quod alii Talmudici apud *Seldenum* de *Syned. p.* 17. etiam videntur agnoviſſe, quando Baptiſmi *Proſelytorum Originem* adſcripſerunt, non privatæ iſti a ſingulis peractæ lotioni, ſed *ſanguinis fœderalis Aſperſioni*, a *Moſe* factæ, poſt prælectum *Fœderis Librum*, cujus hiſtoria extat *Exod.* XXIV. 7. Tandem; ſicuti *Traditio* Rabbinorum falſa eſt de *Circumciſione*, quâ Legi initiati fuiſſent Iſraëlitæ in Deſerto, ut fatetur *Altingius* de *Proſelytis* §. XXIV. *cum neglectus Circumciſionis Iſraëlitis illius temporis nuſpiam exprobretur:* & *Abrabanel in Comment. Comma illud* (Exod. XII. 48.) *non Iſraëlitas ſed Proſelytos ſpectare aſſerat*; ita & *Traditio* eorum de *Baptiſmo*, quo initiati fuiſſent omnes Fœderi Moſaico, meritò ſuſpecta eſt.

XIX. Ex aliis itaque *Veteris* & *Novi* inprimis Teſtamenti Locis deſperatæ *Cauſſæ* Rabbinorum ſuppetias ferre tentarunt ex Chriſtianis nonnulli Viri Docti. Et quidem Clar. *Buddeus* pro illâ pugnat ex Loco *Ezech.* XVI. 8, 9. *Conveni tecum* in Fœdus . . . . . *Et* lavi *te* aqua, *& ablui ſanguinem tuum deſuper te*, *& unxi te oleo. Lavi te aqua*, eſt juxta *Buddeum*, præcepi Moſi ſervo meo, ut te *ſanctificaret*, & ſic *initiaret* Fœderi meo *aquâ Baptiſmi Initiationis Exod.* XIX. 10. Fateor Dominum in hoc *Ezechielis* Loco reſpicere ad Sta-

Statum populi in Deserto, quem ibi in *Fœdus* Conjugale recepit. Sed loquitur de illo Populo secundum *Fœtus*, rubentis ab utero matris, *allegoriam*, qualis *aqua purgari* a sordibus nativitatis, & *ungi oleo* solebat. Quamobrem τὸ *lavare aquâ*, quod Dominus *sibi*, ut opus *suum* tribuit, non magis *propriè* capi debet quam τὸ *ungere oleo*, sed utrumque *metaphoricè* intelligi. Ita ut illud, *lavi te aquâ* non significet Baptismum *Fluminis* proprie dictum, sive *Initiationis* sive alium quemcunque, sed *Luminis* ac *Flaminis*: quemadmodum hoc ita explicatur per illud sequens, & *unxi te oleo*, *Doctrinæ* nempe Salutaris & Gratiæ *Spiritus Sancti*. Mitto nunc quod idem *Doct. Buddeus* in *Dissert.* de *Antiquitate Bapt. Initiat.* §. 46. & 47. pro *Baptismo Proselytorum* tempore *Davidis* ac *Salomonis* juxta Traditionem Rabbinorum usurpato, adduxit, ut probabile saltem argumentum, ex Nomine Levitæ cujusdam טבליהו *Tebalja* 1. *Chron.* XXVI. 11, id est *Deo per Baptismum initiati*, ex quo conjicit Baptismum *Initiationis* tunc temporis *non fuisse ignoratum*. Nam hoc admodum conquisitum est, quia Levita ille à *Baptismis Leviticis* variis, de quibus *Heb.* IX. 10. longè probabilius sic dictus videtur, quam ab *Initiante Proselytorum* illo. Neque enim Ille Ipse ex *Meraritis* oriundus Baptismo ut *Proselytus* Religioni Mosaicæ initiatus fuit.

XX. Itaque ex Loco uno atque altero *Novi Testamenti* succurrere Rabbinis maluerunt *Altingius* & *Seldenus*, quorum vestigia Alii quidam presserunt. Et quidem Clar. *Altingius Hept.* VII. *Dissert.* VII. de *Proselytis*, §. XXVI. adduxit locum ex *Epist.* ad *Hebr.* Cap. VI. 1. 2. Διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον, ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα· μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, καὶ πίστεως ἐπὶ θεὸν, βαπτισμῶν διδαχῆς, BAPTISMORUM DOCTRINÆ, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, ἀναστάσεώς τε νεκρῶν, καὶ χείματος αἰωνίου. Ubi per βαπτισμῶν διδαχὴν intelligit *Doctrinam Gemini Baptismi*: *tum Sinaitici*, qui institutus esset a Deo *Exod.* XIX. 10, ut per eum *Israelitæ* tunc temporis viventes

 pro

pro se & omnibus Posteris, & ut postea per similem Bapmum omnes & singuli *Gentiles Proselyti Initiarentur Veteri* Fœderi & Religioni Mosaicæ: *tum Christiani*, per quem *Judæi* pariter & *Gentiles* in *Novum* Fœdus, promissum *Jer.* XXXI. 31. transire & intromitti debebant. Ad quam exegesin *Altingii* observo; quòd longe probabilior sit sententia *Cocceji*, qui existimat, quòd Paullus quidem in illo Loco ad *Geminum Baptismum* respexerit, sed *Christianum. DUO autem*, ita scripsit Celeb. Interpres, *sunt hi Baptismi.* Unus Johannis, *qui credentibus Christi adventum obsignabat remissionem peccatorum*, & *promissionem*, *quòd Christus ipsos baptizaturus esset Spiritu Sancto.* Alter Baptismus *est is quem Christus imperavit Discipulis*, *postquam resurrexisset ex mortuis*, *jubens ut Evangelium prædicarent omni creaturæ*, & *nominatim testarentur Christi Resurrectionem ex mortuis*, *ac gentes baptizarent in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Certè hujus *utriusque Baptismi Doctrina*: Si constituatur; quantum attinet Illum *Johannis*, in Prædicatione *Adventus* Filii Dei *in Carnem*; & quantum attinet Illum *Discipulorum Christi*, in Prædicatione *Resurrectionis Ejus* ex mortuis, quod placet Cl. *Coccejo*: Vel etiam si ad illam *Doctrinam* referatur prævia & paullò latior Institutio Baptizandorum de utriusque Baptismi *Institutione Divina*, *Virtute*, *Necessitate*, *Significatione*, &c. magis pertinet ad τὸ θεμέλιον FUNDAMENTUM, seu ad prima & fundamentalia Christianismi Capita, ad quæ hi Baptismi a Paullo referuntur; quàm Baptismus Proselytorum Judaicus, hujusque Institutio ad radices montis Sinai, si Rabbinis credamus, Divina. Imo hæc Sententia Cl. *Cocceji* magis adhuc probabilis fiet, si statuamus cum *Calvino*, *Piscatore*, *Markio* in *Exercit. Biblic.* XLVI; hæc verba, *Baptismorum Doctrinæ*, *impositionis manuum*, Parentheticè per Appositionem ad Declarationem præcedentium esse adjecta. *Hæc præcedentibus incisis anneEtuntur per Appositionem*, inquit *Piscator*, *quasi dicat*, *Quæ* Doctrina *solet Catechumenis tradi*, *antequam* baptizentur, *vel* manuum

nuum impositione *in fide Christiana confirmentur.* Ita est. Doctrina *Resipiscentiæ ab operibus mortuis:* id est, *tum* à *Peccatis* omnibus, quæ; instar Cadaveris humani, quod contactu suo immunditiem legalem adferebat, & separabat Israëlitam à Communione & cultu Dei *vivi* in Sanctuario; separant hominem à Communione Dei salutari; *tum* etiam ab *Operibus Legis* omnibus, cum persuasione meriti ac Justitiæ propriæ vanâ factis, & in quibus deest *anima Fidei* in Christum sponsorem: Hæc, inquam Doctrina *Resipiscentiæ* ab his *Operibus mortuis*, unà cum Opposito Mandato *Fidei in Deum*, nempe Divinum Sospitatorem Christum, *Jehovam Justitiam nostram:* inculcabantur a *Johanne Baptista* cunctis ad Baptismum suum accedentibus, ut manifestè patet ex *Matth.* III. 6. 11. *Marc.* I. 4. 5. *Joh.* I. 29. 34. *Act.* XIX. 4. 5. *Dixit autem Paulus, Johannes quidem Baptizavit Baptismo Resipiscentiæ, dicens populo ut in eum, qui venturus erat post ipsum, crederent, hoc est in CHRISTUM JESUM. Qui verò audierunt* (Johannem nempe) *baptizati sunt in nomen DOMINI JESU.* Similiter hæc Doctrina *Resipiscentiæ* & *Fidei* in *Deum*, verum ac Triunum, & Divinum proinde Mediatorem, à Discipulis Domini post Resurrectionem Ejus proposita fuit Baptizandis, ut liquet ex *Matth.* XXVIII. 19. *Luc.* XXIV. 47. *Act.* II. 38. 41. .. VIII 37. XVI. 31.

XXI. Alii verò cum Doctissimo *Seldeno* Rabbinorum Traditionem atque Interpretationem confirmare conati sunt ex alio Loco Paulli, qui extat 1. *Cor.* X. 1. 2. atque ita sonat. *Nolo autem vos ignorare, Fratres,* ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν· καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον· καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, *quòd Patres nostri omnes sub Nube* (*Beza*, sub *illá* Nube) *fuerunt, & omnes per mare transierunt. Et omnes in Mosen baptizati sunt in Nube & in Mari.* Hisce verbis Paullum ad *Baptismum Patrum*, ante Legis in Sinai promulgationem *Exod.* XIX. mandatum respicere volunt. Loquitur enim de *omnibus Patribus nostris*, qui in *Deserto* vixerunt, *vers.* 1. 5; &

 tri-

tribuit illis *Baptismum*, non Immunditiei sæpe repetendum, sed *Initiationis* illum, quo *omnes* simul baptizati sunt *in Mosen*, seu in Mosaicam Legem, quod *apprimè consonum* esse, dicit *Seldenus*, l. c. p. 24, *notioni Ebræorum*, *quâ in receptionem Legis Baptismum illum adhibitum tradidère*. Hunc porro Baptismum factum esse dicit Paullus ἐν τῇ θαλάσσῃ *in Mari*, id est, juxta *Seldenum*, in *Aquis* simpliciter, seu in *Conceptaculis* qualibuscunque Aquarum, quæ totius corporis Immersioni inservire poterant. Notum enim est, quod Hebræi ים *Mare* pro *Conceptaculo* quocunque Aquarum ponant 1. *Reg*. VII. 23. 2. *Chron*. IV. 2, & quòd à Græcis θάλασσα pro מים *Aqua* ponatur *Psalm*. LXIX. 3. Neque obstaret putat *Seldenus* huic sensui quod Paullus adjecit, *& omnes per Mare transierunt*. Nam, inquit, quicquid *immergitur* in aquas atque *lotum eximitur*, recte satis dicitur *eas pertransire*, tametsi, à ripa aut litore ad ripam aut litus non transeat, coll. *Num*. XXXI. 23. Et denique quia hic Baptismus Initiationis Sinaiticus, per cuncta secutura secula observandus, non expressis Scripturæ Verbis nitebatur, ut ipse transitus Populi per mare Rubrum, sed *receptâ Interpretatione Majorum*, compluribus *ignorata*; hinc juxta *Seldenum* præmisit illud Paullus; *Nolo autem vos* ἀγνοεῖν ignorare *fratres*. Qui tamen Vir Eruditissimus modestè addidit, se *nihil definire*, *nec contendere velle*. Apparet autem ex Viri hujus Doctissimi super hoc Loco Dissertatione; quòd *Nubis* mentio à Paullo addita ipsum tenuerit aliquatenus impeditum atque incertum, quo sensu Apostolus *omnes Baptizatos* dixerit *in Nube & in Mari*; & quòd aliam semet ipsum expediendi viam invenire haud potuerit quàm ut cum G. *Vorstio* in Notis ad *Pirke* R. *Eliez*. p. 240. dicat, *in Nube baptizari*. idem esse Apostolo ac *beneficio Nubis*, instar muri castra Israëlitarum cingentis, TUTÒ *baptizari*, ut quæ *Nubes* omnes extra castra sese lavantes ab insidiis & incursionibus hostium *tutos* præstabat. Verùm: *quia* valde incertum est, imo parùm probabile, Columnam Nubis & Ignis toto tempore com-

commorationis Populi in Deserto, illis qui extra castra versabantur protectionem adversus hostes præstitisse; quoniam si hoc obtinuisset capi nequit, quomodo Amalekitæ ultimum agmen Populi carpere potuerunt, atque debiliores in Raphidim occidere *Exod.* XVII. 8. *Deut.* XXV. 17. 18: Deinde *quia* Paullus antea *Vers.* 1. dixit *Patres omnes* ὑπὸ τὴν νεφέλην fuisse, & *Vers.* 2. mutatâ phrasi subjunxit, *Omnes in Mozen Baptizatos* esse ἐν τῇ νεφέλῃ, eodem sensu quo ἐν τῇ θαλάσσῃ baptizatos affirmavit: Et denique *quia* exinde manifestum evadit, *Nubem*, æque ac *Mare*, ad *Materiam* Baptismi istius, de quo Paulus loquitur, pertinuisse: *Hinc* Alii aliam hunc Locum interpretandi viam ingressi sunt, eidem tamen scopo inservientes, ut nempe Talmudicos cum Paullo concilient; dum per *Mare* intelligunt *Edomiticum* illud, & per *Nubem*, *Aquam* seu Vapores ex Mari Rubro sublevatos, atque ex *Nube* illâ *Maxima*, aquâ Maris istius gravidâ, postea decidentes, ut inservirent *Baptismo Initiationis* Populo integro ad radices montis Sinai divinitus mandato *Exod.* XIX.

XXII. Sic videmus quid Servitus hypothesios atque nimium in Traditiones Talmudicas studium valeat, etiam in Viris ingenio & eruditione præclaris, ad torquendam Scripturam sacram ad sensus à mente Scriptoris divinitùs afflati alienissimos. Tam certum est mihi quam quod certissimum, Paullum his Verbis non respexisse ad Illud quod ad montem *Sinai* mandatum & factum est, de quo *Exod.* XIX. 10. 14; sed ad Illud quod contigit in *Mari Rubro*, & quod narratur à Mose *Exod.* XIV. 19.-29. Ingenuè hoc fassus est Cl. *Altingius* in *Diss.* de *Proselytis* §. XXIV., quando scripsit; *Alium* fuisse hunc Baptismum de quo Paullus, *qui populo mysterio hujus nescio collatus fuit*; ab eo *qui à Populo conscio susceptus est* in *Sinai.* Quod & manifestum fiet si ad sequentia ritè attendamus.

XXIII. 1. Loquitur Paullus de *Mari* in singulari, & quidem emphaticè de *Illo* mari (bis repetitur articulus ΤΗ, sanè non sine emphasi) nempe *Edomitico*, ex historiâ Mosis satis noto. Sumatur alibi *Mare* in singulari pro *Labro æneo*,

uno

uno aquarum conceptaculo, pro *pluribus* tamen & distinctis conceptaculis nusquam ponitur; qualia inservire debuerunt Lotioni totius populi ad montem Sinai. Hæc verò Sinaitica aquarum Receptacula, quæ tunc adhibita fuerunt, à Paullo appellari *Mare*, & quidem *Illud*, Rubrum nempe, quia, ut volunt Alii, *Aquis ex Mari illo* extractis, & in *Unam Nubem magnam* collectis, atque ex illâ delapsis, repleta fuerint; Conjectura mera est, nulla probabili ratione nixa. II. Loquitur porro Paullus de *Baptismo* Patrum *Miraculoso*, Divinâ manu administrato, ad quem Patres sese passivè habuerunt, ut qui *Baptizati* dicuntur, non activè semetipsos baptizantes quoque. Duo enim Extraordinaria Sacramenta Divinæ Gratiæ conjungit Apostolus; quorum Alterum, nimirum *Mensa* coram Patribus, ex *Cœlesti Pane* & *Aqua* ex *Petra*, apparata, cum *Miraculosum* certè fuit; Idem de Altero, nempe *Baptismo in Nube* & *Mari*, statuendum videtur; ut sic major inter Utrumque analogia sit, & concinnior utriusque in sermone Pauli conjunctio. III. Loquitur amplius Apostolus de *Baptismo* Israëlitarum, qui *præcessit* Esum Mannæ & Potum Aquæ ex Rupe: quod meritò colligitur ex *ordine* quo hæc in sermone Paulli collocantur, nempe *ante* illum Esum & Potum. Ita enim pergit ille *Vers.* 3. 4. *Et omnes eandem escam Spiritualem edisse. Et omnes eundem potum Spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente Spirituali Petra: Petra verò illa erat Christus.* Sed Baptismus ille Sinaiticus de quo *Exod.* XIX. *sequutus* fuit hunc Esum & Potum, uti apparet ex historia *Mannæ* & *Aquæ* ex Petra, de quâ *Exod.* XVI. 14. XVII. 6. Cujus Argumenti vim frustra effugere conatur *Doct. Buddeus*, §. 13. 17. dicendo, quod per *Spiritualem Escam* & *Potum* & *Rupem sequentem*, non intellexerit Paullus *Mannam* & *Aquam* & *Rupem Deserti corporalem*, sed *Christum* ipsum, Angelum illum qui continuò *comitabatur* castra, & *Verbum Dei*, quod animæ est Pabulum, & sic *Spiritualis* Cibus & Potus; & quidem *Idem* numero (τὸ αὐτὸ βρῶμα, τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικόν)

κὸν) quod τὸ ἀυτὸ, *Idem*, ad *Mannam & Aquam elementarem perperam accommodari dicit*. Frustra, inquam, quia *Spiritualia* hæc cuncta dicuntur, non Natura suâ sed *Significatione*, uti dudum ab *Augustino* in Psalm. LXXVII. observatum est, quia aliud corporeis oculis, aliud vero menti objiciebant cogitandum cognoscendum ac credendum. Et hoc sensu *Petra* deserti, (cujus Aquæ in *Rivo* ex ea profluente, *sequebantur* populum *Psalm*. CV. 41, etiam ex mente Hebræorum & Chaldæi Paraphrastæ apud *Bezam*) dicitur fuisse *Christus*, quia Typus & Imago ejus fuit. Quamobrem quoque τὸ ἀυτὸ βρῶμα τὸ ἀυτὸ πόμα dixit Paulus, quia licet *Symbolum* erat diversum, Res significata tamen *Eadem* & Illis Nobiscum Communis *Heb*. XIII. 8. IV. Quemadmodum ex *Historia Mosaicâ Exod*. XIV. 19. 20 21. 22. τὸ *Esse sub Nube*, nempe *Columna* illa *Nubis* celebri, & *Transitus per* Mare conjunguntur ab Apostolo; sic etiam hæc arctissimè ab Ipso conjunguntur cum *Baptismo* in Nube *illa* & Mari *illo*. Copula enim καὶ *utrobique*, ut & Articulus non sine emphasi, repetuntur *Vers*. 1. & 2. *Baptismus* ille igitur in *Nube* & *Mari* eodem temporis *momento* simul & *semel* administratus est toti Populo, quo hic *transivit* Mare Erythræum, nec unquam *repetitus* est. Quod observari velim quoque contra eos, qui cum Doct. *Hasæo* in *Biblioth. Brem. Class*. IV. *Fasc*. VI. *Diss*. III. *pag*. 1024. 1025, *Baptismum* Israëlitarum, de quo Paullus hoc in Loco, factum statuunt, non solùm *in ipso* Maris *Transitu*, sed etiam & præcipuè ad *Montem Sinai*, imò in *toto itinere Deserti*, quando guttis, quæ *desuper ex Nube illa decidebant*, *adspergebantur* (quod tradunt Rabbini, narrat Josephus *Ant*. III. 8. & confirmari videtur ex *Psalm*. LXVIII. 8. 9. 10. *Jes*. IV. 4: 5. Plures tamen in dubium trahunt, & Loca illa aliter interpretantur) imo *rorulentâ illa Nube undique cincti* ac *quasi involuti essent*: ut loquitur *Hasæus*. Baptismus in *Nube* & *Mari* est *unus idemque* Baptismus Paullo, uno eodemque tempore factus & semel, nunquam postea, ut dixi, repetitus. V. Loquitur tandem Apo-

 posto-

postolus de *Baptismo* εἰς τὸ Μωσῆν, id est: Vel *per Mosem* facto, ejusque Manu & Ministerio; quod convenit *magis* huic Baptismo in *Mari Edomitico*; quod ad *extensionem manûs* Mosis, & ad *elationem baculi* ejus *fissum*, & in siccum redactum est *Exod*. XIV. 16. 21. 26; *quàm* Baptismo *Sinaitico*, qui ab *ipso Populo*, ad *mandatum* modò Mosis, peractus est: Vel potius *in Mosem* seu ad Confirmationem *Doctrinæ* & *Missionis* ejus *Divinæ*. Quando iterum ducimur ad Baptismum in *Mari Rubro*, quia miraculoso hujus Maris Transitu Missio Mosis à Jehova, ut & omnis Doctrina ejus valdè confirmata fuit, sicuti legitur *Exod*. XIV. 31. *Quum autem vidissent Israëlitæ Opus illud maximum, quod edidit Jehova contra Ægyptios, timuerunt Populus ipse Jehovam, crediderunt que Jehovæ & Mosi servo ejus.*

XXIV. Sed, inquit *Seldenus*, Constitutio hæc *sub Nube* & *Transitus* per *Mare Rubrum* satis *nota* erant Corinthiis ex Judæis & Gentilibus Conversis: Paullus autem loquitur de Re Vulgo *non Cognita*, quando ita præfatur; *Nolo autem vos ignorare, Fratres*. Respondeo: Sensus Præfationis hujus est quem *Grotius* indicavit: Nolo vos esse *Immemores*. *Nam*, inquit, *legerant isti Corinthii Libros V. T. sed non omnia memoriâ retinebant, nec omnium sensum reconditiorem intelligebant. Sic* ἀγνοεῖν *sumitur Rom*. VI. 3. & VII. 1. Si verò supponat hæc *Præfatio*, Rem, de quâ agit Apostolus, *compluribus ignoratam* fuisse; Respicit: Non ad *Miracula* ipsa in *Nube* illâ & *Mari* patrata, ut quæ ex Mosis historia satis erant cognita: Neque ad Rem aliquam ex *Cabbala* Judaica occulta prolatam, v. g. ad *Baptismum Initiationis*, ad Montem *Sinai* mandatum, ut seculis secuturis omnibus in Proselytis ex Gentibus repeteretur; quia eam sic magis involvisset profectò hoc suo sermone Paullus, nec *ignorare* sed *scire* noluisset Corinthios, adeò obscure de eâ disserens, ut vix perspicacissimi cum *Seldeno* latentem hunc sensum videre ac eruere potuerint: Sed Respicit ad *Typicam* Miraculorum illorum *Significationem* & *Convenientiam*, quam habent

bent cum nostro *Baptismo* & *Eucharistiâ*. Cujus *Mysticæ* significationis respectu utrumque illud Constitutionis sub *Nube* & *Transitûs* per *Mare* Miraculum meritò comparavit Apostolus cum *Baptismo nostro;* sicuti etiam Petrus 1. *Pet.* III. 20. 21. ob similem aliquam analogiam eundem Baptismum nostrum cum *Aquis Diluvii* contulit. Nempe hoc erat quod non æque feliciter ab omnibus intelligebatur. Mysticos Legis sensus haud assequebantur Omnes. Et Typos Propheticos V. T. indicare ac declarare, id, post Prophetarum defectum, & fidelium Israëlis Pastorum abscissionem, id inquam Christi erat, & infallibilium Apostolorum Ejus. Quædam Prophetia quidem semetipsam explicat, verùm *non Omnis*, non Typica, est ἰδίας ἐπιλύσεως *propriæ intepretationis* 2 *Pet.* 1. 20. id est, semetipsum interpretatur, sed Christo & Auctoribus N. T. eam indicantibus sciri demum potest.

XXV. Ast, ait *Buddeus;* Si in his vocibus *Vers.* 2, *in Nube & in Mari baptizati sunt*, *eadem Nubes gloriæ* & *Idem Mare Rubrum* intelligantur; de quibus dicitur *Vers.* 1. quod *sub illâ* fuerint & hoc *transierint;* per *inanem tautologiam* Idem prorsus diceretur in Versu *secundo* quod in *Primo* jam dictum erat. *Unde* per Nubem & Mare baptizari *commode dicuntur illi*, *qui aquis pluviarum fluminumque imbuuntur maritimis*, ut nempe factum est ad Montem Sinai. Ita scribit *Buddeus* §. 8. 11. & confert Loca *Psalm.* LXVIII. 9. 10. LXXVIII. 15. 16. *Exod.* XVII. 6. *Amos.* V. 8. IX. 6. additque, *elegantiam haud contemnendam* sic esse in sermone Pauli, si *per antanaclasin eadem vox in diversis propositionibus proxime se consequentibus diversos induat sensus.* Sed sapienter respondit Buddeo *Wernsdorffius* in *Disp. de Bapt. Christian. Origine merè Divina* §. XXII. XXIII. XXIV; esse *Incrementum* quoddam sermonis Apostoli in *Versu secundo*, ubi non modò *Mare* Rubrum *transiisse* Patres, sed & aquis ejus *circumcirca inclusos* & *quasi mersos* fuisse memorat; imo Apostolum ab *Historia* ad *Typum* transire, & quid per Miracula illa *adumbratum* & *significatum* fuerit ostendere. Recte: hoc indicavit Paullus *Vers.* 2.

Mansionem illam Israëlis *sub Nube*, & *Transitum per Mare*, Extraordinarii *Sacramenti* rationem habuisse, & *Similitudinem* ac *Convenientiam* cum nostro ordinario N. T. Sacramento primo, *Baptismo*.

XXVI. Et certè *Similitudo* & *Convenientia* Miraculorum horum in *Nube* & *Mari* cum *Baptismo* nostro varia & satis concinna est. Discrimen quidem haud exiguum est si *Administrationem* spectes. Noster enim Baptismus ab *hominibus* administratur, Ille vero in *Nube* & *Mari* a *Deo* fuit peractus; dum Moses extensâ manu & sublato baculo Mare non aliter fidit quàm ut Caussa moralis, ad cujus præsentiam Deus operatus est. Sed *Convenientia* alia heic multiplex datur: *Tum* in *signo* externo *Aquæ*, quæ in nostro sacramento est quælibet obvia, sed in illo Veteri fuit *Aqua Maris*, ab utroque latere cingens populum, & *Nubes aquea* desuper illum obtegens: *Tum* in *Immersione* potius quam *Adspersione*, de quâ mox paullò latius dicam: *Tum* in *Re significata*, quæ in Baptismo nostro est Gratiæ & Gloriæ Christi Communio *Rom.* VI. 3. 4. 5; & quæ eadem fuit in *Baptismo* illo Israëlis *in Mari* & sub *Nubis Columna*; quo significabatur in Communione Christi, per *Nubem illam* Gloriæ præfigurati, & in eâ operantis tunc, Fideles omnes habere Protectionem potentissimam *Jes.* IV. 5. 6, tutosque vivere in mediis Calamitatum & Mortis ipsius Aquis, ex eis *emersuros* certò: *Tum* in *Fine*, qui in *nostro Baptismo* est *Confirmatio* Fidei nostræ, & *Obligatio* ad Perseverantiam in illâ, & ad reliqua omnia Fœderis Gratiæ *Officia* præstanda; & qui idem *Finis* fuit *Baptismi Patrum*, qui *Baptizati* ideo dicuntur à Paullo *in Mosem*, id est Doctrinæ Mosis Confirmationem, ut crederent Jehovæ, & *Mosi Servo* ejus, omnemque Obedientiam sinceram Legi ejus præstarent: *Tum* denique in *Adjuncto Inefficaciæ* ad salutem absque Fide & Resipiscentiâ; scopus Pauli est docere, quòd externa signa Gratiæ nec semper nec omnibus utentibus iis conferant ipsam salutarem Gratiam; & speciatim quòd Baptismus & Cœna salutem non efficiant;

quod

quod probat ex hisce analogis Deserti Sacramentis extraordinariis, quorum quidem omnes Israëlitæ Participes facti sunt, in quibus tamen omnibus Beneplacitum non habuit Deus, *Vers.* 5, 6: *Tum* tandem in *Subjectis*, qui etiam *infantes* fuêre, ad quos ideo extenditur meritò quoque Baptismus noster. Neque tamen iidem ad Cœnam pariter sunt admittendi quia Mannæ & Aquæ ex Petra fuerunt participes in Deserto. Paullus enim contra hanc Infantium Communionem palam præscripsit 1. *Cor.* XI. 28. *Exploret autem quisque se ipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo ille bibat:* cum nullibi infantes excludantur a Baptismi Participatione.

XXVII. Urget denique *Buddeus* §. 7. propriam notionem Verbi βαπτίζεσθαι, quæ est *adspergi* vel *immergi aquis*, & quæ retineri nequit, si Baptismus hic Israëlitarum statuatur factus in *Maris Rubri Transitu*; quia hoc Mare *sicco pede* *Exod.* XIV. 16. XV. 8. 19. *Jos* II. 10. IV. 23. transierunt, ergo & *Corpore* reliquo, ait, additque, *Columnam Nubis nunquam eos humectasse aquis.* Verùm phrasin illam, *sicco pede* transiisse, non lego in Locis adductis, nec in aliis *Neh.* IX. 11. *Psalm.* LXXVIII. 13. CVI. 9; & si legeretur illa, non tamen nimis rigidè sumi deberet. Non desunt qui cum *Estio* judicant, credibile esse, Israëlitas etiam guttis, tum ex aquis maris hinc inde qua transibant in altum erectis, tum ex Nube supra ipsos expansa decidentibus, fuisse nonnihil *Aspersos.* Sed *Immersos* potius fuisse dicerem, sine *Ablutione* tamen ejusmodi, quæ in Baptismo Christiano per Immersionem facto locum habet. *Nubes impendebat eorum capiti*, inquit *Grotius*; *sic & aqua iis qui baptizantur: Mare circumdabat illorum latera; sic & aqua eos qui baptizantur.* Et sic *quasi* baptizati sunt. Similiter *Maresius*, in *Syst.* de *Sacram.* in *Not.* ad §. XXXIII. *Cum enim haberent maris aquas ab utroque latere, & tegerentur protegerenturque Nube, quæ fulminabat in Ægyptios, videbantur quadantenus demersi in aquas, & aliquid pati* analogum *immersioni baptismali Christianorum.* Egregie *Wernsdorffius* §. XXI. *Num.* 4. & 5. *Quum è Scriptura* con-

constet, τὸ βαπτίζειν *etiam pro nuda* aspersione *sumi*, *quid impedit*, *quominus nubem quoque aquosam*, *vel rorulentam*, *suis aquis aspersisse Israëlitas existimemus? Si hoc non allubuerit*, *urgeo*, τὸ βαπτίζειν, tropicè *idem esse*, quod cingi, obrui, implicari, involvi. *Sic apud Plutarchum in Galba*, βεβαπτισμένον ὀφειλήμασι εἶναι, *idem est*, *quod coopertum esse ære alieno:* βαπτίζεσθαι τῶν πραγμάτων, *idem quod obrutam esse negotiis*, βαπτίζεσθαι πόνοις ὑπερβάλλουσι, *laboribus supra modum implicitum esse.* Βαπτίζεσθαι *igitur* ἐν τῇ νεφέλῃ, ἐν τῇ θαλάσσῃ *idem est*, *quod* involutum *esse nube*, *circumdatum esse aquis marinis. Quod quidem evenisse Israëlitis*, *certissimum est. Mare enim consistebat a dextris & à sinistris Exod.* XIV. 22. *adeoque* cingebat *eos*, *qui per medium illud pertransibant*, & ab aquis maritimis, in altum surgentibus, *velut* cooperiebantur. *Fuit etiam Fundus maris rubri haud dubie satis profundus*, ita, *ut* descendentes *in illum*, mergi *aquis*, ascendentes *ex eodem ad littus* emergere *viderentur. Quod porro ad nubem attinet*, *illa haud dubie altius se demisit*, *universumque agmen Israëlitarum involvit.* Vide quoque, si placet, *Gatakerum* in *Advers. Misc. Posth. Cap.* IV. in fine. Ex quibus omnibus concludo, Paullum in hoc Loco neutiquam confirmare *Traditionem Rabbinorum* de Baptismo *Initiationis* ad montem Sinai mandato. Et quia Baptismus in Mari illo miraculosus fuit, a Deo administratus ipso, & Homini non imitabilis, ideo sub Præceptum illud *Num.* XV. *sicut vos*, *sic Proselytus*, non cadit. Quare & nullus Rabbinorum ad hanc Baptismum in Nube & Mari provocavit, ad cujus similitudinem postea omnes Proselyti Mosis Legi initiari deberent.

XXVIII. Tertiò, non solùm ex Silentio Veterum & ipsius Sacræ Scripturæ argumentantur contra Usum Baptismi Proselytorum apud Judæos *ante tempora Christi* & *Johannis*; Verùm etiam *Scripturam N. T.* isti jactatæ Antiquitati *repugnare* dicunt. Huc inprimis spectare putant Judæorum *Interrogationem* illam, quæ legitur *Joh.* I. 25. *Cur ergo baptizas*, *si tu non es Christus ille*, *neque Elias*, *neque Propheta*

ta ille? Mirantur, inquiunt, Legati Judæorum Baptiſmum *Initiationis*, in quo Signum eſt Mutationis Vitæ & Morum, ac Tranſitus ad novum Statum, Profeſſionem & Societatem; qualis erat Baptiſmus Johannis: & ſupponunt, ejuſmodi Baptiſmum *Initiationis* nullum antea in Gente Judaicâ locum habuiſſe, nec uſurpandum eſſe ante Apparitionem Eliæ, & *Meſſiæ*, quem tamen à *Propheta* illo venturo ineptè diſtinguunt. Quæ Hypotheſis Leviticorum Sacerdotum de Baptiſmo *Initiationis*, præſente Meſſia demum inſtituendo, ortum traxiſſe videtur præcipuè ex Oraculo Prophetico *Ezech.* XXXVI. 25, quod ex Rabbinorum Gloſſis apud *Raymundum Martini* in *Pug.* Fidei, *Part.* III. *Diſt.* III. C. XIII. conjiciunt. Imo ad Opinionem hanc Judaicam; *Baptiſmum Initiationis* quo declaratur tranſitus ad novum Statum, Profeſſionem, ac Religionem, apud Judæos eſſe *Signum Meſſiæ* vel præſentis vel proxime apparituri; reſpexiſſe Johannem exiſtimant cum dixit, *ſed ut MANIFESTUS FIERET ISRAELI, propterea veni ego, BAPTIZANS AQUA*, *Joh.* I. 31. *coll. Actor.* XIII. 24. 25.

XXIX. Huc quoque refertur ab Illis *Ignorantia* Doctrinæ *Regenerationis* in Nicodemo, *Doctore* Iſraëlis, acriter à Domino caſtigata *Joh.* III. 3. 4. 5. 9. 10. Ex hoc enim Colloquio ſatis manifeſtum fieri exiſtimant, nullam aliam *Generationem* Nicodemo notam fuiſſe quam *Naturalem*. Si enim ipſi *Civilis* vel *Eccleſiaſtica* Proſelytorum ex Doctrina Rabbinorum, vel *Spiritualis* etiam ac *Supranaturalis*, in Scripturis tradita, cognita fuiſſet, nulla ratione potuiſſet ad illa Verba Domini *Verſ.* 3. *niſi quis ſit genitus iterum, non poteſt videre regnum Dei*, regerere *Verſ.* 4. *Quomodo poteſt quiſpiam naſci qui ſit Senex? num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundò introire, & naſci?* Doct *Wernſdorffius* in *Differt. de Recent.* de *Batiſmate Controverſiis* §. XXVIII. *Cur igitur Nicodemus audita ἀναγεννήσεως voce, ad eandem, ceu inauditam, obſtupuit? Cur Phyſicè illam intellexit? Cur non eo, quo tribus ſolebat Proſelytis baptizatis, ſenſu accepit? Nempe, quia ante id tempus de* Baptiſmo

tismo regenerante, *vel* lavacro regenerationis, *etiam* moralis, & civilis, *ne auditum quidem in Populo Judaico fuerat.* Et si roges; quid reprehendit ergo Dominus in Doctore Israëlis, *Vers.* 10. *Tu es Magister Israëlis, & hæc non nosti?* nonne Ignorantiam Doctrinæ *Rabbinorum* de *Regeneratione*, Effecto Baptismi Proselytorum? responderi posset, Dominum non castigasse iis Verbis Ignorantiam Doctrinæ Rabbinicæ, sed *Scripturariæ*, à Prophetis traditæ de Regeneratione supranaturali omnibus salvandis necessariâ. Locutus enim fuerat Dominus de *Generatione ex Spiritu Vers.* 5. 6. 7. 8, necessariâ peccatori; de quâ *Psalm.* LXXXVI. 9. LXXXVII. 4. 5. 6. CII. 19. CX. 3. *Jes.* LXVI. 7. 9. *Ezech.* XXXVI. 25. 26. 27. &c; quamque ignorans Nicodemus, homo pharisaicâ de naturalibus liberi arbitrii ad Bonum Spirituale Viribus doctrinâ imbutus, rogat *Vers.* 9. iterum, *Quomodo possunt hæc fieri?* & respondet ei Dominus, *Tu es Magister Israelis, & hæc non nosti*, nempe hanc Generationem *ex Spiritu*, ab *Ezechiele*, aliisque Prophetis traditam?

XXX. Hæ sunt Rationes præcipuæ, (nam alias quasdam levioris momenti, ut illa est, quam petit *Zeltnerus* §. XXII. ex 1. *Pet.* III. 21, ubi de Baptismo νῦν *Nunc sub N. T.*, non *inde à monte Sinai*, imo non *ante Christum*, *Salvante*, mittimus) quibus inducti omnem *ante Johannem* Baptistam & *Christum* Baptismi Proselytorum apud Judæos usum negarunt Viri quidam Docti Inter quos est Doct. *Wernsdorffius*, qui in Prænominatâ *Dissert.* §. XXVIII. in fine scribere non dubitavit; *Quæ omnia in eam me suspicionem adducunt, Commentum esse, & eodem loco, cum fabula de* Zabiis & Rosæ crucianis, *habendum*, *quicquid de Baptismo Proselytorum*, Stante Templo & Republica Judaica *memoratur.* Et §. XXX. *Mea de hoc argumento sententia est*, Stante Templo & Republicâ Judaica nullum obtinuisse Baptismum Proselytorum: *fieri autem potuisse, ut deleto utroque, & invalescente per Orbem terrarum Christiana religione, imitatione quadam, vel* superstitionis Ethnicæ, *de qua modò diximus, vel quod magis*

ve-

vero videtur ſimile, Ipſius Doctrinæ Chriſtianæ, *à Judæis ſuperſtitibus & per orbem diſperſis receptus fuerit*. Et confirmare hanc ſuam ſententiam conatur ex mirâ *Convenientia*, quæ inter Judaicum & Chriſtianum Baptiſmum intercedit, in prævià *Inſtitutione*, *Examine*, *Confeſſione*, *Teſtibus*, *Regenerationis* effectu (quæ omnia fusè expoſuit *Altingius* de *Proſelytis*), & ex quâ ſequitur; Vel quod Chriſtianus à Judaico Baptiſmo ſit petitus, quod tamen falſum eſſe ſe eviciſſe exiſtimat; vel quod Judaicus ex Chriſtiano ortum traxerit. Obſervat præterea; nihil hac in re eſſe ab inſtitutis & moribus Judæorum alienum: ut qui, verbi gratiâ, *Apoſtolorum* titulum per κακοζηλίαν imitati ſunt, quando poſt diſperſionem ſuam Patriarchæ ſui Tiberiade ſedentis Aſſeſſores appellarunt Schelichim *Apoſtolos*. *Apoſtolorum* enim, quos Chriſtus ἐποίησε *fecit*, *creavit*, primus *inſtituit*, & ὠνόμασε *nominavit Marc.* III. 14. *Luc.* VI. 13, & *Nomen* & *Munus*, non *hominum inventum*, inquit, ſed *Dei* inſtitutum fuit. Et miſerè erraſſe *Baronium*; quando ait uſitatum fuiſſe Hebræis, ut nominarent *Apoſtolos*, *qui aſſiduè cum ſummo Pontifice verſarentur*, *quoſque legare conſueſſet ad componendos mores Sacerdotum*, *ipſaſque Synagogas inſpiciendas* &c; unà cum *Caſaubono* contendit. *Wernſdorffius* verò primus hujus ſententiæ Auctor non fuit. Narrat enim *Seldenus de Syned. Lib.* I. C. 3. p. 21. *Sed nec defuere ex Judæis Chriſtiani aliquot qui Baptiſmum hunc toties a Magiſtris memoratum non a Moſaico inſtituto manaſſe*, *nec adeo fuiſſe vetuſtum aſſeruerint*, *ſed* Chriſti exemplo *etiam inter eos introductum*, *nec ante fuiſſe in uſu.*

XXXI. Horum tamen Sententiæ ſe oppoſuit idem *Seldenus*, mox ſubjiciens; *Sed ſi ita res habuiſſet*, *procuddubiò de eâ non reticuiſſent primitivi temporis Patres Chriſtiani. In Chriſtianiſmum ita Baptiſmus Judaicus fuiſſet velut tranſitio quædam ſeu tranſitionis umbra non ſilenda. Nec ſane Judæos*, *in re adeo inſigni ac publicâ atque in ipſo Initiationis ritu*, *mores eorum*, *quos tanto ſemper odio proſequuti ſunt*, *imitatos eſſe*,

nec (lege *sed*) *à Majoribus ante Christum, ut ostensum est, Baptismum accepisse, mihi omnino est verisimile.* Nec non Celeb. *Buddeus* quando §. 62. 63. scripsit. *Gens invida* (Judæorum) *& divinis ad id obstricta legibus, ne alienigenarum æmuletur Statuta ..... mortem potius subiisset, quam ut in re tanti momenti istorum* (Christianorum) *reciperet Symbolum, à quibus quam maximè se cupiebat distinctam:* & §. 98. *Non affectant convenientiam cum Christianis Judæi, separationem a Bileamo prædictam Num.* XXIII. 9. *& a Deo vice plus simplici ipsis injunctam Exod.* XXIII. 24. *Levit.* XVIII. 3. XX. 23. *Deut.* VII. 2. *seqq. Jer.* X. 2. *in Sacris præcipue religiose servantes.* Ut & Doct. *Zeltnerus*, qui de *Initiis Bapt. Initiat. Jud.* §. XXIII. *& seqq.* magnis difficultatibus obnoxiam esse hanc Hypothesin scripsit, variisque Argumentis eam impugnavit; quorum præcipua hæc sunt. Non esse *Credibile*, ait, *Judæos* ex sacris Christianis mutuò quasi acceptum suum fecisse *Ritum sacrum primarium*, nulla *necessitate coactos*; propter *Odium* nempe illorum in Christianos plane internecinum, ultimâ illa πανωλεθρίᾳ gentis istius non imminutum sed potius auctum, & collatum cum *pertinacia* Gentis in servandis Patriis institutis ac moribus, cum nullis alienis unquam permiscendis. *Adducit* porro *Convitia* Judæorum, quibus, ab initio dissensionis post Messiam Jesum rejectum, Religionem Christianam & speciatim *Baptismum* & *Baptizatos* proscindere solent in scriptis suis, dum illum מים טמאים, *aquas impuras*, & מים סרוחים *aquas fetentes*, & hos משומדים *perditos* ac *abolitos* appellant, eosque iterum, quando ad suam Religionem accedunt, *eluunt*, *radunt* atque *defricant*; quod ex *Wagenseilio* probat. Nec *Omittit* antiquam illam & famosam *Precationem*, cujus mentio quoque fit in Libro *Cosri. Part.* III. C. LXV. & in quâ orant contra *Apostatas, qui amplectuntur Legem seu Ritum Baptismi & tinguntur in Jordane*: & de quâ *Buxtorffius* ibidem in *Notis* scripsit; *Manifestè autem satis patet, eam esse directam contra eos, qui deserto Judaismo, fidei Christianæ per* Baptismum *inseruntur, & olim tempore Christi & Apostolorum*

lorum in Jordane per immersionem baptizati *fuerunt*. *Addit* præterea nullam prorsus habere speciem quod Judæi in hoc Ritu imitati sint Christianos, ut Proselytos ab illis allicerent; quoniam plures caussas habuerunt Consensionem qualemcunque in Religione cum Christianis vitandi omni modo; ut qui tuti vixerunt & impunes, religionis suæ caussâ non excruciati, etiam in mediis atrocissimis Christianorum persecutionibus, modò seditiosis se non jungerent: de quâ tranquillitate & privilegiis Judæorum in *Orbe Romano Ezech. Spanhemius* ex professo disseruit. *Urget* insuper cum *Buddeo* Locum, ab Aliis dudum laudatum, ex *Cod. Bab. Gem. Jebbammoth*, tanquam sede hujus materiæ locupletissimâ; ubi loquuntur R. *Eliefer*, f. *Hircani*, & R. *Josua*, f. *Chaninjæ*, qui vixerunt & post & *ante* Excidium Urbis, ut Chronica Judæorum testantur, de *Baptismo Proselytorum* tanquam *Ritu dudum inter sucs recepto* & *usitatissimo*; & disputant de Necessitate Ejus majori vel minori, si cum Circumcisione comparetur. Dum R. *Eliefer* contendit *Proselytum* esse, qui *Circumcisus est*, *nec Baptizatus*, *quia Patres nostri*, ait, *fuere Circumcisi nec Baptizati*: sed R. *Josua* dixit, *Baptzatus*, *& non Circumcisus*, *est Proselytus: sic enim invenimus de Matribus* nostris, *quæ Baptizatæ sunt*, *'non Circumcisæ*. *Sed Sapientes pronunciarunt*, uti additur, *Proselytum non esse usque dum fuerit tam Baptizatus quam Circumcisus*. Huic Loco ex *Gemara* junxit alium ex *Mischna*, *Tract. Pesachim* C. VIII, ubi Lis & Contentio super *Baptismo Proselytorum* inter *Hillelianos* & *Schammæanos* narratur; & dicitur, *si quis Proselytus paullò ante Vesperam Paschalem demum accessit ad Ecclesiam*, *de eo Schammæana secta* adversus *Hillelianam statuit*, Baptizatum *posse licitè comedere Agnum Paschalem*, *ea ipsa adhuc vesperâ*. Ex quo infert; cum *Hillel* & *Schammai* ante Christi nativitatem floruerint, & eorum Discipuli ante Excidium Hierosolymæ inter se litigaverint de multis; quod & hoc litigium fortè, saltem ejus *subjectum* nempe *Baptismus Proselyti*, *ante Excidium* illud extiterit, Imo etiam

ex *Talmude Hierosolymitano*, post Mischnam & ante Talmud Babylonicum conscripto, producit Exemplum *Militum* Romanorum, qui erant ex *Custodibus Portarum in Hierosolymâ*, tunc ergo nondum devastatâ, & *qui illa ipsa vesperâ quâ* Baptisati *sunt*, *Paschalem agnum comederunt*; ut narrat ibi *R. Elieser* f. *Jacobi*, qui vetustioribus Mischnicarum Traditionum Auctoribus constanter adnumeratur. *Adfert* tandem Verba *Arriani* seu potius *Epicteti* ipsius, ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος, *cum susceperit affectum* baptizati *& secti* (seu *circumcisi*, ut Clar. *Rossallius* de *Epicteto* §. XLVIII.) *tum revera & est, & nominatur Judæus*; de quibus ex *Grotio*, *Ruaro*, *Seldeno*, *Rossallio* supra §. V. prolixè egimus; & ex quibus *Ruarus* modò collegit, *non procul ab ævo Servatoris nostri* (cum *Arrianus* ille sub Hadriano & Marco & Antonino Imperatoribus vixerit,) obtinuisse *Baptismum Proselytorum* apud Judæos; & Cl. *Rossallius p.* 106. *post Templi excidium* ad *Proselytorum initiationem* hæc duo fuisse *necessaria*, *Baptismum* & *Circumcisionem*; Verùm *Zeltnerus* ultra progreditur, atque ex iis infert Baptismum istum etiam *ante Excidium illud* usitatum fuisse. Observat. nempe § XXXIII. hæc Verba quidem *ab Arriano scripta esse*, *sed ab ipso Epicteto dicta*, *ex cujus ore*, *quas in via*, *domo*, *schola habuit dissertiones*, *solicitè congessit Ille.* Addit quòd *Epictetus* ille *Philosophus Celeberrimus servus fuerit Epaphroditi*, *qui Neroni erat a cubiculis*, & quod de Baptismo Proselytorum Judaico loquatur tanquam de *re in vulgus nota*, *& diu inter Judæos frequentata*, quique idcirco *rectius ad tempora vastationem Templi Hierosolymitani antegressa*, *quam consequentia*, *referri* debeat.

XXXII. Quapropter Doct. *Zeltnerus*, rejectâ hypothesi *Wernsdorffii* Ritus hujus *Originem* refert ad *Tempus interpositum* à *Johanne Baptista* ad *Judaicæ Reipublicæ finalem Eversionem*, atque à Baptismo Johannis Eum ortum traxisse autumat. Quam Conjecturam ut probabilem reddat, monet:

Quòd

Quòd Baptismus Johannis fuerit *Initiationis* ad Regnum Messiæ adventantis, vel jam jam venturi: *Quòd* Judæi eum magno numero in Palæstina & extra eam susceperint *Act.* XVIII. 25. XIX. 3: *Quòd* Præfecti Judæorum eum admiserint ob spem appropinquantis Messiæ, edocti de *Baptismo*, *Messiæ* tempore introducendo *Joh.* I: 25. *Quòd* præterea hæc spes Messiæ propediem appariturі ingentem illum, de quo *Act.* II. 10, Proselytorum numerum pepererit, quos *Baptismo* purificatos Messiæ adventanti secum occurrere voluerunt: *Quòd* denique hinc prima Origo Baptismi Proselytorum sit arcessenda, cujus tamen plena introductio attribuenda est collusioni *Pseudo-Apostolorum* illorum ἐκ περιτομῆς, de quibus 2. *Cor.* XI. 13. cum Judæorum Proceribus obduratis. Etenim hi Pseudo-Apostoli, utcunque Christianismi speciem præse ferebant, ac si essent *Apostoli Christi*, erant intus & in cute tamen Judæi, selecti a Synedrio, ut sub specie Regni Messiæ promovendi, revera Judaismo patrocinarentur; non Baptizantes in Fidem Jesu Nazareni ut Messiæ veri, qui *Spiritu* baptizaturus erat suos juxta doctrinam Johannis *Matth.* III. 17, quam Baptizandis non inculcarunt, coll. *Act.* XIX. 2. sed in spem Messiæ melioris jam jam venturi; & *Circumcisionem* urgentes, ut necessariò *Baptismo* in *Proselytis* ex Gentibus conjungendam. Atque sic, per hos Pseudo-Christianos, postquam se in Judæorum castra iterum receperunt, *Utrumque* hunc *Ritum* in Proselytis necessarium apud Judæos evasisse, atque ab hoc tempore usitatum fuisse, conjicit *Zeltnerus* in *Disput.* laudatâ habita 12. *Sept.* & MDCCXI. §. XXXV. —— XLV; adducens quoque ad qualemcunque hujus suæ Conjecturæ confirmationem, quod uterque *Josephus*, tum Græcus, tum Hebræus, de Johanne loquatur tanquam qui primus *Baptismum Initiationis*, qui signum esset Transitus ad novum Statum & Professionem, inter Judæos introduxisset. Verba Hebræi Josephi *Lib.* VI. C. 63. de Johanne ita sonant juxta correctiorem Lectionem: *Hic est Johannes*, אשר עשה טבילה

qui Baptismum fecit; id est, instituit & primus administravit. Interim Doct. *Zeltnerus* Auctor primus non est hujus sententiæ, sed dudum antea eam sibi placere ostendit Doct. *Joh. Owenus* in *Dissert.* de *Ritibus Judaicis* a *Christo observatis*, §. XXII. hisce verbis. *Ego potius censeo, ex Johannis Baptismo, qui tota in gente celebris erat, cuique initiata est magna pars Populi, ritum hunc ante tempus illud incognitum, Doctores Tammeræos* (seu ante-Mischnicos) *mutuatos esse.*

XXXIII. Sic vidimus diversas Doctorum Judæorum & Christianorum de *Baptismi Proselytorum Antiquitate* & *Origine* Sententias, haud absque veritatis specie aliquâ, & multa cum eruditionis declaratione, & quandoque ostentatione, prolatas utrinque & assertas. Dicam nunc meam quoque breviter & modeste Sententiam. I. Traditio Talmudicorum Doctorum, & Juris Talmudici Interpretum, de *Antiquitate* Institutionis & Usus hujus Baptismi, à *Monte Sinai* repetendâ, nullo Veterum idoneo testimonio firmata, παρερμηνείᾳ duorum Locorum Pentateuchi, *Exod.* XIV. 10. 14. & *Num.* XV. 15. tantùm niti videtur. Certè si tempore R. *Eliezeris* f. Hyrcani, qui ante & post Excidium Templi vixit, hoc fuisset traditum ac creditum, nunquam ille dixisset quod dixisse fertur in *Gem. Jebhamoth. Circumcisus, & NON BAPTIZATUS est PROSELYTUS, quia invenimus de PATRIBUS NOSTRIS*, quod *fuerint Circumcisi, & NON BAPTIZATI.* Verba hæc ex Talmude citarunt plures, *Raymundus Martini* in *Pug. Fid.* p. 613. vel 785. & p. 639. vel 819. *Seldenus* de *Syned.* p. 18. 19. *Ligtfot.* in *Matth.* III. *Van Dale* in Hist. *Bapt.* p. 341. Alii. II. Judæos accepisse hunc Baptismum à Christianis post Reipublicæ eversionem, minime probabile mihi videtur, propter ea quæ ex *Buddeo* & *Zeltnero* contra hanc *Wernsdorffii* hypothesin supra §. XXXII. adducta sunt. III. Stante itaque adhuc Templo & Urbe Hierosolymâ in usu fuisse existimo, etiam ob Mischnicorum Doctorum R. Elieseris & R. Josuæ de eo Disceptationem, quæ memoratur in Jebhamoth: quam effinxisse Rabbinos, non

est

est verisimile: quamque omni certitudine carere, quia dicta illorum Doctorum in Gemara recensentur, non ex Libris eorum, sed ex *traditionibus* & *rumoribus*, ut loquitur *Owenus*, dicere non ausim ego, quia Traditio, utut sæpe fallat, non tamen semper fallax est: saltem nihil continet narratio hæc Rabbinorum in Gemara, quod verum esse nequeat. Neutiquam enim obstat huic nostræ Thesi de Usu Baptismi Proselytorum tempore Christi: *Vel Interrogatio* illa Judæorum *Joh.* I. 25. *Cur ergo baptizas, si tu non es Christus ille* &c. de quâ supra §. VI. & XXVIII egimus; nam hæc Interrogatio neutiquam supponit, ut volunt, nullum unquam *Gentilium* Baptismum obtinuisse, quo ex Gentilismo in Judaismum transierunt Proselyti. Verùm Baptismum talem *Pœnitentiæ* & *Initiationis* ad Regnum Messiæ, qualis erat ille Johannis, & qui ipsis JUDÆIS administratur, nunquam esse visum, nec usurpandum nisi tempore *Messiæ*, quando magnam *Mutationem* Rerum & Animorum & Vitæ, Communemque Gentis *Pœnitentiam* expectabant Judæi: *Vel Ignorantia* Doctrinæ de *Regeneratione* in Nicodemo notata *Joh.* III. 4. 9. 10, ex quâ supra quoque §. XXIX. audivimus *Wernsdorffium* contra *Usum* hujus Baptismi *sub Templo secundo* disputantem. Nam Effectus hic Proselytismi, quo *Proselytus* statuitur à Talmudicis *recens nato infanti similis*, ob veterum Natalium & pristinæ Cognationis abolitionem, in quo proinde est *Regeneratio* quædam *Civilis*, *tempore Nicodemi*, ex Magistrorum placitis & Doctrinâ, obtinuisse omnino videtur ex Verbis *Taciti*, supra §. XIV. p. 468. allatis; ne addam nunc Exemplum incestuosi Conjugii istius *cum uxore Patris*, quod ne *inter gentes quidem* permitteretur, de quo Paullus 1. *Cor.* V. 1. & quod in hac Doctrina de Regeneratione Proselyti & pristinæ Cognationis Ejus abolitione fundatum fuisse, haud immeritò colligitur. Hanc itaque *Regenerationem* non potuit ignorare Nicodemus, quin simul ignorasset suo tempore ex Gentilibus Proselytos esse factos (quod utique erat certissimum, & constat satis ex *Matth.* XXIII. 15. *Act.* II. 10.) nam Regeneratio erat *Effectus*

fectus

fectus Proselytismi, non præcisè *Baptismi*, & sequebatur in *Proselyto*, etsi hic *solâ Circumcisione*, absque Baptismo Religioni Judaicæ initiatus esset; sicuti & Tacitus *solius Circumcisionis* expressam mentionem fecit. Verùm: Quia Verba Christi, *NISI QUIS sit genitus iterum*, Universaliter concepta erant, & Regenerationem non solùm Gentilibus sed & *Judæis* necessariam esse indicabant, facile percipiebat Dominum non loqui de *Civili* illa Proselytorum ex *Gentibus* Regeneratione: (ex quâ postea *Cabbalistæ* aliam & stupendam excogitavêre *Platonizantes*, de animæ novæ quoad substantiam in Proselytum immissione; de qua *Seldenus* de *Jure* N. & G. *p.* 159. & seqq.) & Quia *Supranaturalem* illam in Scriptura *Ezech.* XXXVI. 26. 27. traditam ignorabat Pharisæus hactenus Traditionarius, & opinione Pharisaicâ de viribus naturalibus ad omne bonum imbutus; ut liquet ex *Vers.* 9. & 10: Hinc nulla alia restabat Regeneratio quam *Physica*, de quâ loqui Dominum ideo cogitavit Ille. Optimè *Ligtfotus* in *Hor. Hebr.* ad *Joh.* III. *Novit & agnovit aliqualem Regenerationem, ut diximus, fieri per Proselytismum; at longe ab animo ejus aberat, vel credere, vel cogitare Proselytismum* Judæorum: *non excogitare ergo potest modum aliquem* novæ *nativitatis, ut* secundò fiat Israëlita, *nisi secundò ex utero Matris* nasceretur, *quod tamen ei videtur impossibile.* IV. Ab Johannis Baptismo ortum traxisse hunc Proselytorum apud Judæos, ut volunt *Owenus* atque *Zeltnerus*, mihi persuadere non possum. Maxima enim pars *Pharisæorum* & *Legis Interpretum* Baptismum Johannis rejecit, & sic *consilium Dei* sprevit & *aspernata* est, *non baptizata ab ipso Luc.* VII. 30. Neque filia Matri tantopere dissimilis fieri potuit. Judæi enim *Gentiles* tantum Baptizarunt, Johannes verò *Judæos* ipsos; quos sic initiavit *Regno Messiæ* præsentis vel jamjam sese manifestaturi; cum Proselytorum Baptismus Initiatio fuerit Gentilium ad *Legem Mosis*, ut liquet ex prævia *Institutione* eorum ex *Maimonide* descriptâ apud *Altingium* §. XXVIII. XXIX. in qua nihil de fide in Messiam occurrit, sed

noti-

notificantur Proselytis tantum *Fundamenta Legis*, *Unitas Dei*, *Interdictum Idololatriæ*, *leviora* quædam & *graviora Præcepta*, *Præmia* denique & *Pœnæ futuri seculi*. v. *Ante Johannem* itaque obtinuisse autumo, atque a *Pharisæis* introductum, qui alia multa tunc temporis Legi scriptæ adjecerunt observanda: à quibus etiam illa singularis Proselytorum Institutio de *Justorum Mercede*, *Pœna impiorum*, & *futuro Sæculo*, apud *Schikkardum* de *Jure Regio p.* 330. 332. & *Slevogtum* de *Proselytis Disp. Philol. Part.* III. *Differt.* III. §. IX. X. *Altingium* de *Prosel.* §. XXIX. XXX. & Alios plures, dimanavit. Videtur autem Usus hujus Baptismi in initio abitrarius fuisse, nec Lege statim necessarius ac universalis factus. Unde Idumæi tempore Hyrcani *circumcisi* tantùm non Baptizati leguntur apud *Josephum*. Et hinc *Tacitus* de *Circumcisione* solâ mentionem fecit, quâ transierunt gentiles in morem Judæorum, nihilque de *Baptismo* eorum addidit; quem *Arrianus* tamen memoravit, quia nimirum in his obtinuit, in aliis verò omissus fuit. Et hoc pacto denique intelligi potest, quomodo *Eliezer* f. Hyrcani *Necessitatem* Baptismi hujus negare potuerit; quia scilicet tempore ejus adhuc arbitrarius erat, ejusque *Necessitas* postea demum ex *Decreto Sapientum* introducta. Sic enim legitur in *Gemara Jebbamoth*, quod *SAPIENTES PRONUNCIAVERINT*, nimirum post illam disceptationem *Eliezeris* & *Josuæ*, seu occasione ejus per modum Statuti perpetui, quòd *NON SIT PROSELYTUS DONEC CIRCUMCISUS ET BAPTIZATUS FUERIT*. VI. *Ratio* verò, ob quam Pharisæi *Baptismum* junxerint Circumcisioni in Proselytis, *incerta est*. *An ob differentiam Samaritanorum*, ut voluit *Schikkardus* de *Jure Regio p.* 329. qui sola Circumcisione admittebant Proselytos in Sectæ suæ Communionem? *An*, quia Proselyti, ex Gentibus *Circumcisis*, jam *Circumcisi*, hoc *Ritu Baptismi*, *Necessitatis* caussâ intercedente, recipiebantur in Fœdus cum Deo, ideo etiam hunc unà cum Circumcisione in aliis Proselytis ex Gentibus præputiatis jungendum censuerunt? ut

judicavit *Danzius de Baptiſmo Proſelytorum* §. XXI. XXII. An verò ut *Communem omnium Populorum morem* ſequerentur, apud quos receptum erat, ut Vitæ & Profeſſionis Mutatio ſigno conſpicuo *Ablutionis*, & ubi magna eſſet Mutatio, *Merſationis* exprimatur. Quemadmodum ſic Iſidos & Mithræ ut & Eleuſiniis Sacris initiabantur per *Lavacrum*? ut *Grotius* ſupra §. III. laudatus. *An* denique ex doctrinâ *Regenerationis Civilis*, de quâ modò diximus, quæ effectus erat Proſelytiſmi, & quâ Proſelyti ſimiles fiebant *recens natis Infantibus*, unde *Infantium* inſtar *aquâ abluendi* erant, coll. *Ezech.* XVI. 9, in ſignum novæ Generationis ſuæ? Non liquet, nec ideo determinari poteſt; & ſi determinari poſſet, non multum utilitatis inde in nos redundaret. VII. Si dicamus Chriſtum *tranſtuliſſe* hunc Ritum Judaicum in Eccleſiam Chriſtianam, atque conſecraſſe in Primum Sacramentum N. Fœderis, nihil dicemus, quod Domino indignum eſſet, aut quod Dignitati Sacramenti hujus, vel Divinæ ejus Inſtitutioni in perpetuum N. T. Sacramentum, repugnaret. Non enim ſic commendaſſet Traditionem oralem Phariſæorum ut alterum Dei Verbum ſuſcipiendum. Neque ex eo ſequeretur, Baptiſmum Chriſtianum ut Ritum temporarium modò eſſe inſtitutum ad lucrandos Judæos in initio Chriſtianiſmi; atque adeo his nunc rejectis non amplius eſſe neceſſarium Baptiſmum. Exiſtimamus interim non inſtituiſſe Dominum *Baptiſmum* noſtrum, ut ſe accommodaret *moribus Judæorum* magis quàm *Gentilium*, apud quos celebria *Initiamenta*, ut diximus, *Baptiſmo* aliquo peragebantur. Nimirum hic *Ritus*, lumine Naturæ inventus à Gentilibus ac Judæis, & deſumtus a Communi infantes recens natos Abluendi more *Ezech.* XVI. 9, placuit Auctori Naturæ, quem inter Sanctiſſima cultus ſui Inſtituta ac Gratiæ ſuæ Symbola, ut Aptiſſimum referret. *Primum* Gratiæ Beneficium quod Electis in tempore confert eſt *Regeneratio*, quâ transferuntur actu ex Statu Naturæ in Statum Gratiæ, novumque cor ac renovatam Spiritu mentem recipiunt, cujuſque primus Effectus

fectus est Fides quâ uniuntur cum Divino Sponsore suo. Hinc *Primum* Gratiæ *Sacramentum* instituit *Baptismum*, quo credentes, eorumque Liberos Spiritu fidei ex Promissione donatos, denuò *Infantari*, id est, Figuram, Imaginem ac Signaculum *Regenerationis* suæ recipere voluit. Quare Paullus Baptismum vocavit *Lavacrum Regenerationis Tit.* III. 5, non quia hanc efficit, sed supponit & obsignat iis, qui jam per Gratiam Dei Vorticordiam ἀρτιγέννητα βρέφη facti sunt. Atque hæc quidem est Principalis Ratio, ob quam hunc *Ritum* instituit Dominus; non tamen Unica. Plura alia Mysteria Gratiæ Divinæ erga Electos & Credentes aptissimè illo significantur. *Ablatio* Reatus & Maculæ peccati connati & actualis omnis commodissimè per *Ablutionem* sordium corporalium nativitatis nostræ exprimitur. Unde Baptismus ut signum Remissionis & Ablutionis peccatorum proponitur *Marc.* I. 4. *Act.* XXII. 16. 1. *Pet.* III. 21. Præterea Imputatio Justitiæ Christi, & Communio Mortis ejus Vicariæ, nec non Resuscitationis Ejus, vix alio evidentiori Symbolo repræsentari possunt quàm *Immersione* & *Emersione* Baptismali: quod egregie Magnus Gentium Apostolus declaravit *Rom.* VI. 3. 4. 5. 6. *Coloss.* II. 12. 13. Itaque *Ritus* hic naturali ratione inventus, qui placuit Gentilibus, ut Mutationem Vitæ qualemcunque exprimeret, atque Judæis, ut Regenerationem Proselytorum Civilem significaret; idem placuit Domino, ut faceret Eum Primum ac Perpetuum N. Fœderis Sacramentum: non adeò quia placuit Judæis vel Gentilibus, & ut se secundum mores horum vel illorum componeret, & Christianismum in cultu externo formaret; quàm quidem quia *Aptissimus* erat ad Gratiæ suæ Mysteria significanda & obsignanda. VIII. Concludo tandem, si Baptismus Proselytorum obtinuit ante Christum, *non opus fuisse peculiari mandato, quo & infantes baptizari expresse juberentur: opus autem singulari interdicto fuisse, si eos Christus Baptismum N. T. instituens, baptizandos noluisset*, ut bene scripsit *Carpzovius*

zovius in Notis ad *Schikkardum p.* 330. 331; quia ſcilicet Parvuli & *Infantes* ſimul cum *Parentibus* baptizabantur, quod idem ex *Gem. Cetubboth* & *Maimonide* cum Aliis probavit. Malè tamen ex eo inferunt Alii, infantes Fidelium non eſſe baptizandos, quia Liberi poſt Proſelytiſmum Parentium nati non baptizabantur apud Judæos. Nam Baptiſmus natorum ex Chriſtianis ſequitur ex *Circumciſione* natorum ex Fœderatis, imo & ex Proſelytis, juxta inſtitutum Divinum, in cujus Circumciſionis locum ſucceſſit Baptiſmus noſtĕr, quatenus eſt Sacramentum perpetuum N. T.



DISSERTATIO DECIMA SEXTA
DE
CHRISTO PRIMOGENITO.
AD
HEBR. Cap. I. *vs.* 6.

I.

Emorabilis est apud THEODORETUM *Lib.* v. *Cap.* XVI. Historia de Amphilochio Iconii Episcopo, qui, postquam frustra petiisset ab Imperatore Theodosio ut Arianorum conventus ex Urbibus pellerentur, iterum Palatium introgressus, adstantemque Imperatoris conspicatus filium Arcadium, participem Imperii paulò ante designatum, ipsum quidem Imperatorem de more veneratus fuit, sed honorem Filio nullum exhibuit, etsi monitus quoque esset ab Imperatore. Cui; cum indignè hoc ferret, atque Filii despectum factam sibi injuriam interpretaretur; Sapientissimus Amphilochius facti sic rationem aperuit, dicens: sicuti Tu graviter succenses contumeliosis in Filium tuum, sic & Universorum Deus eos detestatur, qui Unigenitum ejus Filium blasphemant. Quod ejus Dictum pariter ac Factum admirans Imperator, Legem mox scripsit, quæ Hæreticorum conventus prohibebat. Hactenus THEODORETUS. Rectè Theodosius irascebatur Amphilochio, quia æqualem denegabat honorem Filio, cui Pater æqualem concesserat Potestatem. Sed & Amphilochius non minus rectè ad-

 mo-

monuit Imperatorem, Deum Patrem iratum fore illi, qui Filio æterno, Paternique Dominii Hæredi ac Consorti, æqualem cum Patre non haberet honorem, hujusque imminutionem ac læsionem pro muneris ratione & viribus suis non impediret. Certè si æqualitas Potestatis Filii cum Patre inter Homines ἰσοτιμίαν Ejus cum Patre infert; multò magis id obtinet in Christo Filio Dei naturali ac æterno. In Humanis enim Potestas à Potentia agendi quod decet & lubet separari potest, & haud rarò separata est. Neque etiam Pater simul cum Potestate regnandi omnem Eminentiam Virtutis & Roboris ad Exercitium Potestatis necessarii communicare potest. Sed in Divinis Pater non modò dedit Filio omnem in cœlo & terra Potestatem, utendi cunctis creaturis in bonum Ecclesiæ, imperandi Angelis & Hominibus, corda peccatorum flectendi in obsequium Dei, mortuos suscitandi, & Universale Judicium habendi: Verùm etiam dedit simul Filio suo per ejusdem numero Essentiæ Divinæ communicationem omnem Potentiam, omnemque infinitæ perfectionis ac virtutis Eminentiam, absque quâ nec Universalis illa Potestas dari, nec exerceri poterat. Multò magis itaque ex æqualitate Potestatis Filii cum Patre, quæ fundata est in ejusdem numero Essentiæ ac Potentiæ infinitæ communicatione naturali, sequitur æqualitas Honoris cum Patre. Omnem enim Eminentiam illam Dignitatis possidet propter quam Deo Patri summos honores deferimus, eum supra omnia æstimamus, fiduciam in eo collocamus, obsequium absolutum ei præstamus, ac in omnibus ab eo dependemus. Unde Spiritus Sanctus in *Psalmo secundo*, Filium, ab æterno genitum naturalem, cui proinde dari potuit soli, & datum est Jure Redemtionis Imperium ad fines terræ extensum, jungit cum Patre ut ei ἰσότιμον. *Colite Jehovam* (Patrem) *cum reverentia, & exsultate cum tremore. Osculamini* Filium *ut non irascatur .... beati omnes qui se recipiunt ad eum.* Similiter ipse Dominus noster sibi æqualem prorsus cum Deo Patre Honorem debe-

deberi, ex identitate Essentiæ ac Potentiæ, in operibus naturæ & gratiæ conspicuâ, atque ex æqualitate potestatis sibi concessæ, docet: *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor ..... quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit ..... sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem, qui non honorat Filium, non honorat Patrem ut qui miserit eum. Joh.* v: 17-23. Quare etiam Paulus hoc in Capite Primo Epistolæ ad Hebræos Doctrinæ suæ; de *Æqualitate Potestatis* Christi cum Patre, Hæredis omnium *vers.* 2, ac sedentis ad Dextram Majestatis illius in excelsissimis *vers.* 3. atque de *Identitate Essentiæ Divinæ*, quam habet à Patre Filius ejus naturalis ac æternus *vers.* 1, 3, 5. quæque ex Identitate potentiæ, per quam Mundum condidit *vers.* 2. omniaque portat creata *vers.* 3. & ex Identitate infinitæ dignitatis, per quam Mors ejus Vicaria æquivalens pro æternis pœnis nostris solutio effecta est ad purificationem peccatorum nostrorum promerendam, necessariò sequebatur: Huic, inquam, Doctrinæ suæ jungit Doctrinam de *Æqualitate Honoris summi* ac Religiosæ Adorationis, illi æque ac Patri debitæ, ac ab ipsis Angelis deferendæ, quando dicit in Textu: QUANDO AUTEM ITERUM INDUCIT PRIMOGENITUM IN HABITABILEM, DICIT, ET ADORENT EUM OMNES ANGELI DEI. Imo sic simul ex hac ἰσοτιμίᾳ solidè infert ipsum verè esse Patri ὁμοούσιον, ac nomen *Filii* Dei, eminentissimo sensu, propter communicationem ejusdem numero Essentiæ Divinæ summè Venerabilis, ei dari, ac datum fuisse in Oraculis Propheticis modò *vers.* 5. laudatis.

II. Nempe per particulam δὲ; quâ connectit hunc *Versum sextum* cum superioribus, quæque heic non est *adversativa*, uti SEB. SCHMIDIUS voluit, sed *transitiva* ac *progressiva*, idem quod *porro præterea* denotans; progreditur Apostolus ad aliud & Novum Deitatis Christi summæ, atque

que adeo *Præstantiæ* ejus infinitæ *supra* omnes *Prophetas* & cœlestes *Angelos*, Argumentum. Scopus Pauli est in hac Epistola Hebræos in Fide Evangelii confirmare. Cum vero hujus Evangelii fundamentum ac præcipuum Caput sit Doctrina de verâ & summâ Deitate Mediatoris, à Judæis & Judaizantibus Christianis tunc impiè negatâ, ab hac Doctrinâ incipit tractationem suam in hac Epistolâ. Nec modò pro auctoritate suâ Apostolicâ magnificis & efficacissimis Verbis eam tradit, *vers.* 1, 2, 3. sed & solidè *probat* ex Oraculis Prophetarum, *Christum* fore *Verum* & *Summum Deum*. Probat hoc verò: *Primò* ex *Nomine Filii Dei Divino* Ei a Prophetis dato *vers.* 4, 5. *Secundò* ex *Honore Divino* Messiæ ab ipsis Angelis deferendo, in *Versu nostro textuali sexto:* dum in sequentibus idem ex *Regno Divino*, & *Opere Divino*, Messiæ pariter adscriptis in *Ps.* XLV. 7, 8. CII. 26, 27, 28. CX. 1. egregiè demonstrat.

III. Continet itaque Textus noster *Argumentum* Pauli *Secundum*, pro Verâ ac summâ *Deitate* Messiæ, ex *Divino Honore* illi, etiam ab ipsis *Angelis* dando petitum, atque desumtum ex *Oraculo quodam Prophetico*, in quo Angelis *mandatur*, ut Messiam, *secundò* in *Orbem terrarum inductum*, *adorent*. Dignissimum proinde est hoc Argumentum quod tractandum nunc suscepimus. Sed & aliquantulum difficilem reddiderunt verborum horum intelligentiam Eruditorum Disputationes; *tum* de *particulâ* πάλιν, quam justo loco heic non esse positam quidam contendunt; *tum* de *Verbis Mandati* Divini de Adorando ab Angelis Messiâ, an ex *Mose* an ex *Davide* sint citata; *tum* denique de *Introductione iteratâ* Primogeniti in terram habitatam, quomodo sit intelligenda, an de Introductione Corporali an verò Spirituali, Visibili an Invisibili, & tandem quo sensu *Bis* in orbem terrarum inductus Messias dici queat. De quibus omnibus ad Verborum horum elucidationem breviter & clarè dicturi & scripturi quæ cogitavimus, paulò distinctiùs agemus

mus de *Mandati Divini* heic occurrentis; primò *Objecto*; dein *Tempore*; denique *Argumento*.

IV. OBJECTUM eſt Πρωτότοκος PRIMOGENITUS. Hic eſt, non ad literam, & ſenſu leviori, David, uti abſurdiſſimè GROTIUS, ſed nullus alius quam JESUS CHRISTUS. Hoc enim ex totâ ſerie ſermonis Paulini de Chriſto ut principali ſubjecto inſtituti, & huc uſque continuati, manifeſtum eſt. Hoc porro ex Scopo Apoſtoli, qui eſt Chriſti præſtantiam ſupra Angelos demonſtrare, ſatis conſtat. Hoc præterea ex honore Divino huic Primogenito ab ipſis Angelis dando evidenter liquet. Hoc denique confirmatur ex ipſo *Primogeniti* titulo, Meſſiæ dato in V.T. *Pſalm.* LXXXIX. 28, 29. & in N.T. *Rom.* VIII. 29. *Coloſſ.* I. 15. 18. *Apoc.* I. 5. In quibus N.T. locis Primogenitus *inter multos fratres*, *omnis creaturæ*, & *ex mortuis* dicitur. Hîc vero abſolutè PRIMOGENITUS appellatur.

V. Non propter *Generationem* ejus ex *Matre* Virgine, quâ Homo eſt, cujus ille aperuit vulvam, atque ideo *ejus πρωτότοκος* vocatur, non ſolùm *Luc.* II. 7. ſed etiam *Matth.* I. 21. Nam ſi hoc intendat Paulus, cur Matris nomen non addit? Et manifeſtum eſt Apoſtolum, neque in Epiſtola ad Romanos, neque ad Coloſſenſes, cum relatione ad Matrem hoc titulo ornaſſe Dominum noſtrum. Ex quo & hoc in loco relatè ad Matrem ita neutiquam appellaſſe eundem meritò colligimus.

VI. Neque etiam propter *Generationem* ejus ex Deo *Patre* in Filium proprium; multo minus in Filium metaphoricum, quod peſſime urgent nonnulli, ita eum vocavit hîc Paulus. Prius illud volunt multi Orthodoxi, nempe quòd *Primogenitus* dicatur ratione Patris, & propter Generationem æternam, per quam Filius Dei naturalis & proprius extitit *ante* omnes alios Adoptivos & Metaphoricos Dei Filios, utpote qui omnes extra Eſſentiam Dei Patris ſunt geniti ac producti libera Dei Voluntate in tempore, dum Chriſtus intra ipſam Dei Eſſentiam, naturali proceſſio-

ne ex Patre est genitus, nec unquam initium existendi habuit; ita Primogenitus ut simul sit Unigenitus ratione Generationis ejus ex Deo Patre. Et hi non solùm conferunt Locum *Coloss.* I. 15. ubi *Primogenitus omnis Creaturæ*, id est genitus a Patre antè omnem Creaturam, appellatur: sed præterea observant, quòd omnis Primogenitus, proprie dictus, ita dicatur relatè, vel ad Matrem, (quod heic fieri non est probabile) vel ad Patrem, ad quem hoc titulo referri necessariò debere Christum contendunt. Et ad quem Patrem nisi Deum? a quo genitus perhibetur in Sacris *Psalm.* II. 7. qui locus in antecedente Versu cum allegatus esset à Paulo, maximè verisimile est ad eundem nunc in Titulo *Primogeniti* respexisse: ita ut hoc sensu quasi dixerit Apostolus. *Quando autem hunc Primogenitum suum Filium Deus Pater iterum introducit in orbem terrarum, dicit* &c Urget hoc cum Aliis Eruditissimus GOMARUS, qui, postquam dixerat hoc titulo ad *Patrem* referri Christum; & observasset quosdam illum referre ad *Divinam* ejus *Naturam*, *qua est Unigenitus*; ita pergit: *Quæ expositio videtur convenientissima; quia Apostolus versibus antecedentibus probavit Jesum esse Filium Dei, a Patre genitum; jam vero aptissimè sequentia connectens, cum vocat Primogenitum. Deinde notum etiam illud est, epitheta & periphrases solere sæpius eleganter assertionibus inseri, aut præmitti, ad probationem, aut amplificationem earum: ita hoc loco declaratur, Christum meritò adorandum, utpote qui sit Primogenitus Dei Filius; quia ante eum nullus: & simul, ut alibi exponitur, Unigenitus, quia solus est proprius Dei Filius Joh.* I. 18. *Rom.* VIII. 32.

VII. Sensus quidem hic est satis Orthodoxus, sed dubito admodum an intentus sit ab Apostolo in *hoc Titulo*, heic & alibi Christo dato. Supponunt hi Interpretes, Paulum stylum suum immediatè præcedentem prosequi, ita ut, quem *Filium Dei* naturalem ac Unigenitum probaverat ex Oraculis Propheticis, nunc appellet *Primogenitum ejus Filium*. Verum si rem rectè perpendamus, mutat potius stylum

lum suum Apostolus quam prosequitur. Si persequeretur stylum dicere debuisset, *quando autem* HUNC *Primogenitum* SUUM *iterum inducit in orbem terrarum.* Laudaverat enim Verba Patris, *Filius* MEUS *es tu.* Certè haud absque ratione factum videtur, quod ita studiosè abstineat Spiritus Sanctus, & a nomine *Dei*, & a *pronomine* relativo ac possessivo, quando *Primogeniti* titulum Christo tribuit; etiam ubi contextus ac perspicuitas sermonis ea ut adderentur postularent omnino, si hoc titulo ipsum ad Deum Patrem ut Filium ab ipso genitum referendum velit. Et quænam alia potest esse hujus studiosæ abstinentiæ ratio, quàm ut nos doceat hoc titulo Christum ad Deum Patrem ut Filium ab ipso genitum neutiquam referri. Interim mutat quidem Nomen Apostolus sed non Subjectum. Idem subjectum, Filium Dei naturalem, appellat nunc alio nomine absolutè posito *Promogenitum*, ut eum sub alia σχέσει nobis contemplandum sisteret. *Filium* esse & *Hæredem* esse sunt conjuncta quidem *Matth.* XXI. 33. *Rom.* VIII. 17. attamen distincta. Quemadmodum quem *Filium* dixerat *vers.* 1. mox *Hæredem* vocat *vers.* 2. sic etiam, quem *vers.* 5. *Filium Dei* esse dixerat, nunc vocat *Primogenitum* inpropriè, id est *Hæredem* ac *Dominum omnium.* Primogeniti enim erant post Patres Domini Familiarum, & præ fratribus Hæredes *coll. Luc.* XV. 12. Concedimus itaque Præstantissimo GOMARO Apostolum in hoc Titulo eleganter præmittere *Fundamentum religiosæ adorationis* circa eum, ut *Dominum omnium*, ab Angelis exercendæ: sed & simul observamus, hoc Titulo appositè uti quoque Paulum, ut *caussam iteratæ introductionis* Christi in Orbem terrarum indicaret. Nempe hoc debebat fieri, quia erat *Primogenitus*, id est *Dominus* & *Hæres* gentium & finium terræ. *Psalm.* II. 8.

VIII. Diximus Spiritum Sanctum in Sacris solicitè cavere, ne Titulo *Primogeniti* Christus ad *Deum Patrem* referatur *ut ab ipso genitus Filius*; atque ideo nunquam eum ap-

 pella-

pellare vel *Primogenitum* Dei, vel aliquo *pronomine* ad Patrem referre. Et profectò non potest commodè Dei *Primogenitus* appellari *propter generationem a Deo* Patre in *Filium Ejus*. Ratio est, quia Primogenitus ad literam in Generatione ejusdem speciei ac naturæ, cujus & alii vel sunt vel possent esse participes, tempore primus est. Primogenitus propriè est *primus genitorum*. Jam verò vocibus in superlativo, uti est πρῶτος *primus*, non utimur, ubi personæ vel res toto genere aut specie differunt. Nemo enim diceret Deum sapientissimum Hominum sed eis sapientiorem: sicuti & nemo Hominem appellaret prudentissimum bestiarum terræ aut volatilium cœli, sed iis prudentiorem quidem *Job.* XXXV. 11. Propriè itaque Primogenitus est *primus genitorum* ex parente, qui cum illo *eandem genere* communem habent genituram. Si ergo Christus ratione Generationis Divinæ ex Deo Patre diceretur Primogenitus, proprio sensu ita dictus, sequeretur necessariò, plures dari vel saltem dari posse ejus fratres, ejusdem specificæ Generationis Divinæ cum ipso participes. Sed absurdum est Consequens. Etenim Generatio Divina naturalis ipsi soli competit *Dei Unigenito*. Quare propter Generationem Divinam ex Patre naturalem Primogenitus dici nequit. Sequitur ergo propter Generationem Divinam aliam, liberam nempe & metaphoricam, ita appellari, cujus ratione omnes Fideles, ejusdem specificæ Generationis Divinæ consortes, haberet suos Fratres. Sed cave Lector ne unquam ejusmodi Generationem liberam in Filium Dei Metaphoricum Christo tribuas. Est ille *Unigenitus Dei*, non solùm quia ille solus a Patre naturali Generatione procedit, sed etiam quia in Generatione sua Divina, ex qua Filius Dei est & dicitur, nullos habet Fratres. Hoc titulo *Unigeniti Filii Dei* ergo Unica Generatio & Filiatio Divina Christo evidenter tribuitur, & excluditur omnis Metaphorica. Est quoque *proprius Dei Filius*. Sed proprius ejusdem Dei Patris nunquam fieri potest Filius ejus Metapho-

phoricus. Aut negari debet perfectio Generationis ejus naturalis, omnisque per eam similitudinis consummatissimæ cum Deo Patre collatio, & statui quod hæc revera nova aliquâ Generatione aut Filiatione Metaphoricâ perfici possit. Aut negari debet Personæ Unitas in Christo, naturarumque Divinæ & Humanæ Unio Hypostatica, cujus sequela est communicatio idiomatum. Nam si hanc verè credas, jam credis etiam Christum Hominem ab initio existentiæ suæ fuisse Filium Dei naturalem proprium Unigenitum æternum: atque adeo cum in assumta etiam Humanitate fieri non posse Filium Dei Metaphoricum & Adoptivum. Filius Creator creatura quidem in altera natura unita fieri potuit, & servus Dei, non verò Filius ejus ex adoptione, qui talis naturâ fuit ab æterno. Hæc sunt vera, solida, æternæque Veritatis fundamenta, quibus innixi Ephesini Patres damnarunt illud Nestorii; *Nomen Filii Dei* in Christo *indicare duas naturas:* & Francofurtani illud Elipandi ac Felicis; Christum esse Dei Filium, *Unigenitum in Natura*, & *Primogenitum* in *adoptione* & *gratia:* de quo egimus in Lib. de *Nestorianismo &c. Cap.* III. §. XLVIII.

IX. Deinde etiam nullus video, quomodo propter Generationem Divinam metaphoricam ac liberam *Primogenitus* dici queat, si literæ vocis inhærere velis. Si dicas ita genitum esse in Filium Dei per *Miraculosam Humanitatis Sanctæ productionem*, jam deleris literam. Vox enim *primus* in Voce Primogeniti proprie sumtâ semper notat *tempore primum* genitum. Sed Adamus immediate a Deo creatus cum Imagine ejus sic præcessit, & fuit inter omnes Homines Filius Dei primo genitus. Si statuas porro ita genitum esse a Deo, per *Resuscitationem ex morte*, iterum literam relinques, nam plures ante Christum ex morte resuscitati fuerunt, & Moses etiam in monte visus ad vitam immortalem, uti maximè probabile est. Si instes, neminem tamen ante Christum virtute propria esse resuscita-

tum; dicam Ego, etiam neminem post eum, sed ipsum solum ita resurrexisse. Atque adeo ipsum hoc respectu potius dicendum esse Unigenitum Dei Filium quam Primogenitum. Si ponas denique eum ita genitum esse in Dei Filium per *Munus Mediatoris* ipsi destinatum ac collatum, monere rursus debeo, Te sic quoque a litera abire. Primogenitus est propriè, qui ex ejusdem speciei generatione vel habet, vel habere potest Fratres, tempore modò reliquos præcedens. Sed Munus Mediatorium Divinum Munus est, cui gerendo nulla creatura nuda sufficit, cujus respectu itaque non Primogenitus sed Unigenitus iterum vocari deberet. Est enim Unicus Mediator Dei & Hominum, neque in hoc Munere fratres habet ejusdem Generationis, neque habere potest *Jer.* XXX. 21. Si dicas Prædestinationem ejus in Mediatorem illam reliquorum εἰς υἱοθεσίαν præcessisse, & hoc respectu Primogenitum vocari; regeram Ego; me quidem concedere, etsi Prædestinatio æterna tempori non subsit, opificio mentis nostræ tamen nos alia priora alia posteriora posse cogitare decreta ordine naturæ talia; sed simul me negare sic ordine naturæ Prædestinationem Filii in Mediatorem præstruendam esse Prædestinationi nostræ in Filios adoptivos, nisi statuere velis Deum prius cogitasse de Medico, & postea de sanandis ægris, ordine sane præpostero, Universalismo etiam favente.

X. Et infeliciter conferunt profectò, qui Primogenitum dictum volunt Christum propter Generationem Divinam ex Deo Patre suo, Locum ex Epistola ad Colossenses, ubi *Primogenitus omnis creaturæ* appellatur, quasi apertum satis esset Eum ita vocari, quia *genitus est ex Deo Patre ante omnem creaturam.* Egimus de hoc Loco haud indiligenter in Libro de *Nestorianismo &c.* Cap. XII. §. CLVII. — CLIX, ad quem Lectorem remittimus. Nunc tantùm hoc addimus. Qui propriè ratione genituræ suæ ac primitatis (ut ita dicam) appellatur Primogenitus,

tus, is, ex omni loquendi usu, ponitur, QUA GENITUS, in Numero & Ordine illorum, quorum dicitur Primogenitus, & utrisque generatio genere vel specie eadem tribuitur. Si ergo Christus heic sensu proprio propter Generationem in Filium Dei dicatur Primogenitus, necessariò sequitur, ut non *qua Homo* & *Creatura*, sed QUA FILIUS DEI GENITUS, in ordine & numero *Creaturarum* ponatur, & consequenter ut *qua Filius Dei genitus* sit; vel Creatura extra essentiam Dei libere producta ante hunc mundum, quod voluit Arius; vel Creatura nova, ante omnes alios fideles N. T., Deo similis ea Sanctitate, qualem in Novo fœdere præcepit, quod volunt Sociniani. GREGORIUS NYSSENUS Orat. II. contra Eunomium, *C.* II. p. 453. ut Arii telum ex hoc loco evitaret imprudenter prælusit Socino, *Primogenitum* scribens dictum fuisse Christum propter *similem per aquam* Baptismi *& Spiritum Generationem* Divinam, *cujus* nos *cum ipso participes facti sumus.* Alii verò Enallegen graduum heic esse, atque superlativum πρῶτος vel pro positivo πρὸ, vel pro comparativo πρότερος positum, statuerunt. Adeo ut πρωτότοκος heic idem esset ac πρότοκος *prægenitus*, vel ac προτερότοκος *prius genitus.* Sed insolens prorsus est ejusmodi Enallege in voce πρωτότοκος. In simplici πρῶτος quidem reperitur *Joh.* I. 30. verùm nullibi in compositâ hac voce πρωτότοκος. Utique sic Secundus Filius ratione Tertii, & Tertius ratione Quarti posset dici *Primogenitus*, id est, *Prægenitus*, vel *Prius genitus.* Sed detur mihi vel unus locus ubi hoc occurrit. Deinde si detur talis, nihilominus tamen improbanda esset hæc Vocis de Christo adhibitæ acceptio; quia & sic *qua Filius Dei genitus* in ordine & numero eorum poneretur, quorum respectu diceretur *Prægenitus* vel *Prius genitus*, quia hoc sensu πρωτότοκος ille propriè diceretur, qui ejusdem specie geniture cum reliquis, quibus tempore generationis modò præfertur, esset particeps.

XI. Concludimus ergo quod *Primogeniti* Titulus Christo non detur *propter Generationem Divinam ex Deo Patre*. Si verò dicas; *quomodo Primogenitus est, si non genitus?* Respondeo: eodem modo quo Rabbini Deum, quem unum personâ esse, neutiquam verò Genitum ab alio esse, credunt, appellant *Primogenitum Mundi*, id est, Dominum ejus; & quo Scriptura vocat Diabolum *Primogenitum mortis*, id est, mortis imperium habens *Job*. XVIII. 13; imo simili modo quo Imperatores Romani jam à longo tempore *Cæsares* dicti sunt. Quod nomen primò quidem inditum est probabiliter alicui ex Juliorum gente, quia cæsus erat ex matris utero. Exinde vero nomen Familiæ evasit, & tandem nomen Principatus, quo Imperatores Romani insigniti fuerunt; quodque nihil aliud in illis nunc significat quam Imperatorem ac Principem; nihil autem ejus propter quod primò alicui ex populo Romano datum est. Simili ergò modo: quo Carolus Sextus Imperator hodie appellatur *Cæsar*, nec tamen cæsus est ex matris utero, neque Elephantem, qui linguâ Maurorum Cæsar dictus perhibetur, occidit, neque cum Cæsarie magnisque crinibus natus est, neque cæsios oculos habet: vocatur Christus *Primogenitus*, absque ullâ ordinis geniture connotatione, quia est Princeps & Dominus.

XII. Scilicet hoc Nomen Ipsi datur non propriè sed metaphoricè. *Primogeniti* sunt vulgò *Dilectissimi*, & *Desideratissimi*, *Mich*. VI. 7. *Zach*. XII. 10, *Honoratissimi Genes*. XLIII. 33. XLIX. 8. *coll*. 1. *Chron*. V. 1. 2; naturaliter Regni paterni 2. *Chron*. XXI. 3. *Exod*. XI. 5. XII. 29. 2. *Reg*. III. 27. & ex Lege duplæ portionis quoque, quæ בכרה dicitur, *Hæredes Deut*. XXI. 15. 16. 17. 1. *Chron*. V. 1. 2; Sacrorum denique ac Familiarum post Patres *Præfecti Gen*. XXVII. 29. XLIX. 3. *Exod*. XIX. 22. *coll*. *Exod*. XXIV. 5. Unde per Metaphoram hoc titulo ornantur Charissimi non solùm & Desideratissimi, sed etiam & maximè Præstantissimi Virtute Fortunâ Munere Imperio. *Exod*. IV. 22. *Jer*.

Jer. XXXI. 19. 20. *Heb.* XII. 23. *coll. Jac.* I. 18. Si ullus certe Christus hoc titulo dignus est. Est Ille *Amor* cæli *Prov.* VIII. 30. *Jes.* XLIII. 1. *Math.* III. 17. *Joh.* III. 35. *Coloss.* I. 13. Deliciæ Generis Humani ac *Desiderium gentium* *Cant* V. 16. *Hagg.* II. 8, & dignus qui a nobis supra omnia & omnes æstimetur ac *diligatur Matth.* X. 37. Deinde si Primogenitus habet *Fratres* vel habere potest, etiam in hoc Primogenito similis est Dominus; quare Paulus eum vocat *Primogenitum inter multos Fratres Rom.* VIII. 29. Non habuit quidem fratres uterinos ex Matre Virgine, attamen cognatos, qui Fratres ipsius dicti fuere *Gal.* I. 19. *Matth.* XII. 46. 47. Sed qua Homo est ex Adamo communi parente & Noacho, omnes Homines, & qua Judæus est ex Abrahamo Isaaco Jacobo oriundus, omnes Judæos Fratres habet. Quorsum fortè respexit Paulus. *Nam & qui Sanctificat, & qui Sanctificantur, ex Uno,* Abrahamo vel potius Adamo, *sunt omnes. Quam ob causam non erubescit eos vocare Fratres Heb.* II. 11. Præ aliis tamen omnibus Fideles & Sancti sunt Fratres ejus *Matth.* XII. 50. non solùm ob morum similitudinem & inde sequentem etiam mutuum affectum: verùm etiam, si ita velis, intuitu Generationis Divinæ ex eodem Patre. Unde ipse Dominus ait; *Proficiscere ad fratres meos, & dic eis, Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum Joh.* XX. 17. Quorsum Alii Verba Pauli modò laudata ex *Heb.* II. 11. referre malunt. Christus est Genitus à Deo Patre, *Ps.* II. 7. & Fideles sunt Geniti *Joh.* I. 12. 13. Est hîc Communis Genitura, & communis Filiatio Divina ac proinde Fraternitas, si *Nomen* spectes, & *Generalissimum Productionis* conceptum. Sed si *Rem ipsam* respicias, nempe Generationem ac Filiationem Divinam, hæc in Christo & fidelibus toto cælo *totoque genere* differunt. *Ille* est Filius Dei ex generatione naturali æterna per Communicationem ejusdem numero Essentiæ Divinæ. Nos sumus Filii Dei ex Generatione libera temporali per communicationem similitudinis qualiscumque cum

Deo. Christus est Filius Dei Natura, Nos Adoptione & Gratiâ. Quare significanter dixit *Adscendo ad Patrem*, non Nostrum, sed *Meum*, *&* ad *Patrem Vestrum*. Cave itaque unquam credas aut statuas, Christum dici Primogenitum, quia Fratres habet ejusdem genere vel specie Filiationis Divinæ secum participes. Non permittit hoc Gloria Unigeniti & Proprii Filii Dei. Unigenitus non potest habere Fratres ejusdem generationis ex eodem Patre. Proprius fieri metaphoricus nequit, etsi fratres adoptivos ex Generatione alia & Libera recipere possit Unigenitus & Proprius *Filius*. Non alios habet ex *Uno* Deo Patre Fratres quàm Adoptivos & Metaphoricos noster Dominus, Ipse non Adoptivus, non Metaphoricus, sed Proprius tantùm & Unigenitus Dei Filius; atque sic per metaphoram etiam *Primogenitus* inter *multos Fratres*, id est *præstantissimus*, vocatur. Est enim Filius naturalis præstantior Adoptivo, in quo *Imago* tantum est Filii naturalis, uti Paulus ideo hoc eleganter expressit, nos esse prædestinatos *conformes* IMAGINI FILII SUI, id est εἰς υἱοθεσίαν *Rom.* VIII. 29. ut ipse Filius sit & fiat *Primogenitus*, id est PRÆSTANTISSIMUS & *Dominus inter multos fratres*, libera Dei Voluntate & Decreto tales. Quæ fusius in *Lib.* de Nestorianismo &c. *Cap.* XIII. tractavimus.

XIII. Atque adeo, ut in hujus metaphoræ expositione pergam, *Primogenito* comparatur Christus; non solùm quia verè *Desiderabilis* est, aut quia *Fratres* habet; sed etiam & magis, quia *inter Fratres* est DIGNISSIMUS EXCELLENTISSMUS PRÆSTANTISSIMUS. Optimè ANDREAS HYPERIUS insignis Theologus. *Semper autem apud Hebræos nomen Primogeniti significat dignitatem & præeminentiam præ cæteris. Unde ipse populus Israël Exod. 4. vocatur filius primogenitus. Ac jus primogenituræ summam adferebat dignitatem, cuicunque illud cessisset, sive ei qui ante alios esset natus, sive post alium. Quod videre licet in Jacobo, qui junior erat, & tamen emerat ab Esau jus primogenituræ. Itaque convenit*

nit intelligamus, Christum ideo vocari primogenitum, ut significetur summa ipsius dignitas: atque ipsi convenire gloriam, potentiam, quæ nulli alteri filiorum Dei (quoniam tantum sunt filii per adoptionem, cum ipse sit filius naturalis) possit tribui. Cum Christo tribuitur, DIGNITATIS & PRÆEMINENTIÆ est nomen, NON ORDINIS GENITURÆ. Datur itaque hoc Nomen Honorificum & Excellentiæ plenum Christo, ut ejus Eminentia in omnibus indicetur, & quod sit, ut cum paulo *Coloss.* I. 18. loquar, ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων *in omnibus ipse primas tenens.* Uti revera sic primas tenet, & PRÆSTANTISSIMUS est *inter Fratres* suos. Primò *Ratione Generationis ac Filiationis suæ Divinæ*, quæ in Ipso non gradu major, sed *toto genere alia* est quàm in omnibus ejus Fratribus, uti modò dictum est. Unde Filii Dei nomen in ipso διαφορώτερον esse dixit Paulus *vers.* 3. De quo latius egimus in *Lib.* de *Nestorianismo &c. Cap.* XXII. Secundò *Ratione Humanitatis suæ* assumtæ. Sic est *multò pulchrior effectus Filiis hominum Psalm.* XLV. 3. Humana enim natura ejus vi Unionis Hypostaticæ proximè infra Deitatis fastigium supra omnes reliquas creaturas evecta est. *Qua Homo* solus Ille inter mortales ex Virgine natus est Immanuël; & Sanctitate immaculata non solùm, verùm etiam immutabili prorsus, qualis nec in ipso Adamo fuit integro, à primo conceptionis momento ornatus *Luc.* I. 35. *Heb.* VII. 26. 2.*Cor.* V. 21. *Dan.* IX. 24. Imo *dici potest quòd dupla portio* Donorum Spiritus Sancti Humanitati ejus cesserit *Jes.* XI 2. *Joh* III. 34. *Ps.* XLV. 8. si velimus & hæc *Primogenita* transferre ad Primogenitum nostrum. Quare etiam multi Veterum, Christum esse Unigenitum, quà Deus est, sed *Primogenitum, qua Homo* est, præstantissimus nempe, meritò dixerunt. Quando autem Nonnulli eorum simul statuerunt hunc Titulum non competere Christo, nisi postquam Homo factus est, existimantes id solummodo posse dici Primogenitum, quod in suo genere summum est; erraruut, quia quod absolutè summum est, ut *Deus* ipse, Hebræis

pariter & gentilibus hoc titulo *Primogeniti* insignitur. Tertiò primas tenet *Ratione totius Personæ suæ.* Sic est verè Mirabilis. Æternus πρὸ πάντων existens *Col.* I. 17. & simul in tempore factus; Θεάνθρωπος, Creator omnium & simul creatura; Pater noster, si ad Rem ipsam Generationis nostræ Divinæ metaphoricæ respiciamus, *Jes.* IX. 6. VIII. 18. LIII. 10. *Psalm.* CX. 3. & simul Frater, si commune Filiorum Dei Nomen intueamur. Quartò denique *Ratione Munerum* quæ gerit. Sumus & Nos *Primogeniti*, *Sacerdotes & Reges* Deo facti, sed per Christum *Primogenitum illum ex mortuis Apoc.* I. 5. 6. Aharonici fuerunt Sacerdotes in locum Patrum, & Primogenitornm suffecti, quatenus hi olim Patribus defunctis vel absentibus pro totâ familiâ Sacra faciebant; sicuti Levitæ eis successerunt in Ministerio quod Patribus Sacerdotibus præsentibus præstare solebant olim *Num.* III. 12. 13. præ fratribus Deo consecrandi Ministri *Exod.* XIII. 2. Sed his omnibus longè præstantior est *Sacerdos* Christus, cujus modò illi fuêre leviores Umbræ, Imagines, Typi, Homines nempe nudi, peccatores, pro suis etiam peccatis offerentes, mortales, brutas victimas mactantes, quæ nunquam peccatum verè tollere poterant. Dum Christus est Sacerdos *Divinus*, ex Jacobo & Israële quidem ut verus Homo, sed & ejus *Magnificus* & *summus Dominator Jerem.* XXX. 21. *Heb.* V. 5. Sacerdos etiam *Sanctissimus*, cui necesse minime fuit pro peccatis propriis offerre victimas *Heb.* VII. 26. 27. Sacerdos præterea *Singularissimus*, qui non sanguinem *alienum*, sed *proprium*, & per Spiritum Deitatis suæ æternum *semet ipsum* obtulit patiens & moriens in terra pro nobis, ipsemet Sacerdos, ipsemet Victima simul *Heb.* X. 12. 13. 14. 15. 26. Sacerdos porro *Efficacissimus*, qui unica sui ipsius oblatione verè expiavit peccatum omne, atque pro infinitis peccatorum nostrorum pœnis plenissimè satisfecit *Heb.* IX. 26. 27. 28. X. 10. 11. 12. 14. Sacerdos denique *Perpetuus* & *Unicus*, juxta *ordinem* narrationis Mosaicæ de *Melchizede-*

co;

to, cujus nec finem vitæ, nec socios aut successores memoravit Moses. Etsi in Aaronico sacerdotio fuerit typica præfiguratio Sacerdotis Christi; tamen nullibi *dicitur* Sacerdos secundum *ordinem Aaronis*, uti sapientissimè observavit Paulus *Heb.* VII. 11. Scilicet in Aaronico Sacerdotio fuit quidem excellentissima Imago Vicariæ passionis Christi pro peccatis solius Israëlis veri. Sed in Melchiseci illo, prout occurrit in Historia Mosis, sine Patre, sine Matre, sine genere, sine initio dierum & fine vitæ, sine Sociis & sine Successoribus, fuit præterea excellentissima profectò præfiguratio Christi ut *Divini Æterni* ac *Unici Sacerdotis*; qui Sacerdotium habet ἀπαράβατον quod nullo modo transmittitur, & uni personæ alligatum est, non uni Familiæ, ut fuit illud Aaronicum *Heb.* VII. 15, 16, 17, 18, 21, 23, 24, 25, 28. X. 12. In quo Aaronico Sacerdotio etiam Regnum cum minimè fuerit junctum Sacerdotio, uti in Melchisedeciano, exinde quoque *Primogeniti* Nostri Præstantia apparet, quod non modò Divinus Unicus ac Perpetuus Sacerdos sit, sed & *Rex* ac *Dominus* Fratrum suorum.

XIV. Itaque Quintò datur ipsi hoc Nomen maximè propter Eminentiam *Dominii*. Optime *Bullingerus*. *Unigeniti* nomen *Divinitatis æternitatisque est argumentem*. *Primogeniti* vero nomen est *Dominii* & *Regni*. Ita est. Hæc est præcipua caussa ob quam *Primogeniti* titulo insignitur. Nec quicquam obstat, quod & sic Deus Pater & Spiritus Sanctus pariter *Primogeniti* possent appellari creaturæ veteris & novæ. Nam nulla difficultas esset in eo si quis Deo Triuni propter Universale Dominium hunc titulum daret, sicuti Judæorum nonnulli Deum vocant *Primogenitum Mundi*, id est, Dominum ejus. Quando Christo datur hic Titulus in significatu Dominii, non magis excluduntur a Dominio illo Divino Pater ac Spiritus Sanctus, quam quando Paulus Jesum Christum vocat *unum Dominum*

num nostrum 1. *Cor.* VIII. 6. Sicuti etiam ibidem Christus a Deitate non excluditur, quando Patrem vocat idem Apostolus *unum Deum* nostrum. Interim etsi jure Creationis Deus Triunus sit *Primogenitus Mundi*, id est, ejus Dominus, Filius Dei tamen solus jure Redemtionis est Dominus Ecclesiæ & fidelium ut *Fratrum* suorum. Quia ille solus ut Filius naturalis *Fratres* adoptivos accipere potest, uti Pater & Spiritus S. *Filios* adoptivos, non Fratres. Hinc etiam in Scriptura soli Filio hic titulus datur, non Patri non Spiritui Sancto. Certè præit manifestè Scriptura docens, *Primogeniti* Nomen Christo dari, ut Nomen *Auctoritatis Dominii* ac *Regni*, ut significetur esse *Excelsus supra Reges terræ Ps.* LXXXIX. 28. *Princeps* & *Caput Ecclesiæ Coloss.* I. 18. *Princeps Regum terræ Apoc.* I. 5. uti ostensum est a nobis in *Lib.* de Nestorianismo &c. *Cap.* XI. XII. XIII. Et est profectò hoc sensu *Primogenitus* absolutè, ob Regnum commune in omnia Divinum quod habet qua Deus cum Patre & Spiritu, & ob Regnum Mediatorium speciale, cum Gratiæ in Electos, tum Potestatis in cuncta creata, dirigenda ab Ipso in Bonum Ecclesiæ suæ. Commune illud Regnum fundatum est in Eminentia summæ Perfectionis Divinæ, & in Beneficio Creationis & Conservationis omnium. Unde *Hæres omnium* dicitur *vers.* 2. qui est *Filius* naturalis *vers.* 1. & qui *mundum condidit* atque *conservat vers.* 2. 3. & *Primogenitus omnis creaturæ* vocatur id est *Dominus* ejus, qui est *Imago Dei invisibilis*, id est, Naturalis ejus Filius, & per quem *condita sunt omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt*, . . . *omniaque consistunt Coloss* I. 15. 16. 17. & qui alibi ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, *Princeps creaturæ Dei* appellatur *Apoc.* III. 14. cujusque ut Creatoris dicitur esse *terra omnisque plenitudo ejus Ps.* XXIV. 1, 2. Speciale Regnum Mediatorium in Beneficio Redemtionis fundatum est, nimirum, & *Potestatis* in omnia ut subserviant saluti Electorum, de quo *Psalm.* VIII.

6, 7,

6, 7, 8, 9. *Matth.* XXVIII. 18. *Joh.* III. 35. 1. *Cor.* III. 22, 23. & *Gratiæ* in Electos. Hujus respectu dicitur *Primogenitus inter multos Fratres Rom.* VIII. 29. *Princeps* ac *Primogenitus ex Mortuis*, id est *Caput* ac Dominus *Ecclesiæ*, *ex mortis* Vicariæ merito factus *Coloss.* I. 18, quemadmodum exposuimus Locum istum in prænominato Libro nostro, *Cap.* XII. Imo hujus respectu Heri & Hodie Idem fuit & est *Primogenitus*, id est *Dominus* totius *Domus suæ Heb.* III. 2.-6. Olim *Davidis Dominus Psalm* CX. I. & *Hæres Vineæ* Israëlis *Matth.* XXI. 38, cujus *Solium* ab initio orbis *Stabilitum* fuit *Psalm.* XCIII I, 2. *Mich.* IV. 8. Sed nunc Regnum ejus extensum est in *omnem carnem Joh.* XVII. I, 2. *Omniumque*, *Judæorum* pariter ac *Gentium Dominus* est factus *Act* X. 36. *Rom.* X. 12. & sic *Iterum* ut *Primogenitus in Orbem terrarum introductus*, uti loquitur Paulus porro in Textu, præmittens *Mandati* sequentis de Adoratione ejus Religiosa, ab Angelis etiam instituendâ, *Tempus.*

DIS-

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA

DE

SECUNDA PRIMOGENITI IN MUNDUM INDUCTIONE.

AD

HEBR. Cap. I. *vs.* 6.

I.

TEMPUS hoc ita describit Apostolus, ὅταν πάλιν εἰσαγάγῃ Primogenitum εἰς τὴν οἰκουμένην. Ante omnia ad rectam horum Verborum intelligentiam monenda sunt quædam de particula πάλιν. Et quidem *Primò*, quòd non debeat loco suo moveri & transferri ad Verbum λέγει, sed referri ad Verbum εἰσαγάγῃ cum quo proximè connectitur in Textu. Trajectionem hujus particulæ, post Græcos plures unumque & alium ex Latinis Patribus, statuit ex nostris inprimis BEZA. *Primò*, inquit, *notanda est trajectio particulæ* πάλιν *rectè quoque à Syro Intt. observata. Nec enim significatur bis introductus Filius in mundum. Sed hac particula Apostolus testimonia conjunxit; ac si diceret* πάλιν δὲ ὅταν &c. Vertit itaque *Beza. Rursum autem, cum inducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit* &c. Similiter Vetus Interpretatio Belgica. Verùm dudum à præstantissimis Interpretibus notatum est: quòd hæc Trajectio sit *dura* admodum & absque *ullo exemplo:* & præterea quòd minimè *necessaria* sit, quia omnino Christus *bis* in orbem habitabilem est intro-

introductus, etsi non *bis* sit incarnatus; male enim supponunt hujus Trajectionis Auctores, quod non alia sit Primogeniti in terram habitatam Introductio quam per Incarnationem, unde illud BEZÆ, *nec enim bis est introductus:* & denique quòd sic Paulus *Stylum* suum inchoatum antea & postea retentum *mutasset.* Ubi enim Testimonium novum adjungit, ibi constanter dicit καὶ πάλιν. Vide præcedentem *Versum Quintum*, & *Cap.* II. *vers.* 13. 14. Stylus itaque inchoatus & postea continuatus omnino postulasset, ut hoc in Loco scripsisset quoque, καὶ πάλιν *& rursus*, cum Primogenitum introducit in orbem terrarum, *dicit.* Particula ergo πάλιν omnino pertinet ad Verbum *Introducit.* Ordo & structura Verborum hoc flagitant. Ne dicam de Psalmi XCVII. Inscriptione Græca ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσταται, ad quam respexisse Paulum conjiciunt Nonnulli. *Secundò* & hoc observandum est, quòd Alii in *constructione* quidem hujus particulæ πάλιν cum verbo λέγει abeant ab His Interpretibus, verùm minime in *sensu.* Quòd ab ipsis etiam ex eodem fonte fieri constat, quia nempe non aliam per Incarnationem Primogeniti in orbem terrarum Introductionem posse cogitari supponunt. Sic SEB. SCHMIDIUS particulam πάλιν ad verbum εἰσαγάγῃ quidem refert, sed hoc modo & sensu, ut intelligatur, non *Iteratæ* vel *Secundæ Introductionis* prædictio, sed unius ejusdemque introductionis per Incarnationem *iterata prophetia.* Ita ut *prima* & *secunda* extarent *Psalm.* II. 7. 2 *Sam.* VII. 14, juxta præcedentem *vers.* 5. sed *tertia Psalm.* XCVII. ad quam heic respiceret Paulus. Unde CALOVIUS; *Parum refert*, *sive explicetur* iterum, quando introducit, *cum* Syro, Vatablo, Hentenio, Sasboldo, Grotio; *sive reddatur*, cum verò iterum introducit; *quod tamen posterius simplicius est sine trajectione vocum, & magis congruit textui.* Cum iterum introducit Primogenitum in mundum, *id est*, *cum iterum loquitur vel vaticinatur de introductione ejus in mundum*, *vel de* Adventu ejus in has terras, *ad erigendum regnum suum*, *qui*

accidit in Incarnatione. Tertiò ex eodem principio, quòd Introductio Primogeniti in Habitabilem sit ejus Incarnatio, quæ semel facta est, cogitant Alii, quòd particula πάλιν ad Verbum εἰσαγάγῃ relata, heic esse queat *Oppositiva*, significans *contra*, *ex adverso*; ut sensus esset: *quando verò* hic, ratione Deitatis suæ *ab æterno genitus* Filius, ratione Humanitatis suæ *e contra in tempore natus* est, *dicit* &c. Atque adeo ut Nativitas Humana hac vocula πάλιν *opponeretur Generationi Æternæ*, uti loquitur Justinianus Jesuita, probans ex Demosthene, quòd πάλιν idem *apud Græcos interdum valeat quod* ἀναπάλιν, *hoc est*, *e contrario*, *vel*, *ex adverso*, *seu*, *vice versa*; & addens, *Græcæ linguæ peritissimos monere*, πάλιν *non iteratam* semper *sed* etiam *contrariam actionem significare*. Monuit hoc certè Camero in *Prælect.* ad *Matth.* XVIII. 19, 20. Et hoc sensu pro *è contrario* sumitur in Sacris *Joh.* XVI. 28. *Gal.* V. 3. *Jacob.* V. 18. Sed nemo non videt coactam & conquisitam valde esse hanc interpretationem; in qua etiam malè supponitur, in voce *Primogeniti* ad literam denotatam esse Generationem Filii æternam; & quæ non aliam ob causam proponitur, quam ut Græcorum Patrum Auctoritas teneatur, qui unà cum Ambrosio, *miro consensu*, *introducendi verbo Incarnationis Mysterium signficari affirmant*, uti scripsit idem Justinianus. *Quartò* itaque est hîc Particula πάλιν, ut ita dicam, *Repetitiva* actûs, Iteratam Introductionem significans; non indeterminatè, *sed determinate*, *Secundò*, ἐκ δεύτερου, *Altera vice* (*ten tweeden-maale*) factam. Quemadmodum aliàs quoque sæpe sumitur *Luc.* XXIII. 20. πάλιν οὖν ὁ Πιλάτος προσεφώνησε, nam sequitur *vers.* 22. ὁ δὲ τρίτον εἶπε πρὸς αὐτούς. *Gal.* I. 9. ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω *&c.* coll. cum *vers.* 8. Sic quoque *Matth.* XXVII. 57. coll. *vers.* 46. *Gal.* II. 18. *Heb.* V. 12. VI. 1, &c. Hoc ergo dicit Paulus de Primogenito; Eum *Altera Vice inductum esse in Habitabilem.*

II. *Introducens* non expresse nominatur, sed satis ex antece-

tecedentibus intelligitur. Non est Propheta in *Psalmo* xcvii. loquens. Neque est *Scriptura*, quam Grotius heic subaudiri debere, ut *Gal.* iii. 16, monet. Sed est *Deus* ipse in Scriptura & per Prophetas loquens. Et quidem *Deus Pater*, de quo *vers.* 5, 6. Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, υἱός μου εἶ σὺ &c. Ille qui superiora illa testimonia dixit *Psalm.* ii. 7. 2. *Sam.* vii. 14. Idem Ille & hoc *dixit* Angelis, ut adorent Primogenitum, & Idem ille Primogenitum induxit in Habitabilem.

III. *Terminus* ad quem sive *Subjectum* Introductionis exprimiter voce Οἰκουμένη *Habitabilis* vel *Habitata*. Significat hæc vox τόπον οἰκήσεως *Locum habitationis*; verùm non qualemcunque sed *terrestrem*. Subintelligitur enim ad vocem Οἰκουμένη omnium consensu Nomen γῆ *Terra*. Miscent itaque Cælum Terræ Sociniani & Grotius, quando per Οἰκουμένην heic intelligunt *Cælum*. Ita Schligtingius in Commentario. *Per terram autem istam non esse intelligendam hanc quam mortales incolimus, sed cælestem illam, quam aliquando immortales effecti incolemus, &* Res ipsa, *&* D. iste Autor sequenti Cap. 2. 5. *aperte declarat.* Res ipsa, *quod Christum hominem non ante Angeli adorarunt, quàm eorum Dominus & Caput evasit: hoc verò tum demum factum est, cum in cælum abiit, & ad dexteram Dei consedit*, h. e. futurum illum orbem *occupavit.* 1. *Pet.* 3. 22. . . . . Auctor *vero D. ipse seq. Cap. apertè ostendit, de quali terra loquatur, cum ait vers.* 5. Non enim Angelis subjecit mundum, illum futurum (τὴν οἰκουμένην) de quo loquimur. *Quid enim volunt sibi hæc verba, quæ addit*, de quo loquimur.... *Apparet hæc verba ita accipienda esse ac si dixisset: de qua etiam paulò antè locuti sumus, vel, de qua, cum* mundum *vel* terram *in hac materia nominamus, loqui & verba nostra accipere solemus.* Ita & Crellius in paraphrasi: *Porro autem, cum secundo in cælum Deus introduceret Filium suum Primogenitum (nam primùm illum in cælum eo tempore assumserat, cum eum edocere vellet ea quæ mundo esset promulgaturus, &*

sic ad munus suum præpararet) *dixit. Et adorent eum* &c. Similiter GROTIUS, ad *Heb.* I. 6. Ὀικουμένη *est regio illa suprema quæ ab Angelis habitatur, ut ipse mox Scriptor noster ad hæc sua verba respiciens dicet.* 2. 5. Ubi hæc adnotavit idem GROTIUS. *In regione illa superætherea sunt quidem Angeli, sed non illi imperant, ut Christus. Vocat hanc* Ὀικουμένην μέλλουσαν, *non quia jam non exsistat, sed quia nobis ea non plene nota est, nec adhuc contigit.* Sed nullibi Ὀικουμένη significat cœlum, verum ubique terram. Nullibi porro *Terra*, ne quidem Terra *Viventium*, quod tamen Aliqui Veterum voluerunt, pro Cœlo ponitur, uti prolixè supra demonstravimus in Dissertatione XIV. de *Hæreditate Terræ piis promissa.* Ubi quoque ORIGENIS figmentum, de *superiori* quadam *terra, Sanctorum habitaculo*, quamque *dorsum Firmamenti* vocavit, profligavimus. Concedimus Ὀικουμένην μέλλουσαν, non Angelis subjectam sed Domino Jesu, esse hanc eandem οἰκουμένην in quam Primogenitum introductum dicit in Textu Paulus, & quod hoc significare velit, quando addit *de quo loquimur.* Sed negamus illam Ὀικουμένην μέλλουσαν esse *Cælum, regionem superæthereamm*, in qua Angeli habitant, non imperant. Etenim illa οἰκουμένη μέλλουσα complectitur *ea omnia*, quæ in *Psalmo Octavo*, ab Apostolo in seq. *vers.* 6, 7, 8. laudato, Christi pedibus dicuntur *subjicienda;* qualia etiam sunt *oves & boves, bestiæ* agri, *volucres aëris, pisces maris.* An etiam boves in cœlo beatorum sunt, & oves & pisces maris, & quidquid permeat marium semitas? Hæc porro Ὀικουμένη est eadem cum illâ de quâ in *Psalmo* XCVII. 4. ἔφαναν αἱ ἀστραπαὶ αὐτοῦ τῇ Ὀικουμένῃ, in quâ proinde videntur Divinorum Judiciorum fulmina, quæ partim illustrant, partim percellunt, quod cælo beatorum non convenit. Præterea Bis in cælum fuisse assumtum Jesum Christum, putidissimum est Socinianorum figmentum; ut sic eluderent scilicet irrefragabilem pro Divina præexistentia Jesu ante Nativitatem ejus ex Virgine demonstrationem, ex Locis illis; in quibus dicitur fuisse apud Deum, supernè venisse,

a

a Patre exiviſſe, veniſſe in Mundum, miſſus & emiſſus a Throno Cæleſti; ab Orthodoxis ab ævo petitam. Et quia Veteres plurimi hanc Introductionem Primogeniti in Habitabilem de Incarnationis myſterio interpretati ſunt, ut idem ex hoc quoque loco noſtro petendum telum declinarent Sociniani, terram hîc in cælum etiam mutare maluerunt. Falſum eſt denique Jeſum poſt Exaltationem demum Angelorum Dominum & Caput evaſiſſe. Contrarium conſtat ex Loco illuſtri *Coloſſ.* I. 15, 16. Interim verum eſt quod Mali Angeli magis quam antea Glorificati Domini imperio cedere, triſtemque redire ſub orcum, juxta Prædictiones *Luc.* X. 18. *Zach.* XIII. 1, 2. coacti ſint, & quòd Subjectio Bonorum magis declarata ſit poſt Aſſumtionem Domini in cælum, qui moriens paulò minor ipſis factus fuerat; quorſum reſpicitur 1. *Pet.* III. 22. Et conſequenter etiam falſum eſt, tum demum, poſtquam in cælum aſſumtus eſt, adoraſſe ipſum Angelos. Adorarunt eum quando in terris verſantem agnoverunt & celebrarunt omnium *Dominum Matth.* XXVIII. 6. *Luc.* II 11. eique ut *Domino* miniſtrarunt *Matth.* IV. 11. *Joh.* I. 51. Et præſertim quando in cunis vagientem in campis Bethleemiticis laudarunt, eique ut *Deo incarnato* ἐν ὑψίστοις καὶ ἐπὶ γῆς ſimul exiſtenti, *gloriam ac pacem* plurimam religiosè præcinuerunt. *Luc.* II. 13, 14. Haud diffitemur quidem Angelis hîc mandari Adorationem Domini, poſtquam in cælum aſſumtus eſt, exinde tamen non ſequitur, quod hæc ejus introductio in Habitabilem ſit ipſiſſima ejus in Cælum aſſumtio; ſed potius cæleſtis Domini in mundo ſublunari manifeſtatio in omni gloria ſua: Quæ cauſa Novi hujus Mandati fuit de Veteri dudumque ab Angelis præſtito Officio.

IV. Neque eſt hæc Ὀικουμένη primò & directè ipſa *Eccleſia*, *per Metaphoram* ita dicta, uti volunt Celeberrimi nonnulli Interpretes. Nempe Ὀικουμένη, uti ſæpius alibi, ſic in *Pſalmo* XCVII. 4. reſpondet τῷ תבל. Hoc Vocabulum porrò; ſive a יבל in Hiph הוביל / *tulit*, unde יבול

proventus; five a בלל *confudit*, & in alia Conjug. *pabulum dedit*, unde בליל *pabulum*; notat eam terræ partem quæ *frugifera* eſt & *colitur*, cui opponitur מדבר *deſertum*. Quare in *Metaphorâ* poni Ὀικουμένην volunt pro *Eccleſiâ*, ſeu *ea hominum parte*, *in quâ ſementis Divini Verbi fit & fructificat*, *creſcuntque fructus Fidei & Reſipiſcentiæ*, & quidem pro *Eccleſia N. T.* quam τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν ſoli Chriſto ſubjectam vocaret Paulus *Cap.* II. 5. Sed inſolitum eſt in Sacris Ὀικουμένην, & quidem ſimpliciter nominatam, *Metaphoricè* poni pro *Eccleſiâ*. Et quoniam Ὀικουμένη μέλλουσα, de qua *Cap.* II. 5. complectitur *omnia*, pedibus Chriſti, in Regno *gratiæ* & *poteſtatis* ſimul Mediatorio, *ſubjicienda*, etiam *beſtias agri*, *volucres cæli*, & *piſces maris*, uti ex *Pſalmo Octavo*, ab Apoſtolo adducto, ut in quo hæc futuræ Habitabilis ſubjectio ſub Meſſiæ prædicta eſt, conſtat; certè latiori ſumenda eſt οἰκουμένη μέλλουσα ſignificatione, & per eam intelligenda ſunt cuncta ſubjecta Chriſto, ſive ut ſalvet ea, ſive ut utatur eis in Bonum Electorum; quorum etiam in Ipſo & cum Ipſo ſunt *omnia*, ut Cohæredum Hæredis omnium, 1. *Cor.* III. 22, 23. *Rom.* VIII. 17.

V. Neque etiam heic pro *Omnibus* & *Singulis Hominibus* ſumitur per *Metonymiam* alibi occurrentem, quando Chriſtus ultimo die Univerſalis Judicii dicitur Judicaturus τὴν οἰκουμένην, id eſt, *omnes* & *ſingulos homines* *Act.* XVII. 31. Nam ita Univerſalis nunquam fuit manifeſtatio Regni Chriſti. Neque tandem, per *Synecdochen*, *Aliqua* modò & *Certa* quædam terræ habitabilis *Regio* ac *Gens* hoc Ὀικουμένης vocabulo intelligitur; uti alibi, ubi Textus ipſe vel Contextus reſtrictam hanc ſignificationem flagitant, occurrit hoc ſenſu apud LXX. *Jeſ.* X. 23. XIII. 5, 9. &c. & in N. T. *Luc.* II. 2. *Act.* XI. 26. XXIV. 5. vel pro Chaldæa, vel pro Judæâ, vel pro Orbe *Romanis* ſubjecto, vel denique a Judæis diſperſis inhabitato. Haud indigna ſunt Verba Clar. *Jac. Altingii* in Comment. in Locum, ut hac occa-
ſione

sione a nobis describantur. *Quidam Hebræorum nonnunquam restringunt ad terram Canaan, quam* תבל *dictam volunt à* תבל *quod Rabbinis* aroma, condimentum, a תבל condivit, *quod sola illa regio condita fuerit lege & cognitione Dei; sed hæc interpretatio allegorica est, neque scripturæ authoritate comprobatur, quæ generaliter utitur; & non respondet voci οἰκουμένης, quam usurpavit Apostolus etiam hanc ob caussam, ne solis Israelitis Messias datus crederetur, qui in οἰκουμένῃ introductus est, ubicunque Homines degunt, quia ubique locorum, ubi homines, salus ejus sit extendenda*, ubi *homines, quia hominum non Angelorum aliarumque creaturarum servator; &* ubicunque *homines, quia ad omnes nationes pertinet. Luc.* II. 30, 31. *Act.* II. 25.

VI. Ita est. Οἰκουμένη simpliciter heic nominata, propriè primò & generaliter capi debet pro *Terrâ Habitata* ac *Habitabili:* sic tamen ut simul per metonymiam *Habitantes* in ea quoque intelligantur, absque exceptione aut discrimine Regionis vel Gentis ullius. Ita apud Græcos Οἰκουμένη simpliciter usurpatur pro *Orbe terrarum*, in quo Homines, cæteraque propter eos condita animantia versantur, quemadmodum a JUSTINIANO observatum est. *Non est dubium*, inquit SEB. SCHMIDIUS, *quin vox* οἰκουμένη *de orbe terrarum intelligenda sit, quando absolutè ponitur.* Certè ita sumitur: non modò ubi ὅλη additur *Matth.* XXIV. 14. *Et prædicabitur istud Euangelium Regni* ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ *ut sit testimonio omnibus gentibus:* sed etiam ubi simpliciter nominatur. Sic *Rom.* x. 8; *Imo verò in omnem terram exivit sonus eorum*, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς Οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. Et sic quoque capi videtur *Luc* IV. 5. XXI. 26. *Act.* XIX. 27. Maximè probabile est Paulum in hac voce respexisse ad *Psalm.* XCVII. 4. ἔφαναν αἱ ἀστραπαὶ αὐτοῦ τῇ οἰκουμένῃ: ubi notat idem quod γῆ mox in eodem Versiculo subjecta, εἶδε καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ, & pro utroque hoc vocabulo ponuntur *vers.* 6. πάντες οἱ λαοί. Pro *Orbe terrarum* itaque, *omnibusque populis, visuris gloriam Dei*, ponit Apostolus vocem Οἰκουμένη.

Eo-

Eodemque hoc sensu οἰκουμένη μέλλουσα de qua *Cap.* II. 5. intelligi debet. Quæ non alia est quàm Terra hæc habitata ab Hominibus, & Animantibus omnibus, quorum quædam in *Psalmo Octovo* nominantur: quæque *Futura* dicitur, quatenus alia facie alioque statu, juxta Oracula Prophetarum, *futura* erat, non *post ultimos dies*, sed *in diebus* hisce *ultimis*, tempore Pauli jam inchoatis, qui dies Messiæ sunt, & *seculi futuri* nomine etiam & primò comprehenduntur alibi in hac Epist. *Cap.* VI. 5. Implenda nempe nunc erat hæc Terra Cognitione Domini *Jes.* XI. 9, purganda a Spiritu Impuro, Idolis & Idololatris *Zach.* XIII. 2, & Sedes Regni Messiæ futura; ubi olim terra Israëlis & Jerusalem Thronus Domini fuerant, nunc Terra Gentium erat tota, sed successive, subjicienda ei, vario modo, pro diversitate subjectorum. Electi ejus incolæ spontaneo obsequio ipsum colerent. Infernales Spiritus cum mundo hostili ac reprobo omni inviti prorsus scabellum pedum ponerentur. Inanimatis & irrationalibus uteretur pro lubitu in bonum Fidelium subditorum suorum: quibus etiam concederet nunc usum eorum promiscuum absque ullo mundi amplius aut immundi animalis discrimine veteri, dum nihil nunc rejiciendum est, sumtum cum gratiarum actione, & sanctificatum per Verbum Dei, & preces 1. *Tim.* IV. 4, 5. Unde in *Psalmo Octavo*, quem allegat Paulus, ut probet Mundum futurum soli Messiæ esse subjiciendum, dicitur: *omnia posuisti sub pedibus ejus. Oves & boves, quotquot sunt: etiam bestias agri: Aves cæli, & Pisces maris: quicquid permeat semitas marium.*

VII. In hanc Habitabilem porro Primogenitum *Inductum* vel *Introductum* esse a Deo Patre ait Paulus. De *Inductionis* hujus *Modo* ac *Fine* variant Interpretes. Quorum nemo, quantum ego scio, cogitavit de *Inductione* per informationem & institutionem, ut Primogenitus Habitabilem *cognosceret*, ac disceret Regionum situm, populorumque mores ac historias: more vel peregrinantium, vel puerorum, qui ita ex Libris Mappisque Geographicis erudiri solent. Qualis Inductio

ductio Græcis εἰσαγωγὴ dicitur. Neque enim hujusmodi Inductio unquam facta est Corporalis, neque etiam conveniret, vel Patri inducenti, vel Filio inducto, Creatori orbis terrarum. Plures verò Interpretes, quà Veteres quà Recentiores, cogitarunt de *Inductione* per *Nativitatem* ex *Virgine*. Qui enim ex Matris utero in lucem prodeunt, a Deo εἰσάγεσθαι dicuntur *Epicteto*, uti observavit ad hunc Locum Doct. RAPHELIUS in Annotationibus Philologicis ex *Polybio* & *Arriano*: sive quia per nativitatem *adducuntur* in conspectum Hominum: sive quia εἰς ἓν ἄγονται *in unum adducuntur* & fiunt pars mundi visibilis. Quemadmodum εἰσάγειν apud HOMERUM *Iliad. Lib.* XII. in principio sumitur pro εἰς ἓν ἄγειν, ubi Neptunus & Apollo occurrunt ποταμῶν μένος εἰσαγαγόντες *fluviorum violentiam inducentes*, id est, in unum adducentes. Ad quod Patres respexerunt, hanc *Inductionem* Primogeniti de *Incarnatione* ejus explicantes; quam Paulus ita appellasset, quia in carne assumta Creatura ac μέρος κόσμου *pars mundi* factus est ὡς ἄνθρωπος, qui ἰδιότητι φυσικῇ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης διενεγκὼν, ἔξω τε αὐτῆς ὑπάρχων ὡς Θεὸς *proprietate naturæ ab universo orbe terrarum differt*, *extraque ipsum existit*, *ut Deus*, quemadmodum loquitur CYRILLUS ALEXANDRINUS in *Dialogo* VIII. de *Incarnat. Unigeniti*, *Oper. Tom. V*. Propria quidem Potestate ac Potentia, exiens à Patre, *venit in mundum* Filius *Joh.* XVI. 28, sed & Oeconomicè *emissus* a Patre, *corpus ei adaptante Heb.* X. 5. dicitur *factus ex muliere Gal.* IV. 4. & *adducendus* ab eo prædicitur *Zach.* III. 8. Nec dubium est quin sic inductum in orbem terrarum Dominum *adoraverint* quoque *Angeli*, uti supra a nobis probatum est. Sed difficultas in eo est, quomodò *Secundò* sic inductus in Habitabilem dici queat. Nec enim *bis est* introductus, inquit BEZA, nimirum per Incarnationem: qui ideo cum aliis trajectionem particulæ πάλιν perperam statuit. Mitto alienissima quorundam cogitata, qui *Secundam* Inductionem *Primogeniti*, *Angelis* perseverantibus ad adorandum propositi, in *Incarnatione* ponentes, *primam*

quærunt: Vel in *Generatione* ejus *æterna* quà Deus est, quia *genitus a Patre statim implevit spatia hæc in quibus postea orbis est conditus*: Vel in *Revelatione* Mysterii *Unionis Hypostaticæ* naturarum in Christo *Angelis* facta, quam Angeli apostatæ humano generi invidissent: de quibus videri possunt, A LAPIDE, JUSTINIANUS & CALOVIUS. Vir Clar ALTINGIUS; *Secundam* quoque Inductionem in *Reali Exhibitione* Primogeniti per *Incarnationem* & Corporalem inter Judæos secutam ejus Conversationem *Joh.* I. 14. *Rom.* I. 3, 4. XV. 8. *Gal.* IV. 4. collocans; *Primam* factam esse per *Promissionem* ejus ut Auctoris Salutis, inde à Paradiso sæpius repetitam, statuit; ut per quam olim etiam *in Mundo fuisse* dicitur *Job.* I. 10. Sequerer hoc, si de Introductione Messiæ in Mundum per Incarnationem ageret Psalmus XCVII. ad quem heic est respectus. Quod minimè concedunt omnes. *Totus Psalmus*, inquit CAMERO, *unde locus hic desumtus est, describit Majestatem Christi regnantis, & in hostes quidem severè animadvertentis, suos autem magnifice & plene liberantis: id quod ad Christi Nativitatem, quæ abjecta & humilis fuit, referri non potest.* Præterea & hoc obstat, quod *Secunda* inductio sic esset alterius generis, utpote *Corporalis*, quàm *Prima*, quæ *Spiritualis* est, quia Verbum promissionis menti præsentem stitit eum; cum tamen ratio omnino suadeat, ut prima & secunda conveniant in *Loco* non tantùm, quod & urget Clar. *Altingius*; sed etiam in *Modo* & *Fine*. Quod etiam agnoscere satis videtur Vir Clarissimus, quando ad *Realem exhibitionem* illam, per μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, refert, præter Incarnationem & Corporalem inter Judæos Conversationem, Manifestationem quoque ejus *inter gentes, non corporali præsentiâ, sed efficaci virtute, quam ἔνσαρκος glorificatus exercet. Act.* III. 25, 26. *Luc.* XXIV. 47. *Act.* I. 8. XIII. 46. *&c.* XX. 21. XXVI. 16.—23. *isto etiam modo rediturus ad Israëlitas Jes.* LIX. 20. *Rom.* XI. 26. *&c.* Quare & Alii, ut in eodem genere Corporalis Introductionis maneant, *primam* ponunt in *Apparitionibus* Filii Dei olim

factis,

factis, per quas *lusit* in Οἰκουμένῃ *Orbe terrarum* cum Hominibus *Prov.* VIII. 30, 31. atque incarnationis suæ futuræ præludia dedit. Quod propius omnino ad rem accedit; sed tamen incommodi hoc habet, nimirum, si *Secunda* inductio præcisè in Incarnatione *semel* facta ponatur, *prima* minus convenienter statuitur in *Apparitione* typicâ, quæ non semel sed sæpius, non uno sed vario modo, & tempore, olim contigit.

VIII. Alii itaque, uti per *Primam*, Christi Incarnationem, ita per hanc *Secundam Inductionem* ab Apostolo memoratam intelligunt ejus, per mortem *ex terra viventium abscissi*, *Resuscitationem ex Morte*, *ab Angelis visi* 1. *Tim.* III. 16. Fateor, Verbum εἰσάγειν haud repugnare huic expositioni. Si enim morientes ἐξάγειν *educi* è mundo dicuntur *Epicteto* apud eundem modo laudatum RAPHELIUM; Resuscitati iterum ex morte εἰσάγειν *induci* in mundum dici queunt. Idem etiam genus introductionis *Corporalis* utrobique sic ponitur. *Primogeniti* quoque titulus rectè datur Christo, ubi de Resurrectione ex morte agitur, quia est *Primogenitus ex mortuis*, id est, post Mortem & propter Mortem Vicariam factus & declaratus Dominus omnium. Imo hæc Introductio ejus meritò Deo Patri tribuitur judici, qui ut talis alibi sæpe ipsum resuscitasse perhibetur *Act.* x. 40. *&c.* Verùm latet aliquid augustius in totâ hac phrasi, *Introductionis in orbem terrarum*, præsertim quatenus petita est ab Apostolo ex Psalmo XCVII. ubi ejusmodi Majestatica Domini in orbem terrarum Introductio magnificis verbis describitur, *per quam illustraretur tota* οἰκουμένη, *omnesque populi viderent gloriam Ejus*, mundo per hanc ipsam Inductionem ostensi ac manifestati. Sed Resurgens ex Morte Dominus, est quidem *conspicuus factus*, verùm *non toti populo*, multò minùs gentibus, sed *testibus quos ipse prius designaverat*, *Act.* x. 40, 41. Unde etiam hi Interpretes, hac difficultate se premi sentientes, Corporalem iterum cum Spirituali Introductione minus aptè conjungunt, atque Re-

 sur-

surrectionem cum ejus *Consequentiis*, uti loquuntur, id est, cum ejus Prædicatione inter gentes, intelligendam esse monent.

IX. Quare etiam bene multi Interpretes Doctissimi, in oculis habentes laudatum *Psalmum XCVII.* *Secundam* hanc Inductionem Primogeniti de *Adventu Ejus ad Judicium Universale* interpretantur; qui *primo* introductus erat per Incarnationem. Certè de hoc *Adventu suo ad judicium*, dicit ipse Dominus, πάλιν ἔρχομαι *iterum* vel *secundò venio Joh.* XIV. 3. Tunc etiam veniet quidem ipse Dominus, sed & *inducetur* simul à Deo Patre, qui *statuit diem quo justè judicaturus est* τὴν οἰκουμένην *per* Eum *Virum quem definiit*, *Act.* XVII. 31. Erit porro hæc Introductio *Secunda*, æque ac *prima*, verè *Corporalis*, quia *ipsum videbit omnis oculus* eorum qui unquam hunc orbem terrarum inhabitaverunt *Apoc.* I. 7. Erit ampliùs Introductio *Juridica*, id est, immissio in possessionem, quia tunc omnia ei erunt subjecta, quod nondum videmus *Heb.* II. 8. *Omnes Angeli* præterea tunc ipsum *adorabunt*, *Boni quidem Angeli gaudentes ac venerabundi*, quorumque agminbus undique stipatus in gloria sua apparebit *Matth.* XVI. 27. XXIV. 31. XXV. 31. *Act.* I. 11. 2. *Thess.* I. 7, 8, 9. *Jud. vers.* 14. *Dæmones autem dolentes atque inviti potentiam ejus ac Divinitatem regnique magnitudinem agnoscentes*, *adorabunt*, uti ESTIUS scripsit; qui & addidit, *hunc sensum confirmari per illud Capitis sequentis*, non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum. *Quem orbem futurum velut digito monstrari*, ait, per *futuram* illam *Civitatem quam inquirimus*, de qua Paulus *Cap.* XIII. 14. In hoc *Adventu* denique *Secundo* implebuntur ea omnia quæ in Psalmo XCVII. prædicta leguntur. Tunc enim Dominus plenissimo sensu *regnabit vers.* 1. quando omnia ei subjicientur. Tunc *Nubes* & *Caligo circumstabunt* eum, *vers.* 2. *coll. Matth.* XXIV. 30. *Act.* I. 11. *Apoc.* I. 7. Tunc *Ignis ante eum procedet*, & *inflammabit circumquaque hostes ejus*, *vers.* 3. qui est ignis conflagrationis mundi & iræ æternæ in impios effun-

fundendæ, de quo 2. *Theſſ.* I. 8. 2. *Pet.* III. 10. *Apoc.* VI. 17. Tunc *fulgura*, *ſtellarum de cælo cadentium* nomine expreſſa *Matth.* XXIV. 29. percellent οἰκουμένην, & *terra tremet* & *montes liqueſient verſ.* 4, 5. coll. *Apoc.* XVI. 18, 20. Tunc denique *omnes populi videbunt gloriam ejus verſ.* 6. coll. *Matth.* XXV. 32. *Apoc.* I. 7. imo & *pudeſient omnes colentes ſculptile*, *coll. verſ.* 7. quando *Babylon illa magna*, *mater illa ſcortationum & abominationum terræ*, *igne exuretur Apoc.* XVII. XVIII. & Homo ille peccati ac Filius perditionis in *Illuſtri illo Adventu Domini abolebitur* 2. *Theſſ.* II. 8. Quem locum contulit PLACÆUS *Op. Tom. II. Part. II. Diſp. IX. Sect.* I. §. XXXV. XXXVI. *Quæ omnia ad amuſſim, ut & reliqua totius Pſalmi Secundo adventui Chriſti glorioſo quadrant*, quemadmodum loquitur GOMARUS.

X. Nullum eſt dubium quin hæc omnia, aliaque fortè plura, quæ apud ESTIUM, GOMARUM, ac PLACÆUM quæri poſſunt, magnam Veritatis ſpeciem concilient huic Exegeſi. Haud tamen efficere queunt ut hac in parte ipſis accedam longè Doctiſſimis cæteroquin ac judicioſiſſimis Scripturæ Interpretibus. Varia enim mihi obſtare videntur. In Adventu illo ſecundo apparebit *in aëre*, ac *in nubibus*, Dominus I. *Theſſ.* IV. 17. non deſcendet in haſce inferiores terræ habitatæ partes, uti in primo Adventu ſuo. *Judicabit de cælis*, *non deſcendet in terram*, inquit CAMERO. Quare *ſecundam* Introductionem Primogeniti εἰς οἰκουμένην minus commodè eam appellaſſet Paulus, quia in *eundem locum*, ut antea, non introducetur. Deinde veniet tunc Dominus ad *deſtruendam* hanc Habitabilem 2. *Pet.* III. 7.—10. Quamvis non concedamus Clar. MARESIO, id quod in *Syſt. Theol. Loc.* XIV. §. LXIII. aſſerit, *mundum hunc terrenum in ſtagnum ignis & Sulphuris, inſtar Sodomæ ac Gomorræ, ad Dæmonum & impiorum habitationem*, *tranſmutandum eſſe*; & quamvis qualitatem & ſtatum renovandæ olim terræ curioſè nimis determinare nolimus nec poſſimus, quia Scriptura ſilet; imo quamvis credamus Beatis dandam eſſe poteſtatem commoran-

di toties in terra renovatâ, quoties placuerit ipsis, & hoc etiam modo *terram hæreditaturos* esse *mansuetos*, de quo prolixè egimus supra in Dissertat. xiv. de *Hæreditate Terræ piis promissa*; certum tamen nobis atque indubitatum est, Cœlum Tertium fore sedem triumphantis Ecclesiæ cum Christo Capite ordinariam ac perpetuam, in quam transferentur Hæredes Regni in ultimo die 1. *Thess.* iv. 17. *Joh.* xiv. 3. Quomodo ergo diceret Paulus, tunc introducendum esse Dominum, Juridica inductione, uti loquitur Estius, in hanc Habitabilem, ab ipso possidendam in *Membris suis*, quæ incolerent eam, & ipsum *in ea* agnoscerent atque adorarent ut Dominum suum, cum suos tunc ex hoc mundo terreno *educet*, atque ad cœli sedes superas ac beatas transferet? Ipsa quoque vox 'οικουμένη nos ducit ad terram hanc præsentem, pro quâ etiam constanter ponitur in Sacris. Atque hanc ipsam Apostolus *futuram* vocat in sequenti Capite, utpote in quâ ex Prophetico Psalmi viii. Oraculo, & *homines* & *bestiæ* habitarent, uti supra à nobis observatum est, quod in renovata terrâ, Civitateque futura quam expectamus, locum non habebit. Ut frustra omnino *Estius* ex eo loco *confirmari* interpretationem suam scripserit. Solenniter quidem adorabunt Angeli Dominum in Adventu suo ad Judicium Universale glorioso, eritque tunc omnium potestatum spiritualium subjectio consummata. Attamen *solennis* quoque adoratio ac subjectio voluntaria bonorum, & involuntaria malorum Angelorum, dudum antea visa est, statimque obtinuit post Exaltationem Christi, ejusque per Evangelium in Mundo Prædicationem; cum quâ, etiam cum respectu, ut videtur, ad Oraculum Psalmi heic a Paulo citatum, immediatè connectitur, non tantùm a Petro, 1. *Pet.* iii. 22. *Qui est ad dextram Dei profectus in cœlum, subjectis ipsi Angelis & potestatibus ac virtutibus*, sed etiam a Paullo *Ephes.* i. 20, 21. *& collocavit ad dexteram suam in cœlis, longè supra omne imperium ac potestatem & potentiam & dominationem, & omne nomen*

men quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro. Cum quibus Locis conferri poſſunt *Epheſ.* III. 9, 10. I. *Tim.* III. 16. ὤφθη Ἀγγέλοις, intuitu ſcilicet obſequioſo, coll. *Matth.* XVIII. 10. Et quod attinet denique ad *Pſalmum XCVII.* agitur in eo de Regno Meſſiæ exaltati, ſed in *terra hac* erigendo, ubi *Inſulæ multæ & magnæ* reperiuntur, propterea valde *lætaturæ* cum *Tzijone*, *verſ.* 1. 8. Utique *Inſularum* in *Regno* Jehovæ *exultantium* mentio nos ducit ad Vocationem Gentium per Meſſiam, juxta ſtylum Prophetarum *Jeſ.* XLII. 4. XLIX. I. LI. 5. LX. 9. *Tzeph.* II. 11. *&c.* Agitur præterea de Regni Meſſiæ manifeſtatione, cujus proximus effectus foret *Idololatriæ everſio verſ.* 7. *Pudore ſuffundentur omnes colentes ſculptile, qui ſe jactant de Idolis.* Hoc verò continget quidem pleniſſime in Adventu Domini ſecundo 2. *Theſſ.* II. 8. quando *Idololatria Papalis* hodierna plane abolebitur quoque; attamen & hoc contigit dudum in *Idololatriæ Gentilis* Everſione per Prædicationem Evangelii in toto orbe, ad quam proximè & immediate reſpicit iſtud Pſalmi Oraculum. Unde conſequitur evidenter ibidem agi de *Introductione* Meſſiæ in orbem terrarum per *Prædicationem Evangelii*, quæ Adventum ejus ad ultimum judicium diu præcederet. Agitur denique in iſthoc Pſalmo Prophetico de Adventu Domini ad *judicium:* juxta illud *verſ.* 8. *Audiens lætatur Tzijon, exſultantque filiæ Jehudæ propter* Judicia tua, *o Jehova;* verùm hoc non eſt Judicium Univerſale, ſed particulare, in Regnum Satanæ inter gentes, cum maximè verò in rebelles *Judæos*, quorum Urbe & Templo funditus deletis, quibuſque ex terra ſua ejectis & extirpatis, *omnes populi viderent* & agnoſcerent Divinam Crucifixi Jeſu *gloriam*, & cum *pudore Idola* aurea & argentea objicerent talpis & veſpertilionibus, ſoli Deo huic Iſraëlis honorem exhibituri: quoſque *populos* hæc *fulgura* graviſſimi in Judæos exerciti judicii ita percellerent quidem, ut ſimul *illuminarent*, atque ad fidem Evangelii adducerent, juxta illud *verſ.* 4. *perluſtrant fulgura ejus orbem habitabilem,*

videns

videns formidat terra. *Ignis* tandem *ante* Dominum *procedentis*, *& inflammantis circumquaque hostes*, *& nubium caliginosarum*, *fulgurumque per lustrantium orbem*, *ac terræ trementis*, *montiumque liquefactorum*, mentio nos necessariò non ducit ad Ultimi Judicii diem; quamvis in eo adfutura sint hæc cuncta physicè sumta. Hæc enim omnia quoque memorari solent à Prophetis, quando *particularia judicia* emblematicè describunt *inopinata*, *manifesta*, *irresistibilia*, *gravissima*, *perdentia*, atque ex *justa* Numinis *ira* immissa. *Psalm.* LXXVII. 19. *Mich.* I. 3, 4, 5. *&c.* Quale judicium cum fuerit illud in rebellem Judæorum gentem exercitum Divinitus per Romanos, similibus etiam phrasibus prædictum occurrit in *Psalmo* L. 1.—6. & *Jes.* XXX. 33. *Malach.* IV. 1. & alibi.

XI. De *aliâ* itaque Primogeniti *Inductione* in *orbem terrarum* heic cogitandum est. *Corporalis* duplex, in Nativitate ex Virgine, & in Reditu ad Ultimum judicium, heic intelligi nequit. Remanet ergo ut hæc Introductio sit *Spiritualis*. Hæc vero est quâ Verbo & Spiritu præsens sistitur Mundo, eum in *Finem* ut ab illo cognoscatur, agnoscatur, & recipiatur ut *Primogenitus* & *Hæres* & *Dominus*, jure Creationis pariter ac Redemtionis; idque cum *Effectu* in omnibus Electis ex Judæis & Gentibus salutari. Hoc modo semet ipsum mundo manifestans electo alibi dicitur *ingredi portas seculi Psalm.* XXIV. 7. heic verò à Patre Judice *Induci in orbem terrarum.* Duo inprimis hac phrasi metaphoricâ eleganter exprimit Paulus. *Primò*, ipsum Verbo & Spiritu *Notificatum* esse Mundo, id est, Hominibus absque discrimine gentis, ut Unicum Mundi Salvatorem, Mundumque Electum Ipsum cognovisse & agnovisse fide & obsequio. Quando metaphora petita est ab iis, qui introducuntur in Forum, aut in Theatrum, ab omnibus spectandi. *Secundò* Ipsum esse immissum in *Possessionem* Mundi. Quid enim aliud esset, eum, qui est *Primogenitus* omnis creaturæ & inter multos Fratres *Hæres* ac *Dominus* omnium, *Inducere* in

in Mundum, quàm *Verbo* mandare ejus ut Domini receptionem, ac prohibere ingredienti vim facere; & quàm *Opere* ipſo efficaciter *efficere* ut *habitet* obſequioſâ fide *in cordibus* Electorum ſuorum ex populis, ut phraſi Paulinâ *Epheſ.* III. 17. utar. Sic enim εἰσάγειν in Sacris eſt efficere ut quis poſſideat aliquid *Exod.* XV. 17. *Deut.* IV. 38. VI. 10, 11. X. 4, 5. *&c.* Sic etiam *JCtis ſpecies inducendi in poſſeſſionem alicujus rei eſt, prohibere ingredienti vim fieri*, *Digeſt. Lib. XLI. Tit. II.* §. 52. Sic Plinio *Epiſt. VII. Lib. II.* facere ut ſubditi ſe actu ſubjiciant, eſt, *Regem vi & armis inducere in Regnum.* Egregiè verbo ἐγχειρίζειν hoc expreſſit Chrysostomus, cui, ὅταν εἰσαγάγῃ τὸ πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, idem eſt ac ὅταν ἐγχειρίσῃ αὐτῷ τὴν οἰκουμένην *quando in manus ei tradidit Habitabilem.*

XII. Hoc modo Bis inductus eſt in *Eandem* Ὀικουμένην, id eſt, in Terrarum Orbem, in quo abſque ullo gentium ac populorum diſcrimine, ſalutis via annunciatur. *Primò* ante Legem, ab Adamo uſque ad Moſen, per bis mille annos, quando erat juxta ſtylum Hebræorum תהו *confuſio*, id eſt, juxta ſtylum Pauli, quando *paries intergerinus* nondum erat erectus, ſeparans Judæos a Gentibus reliquis *Epheſ.* II. 14. Tunc enim per Euangelium *æternum Notificatus* eſt adhuc ἄσαρκος, ſed ἔνσαρκος futurus Mediator omnibus promiſcuè Adami ac Noachi poſteris. Ante Diluvianis *Euangelium* fuit prædicatum, 1. *Pet.* III. 19, 20. IV. 6. Noachus fuit *Præco juſtitiæ* 2. *Pet.* II. 5. non operum, quæ in peccatore nulla eſſe poteſt, ſed *Juſtitiæ Fidei*, *Heb.* XI. 7. per Divinum illud Semen mulieris, vicaria morte contriturum caput Serpentis, adducendæ. *Luſit* tunc Filius Dei in Ὀικουμένῃ *Orbe habitato* toto, *& deliciæ ejus* fuerunt *cum Filiis hominum* promiſcuè *Prov.* VIII. 30, 31. *Angelus* ille *fœderis*, *& Interpres unus ex mille* tunc etiam *Homini* ישרו *Rectitudinem ſuam indicavit Job.* XXXIII. 23. Tunc Chaldæi cum Abrahamo, Cananæi cum Melchiſedeco, Arabes cum Jobo & Amicis Ejus fide cum amplexi & obſequio venerati

 ſunt

ſunt *Job.* VIII. 58. *Heb.* XI. 8. *Job.* XIX. 25, 26, 27. XXXIII. 23, 24. Unde dicitur *Hagg.* II. 8. *omnes gentes acceſſuras eſſe ad Deſiderium omnium gentium*, id eſt, ad eum quem omnes gentes deſiderare non ſolùm debent, ſi velint ſalvari, ſed etiam quem Electi ex gentibus abſque diſcrimine ante legem Moſis deſideraverunt. Sed poſt Moſen ceſſavit hæc Introductio Primogeniti εἰς οἰκουμένην. Cananæa ſola facta eſt Terra Immanuelis *Jeſ.* VIII. 8. Ex omnibus populis ſolus Iſraël factus eſt Deo סגלה *peculium Exod.* XIX. 4, 5, 6. *Deut.* VII. 6, 7. cui ſoli *Verba ſua* indicavit *Pſalm.* CXLVII. 19, 20. *Rom.* III. 2. *Gentes* autem *omnes ſivit ſuis ipſarum viis incedere Act.* XIV. 16. Quæ *abſque Chriſto* fuerunt *in Mundo*, *ſpem non habentes*, *extraneæ quod ad pactorum promiſſiones attinet Epheſ.* II. 12. quia *Euangelium* ipſis *tacitum* fuit *Rom.* XVI. 25. *Jeſ.* LXV. 1. Duravit hæc rerum facies etiam ipſo Meſſia jam in terra præſente. Filius Dei ἔνσαρκος quamdiu in carne mortali inter homines commoratus eſt, ipſe fuit *Miniſter Circumciſionis Rom.* XV. 8. *non miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraëlis Matth.* XV. 24. ad quas etiam ſolas tunc miſit Apoſtolos, nolens eos *abire in vias gentium Matth.* X. 5, 6. Aſt mutata eſt hæc rerum facies. Poſtquam animam ſuam poſuit in Sacrificium pro reatu, ipſe reſuſcitatus ex morte, & in cœlum aſſumtus, accepit mercedem laboris promiſſam Gentes in hæreditatem ſuam & fines terræ in poſſeſſionem ſuam *Pſalm.* II. 8. *Jeſ.* LIII. 10. ΠΑΛΙΝ itaque, ITERUM, SECUNDO *inductus* eſt in *Orbem terrarum*, quando Euangelii prædicatione juncta cum Spiritus ſui potenti operatione *Notificatus* eſt *toti Mundo*, Judæis non ſolum ſed & *Gentilibus*, diſcrimine gentium ſublato & pariete intergerino fracto, atque a Mundo creditus & receptus fuit *Salvator* ac omnium *Dominus Act.* X. 36. Id quod factum eſt per Apoſtolos, maximè per Paullum Doctorem Gentium Illuſtriſſimum. Dederat Mandatum Dominus *Marc.* XVI. 15. *proficiſcendi in Mundum Univerſum*, *& prædicandi Euangelium omni Creaturæ*, ſcilicet humanæ, Hebræâ phraſi (ex obſervatione Clar. JAC. ALTINGII in *Heb.* I. 2.) quæ

quæ homines in communi, non habita ratione gentis vel religionis בריאה aut בריה (conf. *Coloss.* I. 23.) dicit. Petrus primus fuit, per *cujus os gentes audiverunt sermonem Evangelii & crediderunt Act.* xv. 7. x. 44, 47. Sequitur Paulus, qui præcipuus *Minister Jesu Christi apud Gentes*, ab *Hierosolyma*, & *circumjacentibus* regionibus, *usque ad Illyricum implevit Evangelium Christi Rom.* xv. 16. 19. Sic tempore Pauli *Evangelium Christi*, vel ipse Christus, fuit *potentia Dei ad Salutem omni credenti*, *Judæo primùm* dein & *Græco Rom.* I. 16. & Præconum Christi, Inducentium hunc Primogenitum, *sonus exivit in omnem terram*, & *ad fines* τῆς οἰκουμένης *Verba eorum*, *Rom.* x. 18. & *Euangelium pervenit in totum Mundum*, *proferens fructum Coloss.* I. 5, 6. I. *Tim.* III. 16. Post Apostolorum tempora usque in hunc diem ad plures adhuc penetravit Regiones Euangelium quo inductus fuit Primogenitus, & fiet adhuc, ut nullus locus tam longinquus, & tam reconditus sit remansurus, quo non pervaserit Christus, albo Euangelii sui *Equo* vectus *vincens* & ut *vinceret Apoc.* VI. 2. *Rom.* XI. 25. 26.

XIII. Ita verè SECUNDÒ *Inductus fuit in orbem terrarum* idem Primogenitus; antea ἄσαρκος nunc ἔνσαρκος. (non tamen Alius sed Idem, quamvis nunc sit in eo aliud) eodem nempe spirituali *Modo*, eundemque in *Locum* communem; quamvis nunc majori cum effectu quam antea, & in longè plures animos Electorum suorum. Ita etiam SECUNDÒ INDUCI debuit *Primogenitus* εἰς οἰκουμένην juxta Oracula Prophetarum *Act.* XIII. 46, 47. Huc generatim spectant omnia illa Vaticinia quæ de Vocatione gentium post Messiam, Regnoque ejus inter illas longè latèque erigendo agunt *Gen.* XXII. 18. XLIX. 10. I. *Sam.* II. 10. *Psalm.* II. 8. XXII. 28, 29, 30, 31. LXXII. 8.–11. *Jes.* XI. 10. XLIX. 5, 8. LIII. 10, 11. *Hagg.* II. 8. *Zach.* IX. 9, 10. &c. Et speciatim illa, quæ *introiturum* dicunt hunc Regem gloriæ in Regiones & Civitates Mundi, *portasque seculi Psalm.* XXIV. 7, 10. & *equitaturum*, vel curru triumphali Euangelii sui *vehendum*, ad procul

cul dissitas Nationes *Psalm.* XLV. 4, 5. *sceptrumque ejus emittendum a Jehova Tzijone*, ut *dominetur in medio inimicorum suorum Psalm.* CX. 2. Imo *quæ Inducendum Eum in orbem terrarum* prænunciant. Quale occurrit in *Psalmo XCVII.* ad quem Paulus respicit, quum ait. *Quando introducit* Primogenitum in orbem terrarum, *dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ Verba leguntur *vers.* 7. ejusdem Psalmi.

XIV. Certè ex hoc Psalmo citavit Paulus Verba hæc, non ex Mose. Ipsissima quidem hæc Verba, quæ Paulus habet, leguntur in Græca Versione *Deut.* XXXII. 43. καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Sed nihil horum in Hebræo Codice quod respondeat habetur. Hebraica ibi scripta hæc sunt tantum. הרנינו גוים עמו. Horum loco cuncta hæc sequentia reperiuntur in Græco Textu: Εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ· εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ Θεοῦ. Ubi illa modo εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ Hebraica חרנינו גוים עמו exprimunt, reliquorum verò nihil in fontibus extat. Nulla ratione autem verosimile est, Paulum, cum probare vellet Hebræis ex Prophetico Oraculo præstantiam Christi supra Angelos, allegasse dictum, quod in Hebræo textu authentico non reperitur. Quare etiam ex hoc Græco Deuteronomii Textu desumta fuisse ista illi quam maximè statuunt, qui: Vel cum nonnullis Socinianis Divinam hujus Epistolæ ad Hebræos auctoritatem suspectam reddere conantur, quia Auctor ejus citat Testimonium Apocryphum: Vel qui cum Pontificiis quibusdam Hebræos Fontes esse corruptos ex eo inferre vellent; non attentè cogitantes in Vulgata Versione æque ac in Hebræo fonte hæc Græca desiderari. Sic tamen BENEDICTUS JUSTINIANUS Jesuita in *Heb.* I. *vers.* 6; postquam monuerat *Justinum Martyrem* & *Epiphanium* Græcæ Versionis Verba illa, quæ in Hebræis & Latinis Codicibus desiderari ait, *Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei*, eodem plane modo recitasse; scripsit. *Et profectò valde verisimile*

mile est, Justinum cum Judæo differentem, non allaturum testimonium, quod in Hebræis Codicibus non legeretur; neque Epiphanius, in Hebræorum libris maximè versatus, eo usus esset, nisi in Hebræis Codicibus legisset, cum præsertim adversus Hæreticos disputaret, qui facile objicere potuissent, argumentum nullius esse auctoritatis, quod in Hebræo fonte ea verba non legerentur. Accedit quòd Theodoretus, Procopius & Euthymius indicare videntur ad eum Deuteronomii locum spectasse Paulum, cum hæc verba protulit. . . . . Quamobrem valde mihi probabile videtur, Hebræos Codices, qui nunc habentur in manibus, eo quidem loco mutilos esse, interpretationem vero Septuaginta Apostoli præsertim auctoritate firmatam omnino retinendam. Nec *Justinus*, contra Tryph. p. m. 359. nec *Epiphanius*, *Hær. LXIX.* §. LX. *eodem plane modo* recitant Græca ac nunc habentur. Neque argumentatur ibi *Justinus* contra *Judæum* pro Vocatione gentium nisi ex illis duntaxat Verbis, quæ in Hebræo Codice extant, ἐυφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Locus hic interpolatus est. Quomodo autem ac qua de caussa hæc interpolatio sensim facta sit vel fieri potuerit, conjecturas fecerunt JAC. ALTINGIUS ac SEB SCHMIDIUS in Comment. ad *Heb.* I. 6. quæ apud ipsos legi possunt. Non itaque ex Mose, qui nihil tale scripsit, sed ex *Psalmo XCVII.* citavit hoc Oraculum Paulus, ubi Verbis ferè, Sensu planè idem occurrit in Hebræo Fonte pariter ac Græca Versione.

XV. Citat porro hoc Oraculum Paulus; non *accommodando* ea ad Christum, præcipuum Dei Unius Ministrum, *ejusque personam singulari quadam ratione sustinentem*, quæ in Psalmo de Deo dicuntur, atque adeo tranferendo illa ad aliud subjectum, quam de quo in Psalmo propriè proximè & immediatè agitur, uti Vult *Socinus*, egregiè & solidè refutatus à JOSUA PLACÆO *Part. II. Disp. IX.* §. *XIX. seq.* Sed citat hoc Oraculum, tanquam in quo per pronomen EUM, *adorent* EUM *omnes Dii*, *omnes Angeli Dei*, proprie proxime & immediate intelligitur PRIMOGENITUS, id est Christus

Dominus Omnium & Noster. Hoc enim vult probare Paulus *Christum* esse præstantiorem Angelis, quia Angeli Eum adorare debent, juxta Mandatum Dei Patris ante multa secula in hoc Psalmo de Eo Angelis datum. Unde etiam *Primogenitum*, id est *Dominum*, appellat eum hoc in loco significanter Apostolus, respiciens ad titulum *Domini totius terræ*, qui in Psalmo per pronomen Eum indigitatur, quando dicitur *vers.* 5, 6, 7. *Montes ut cera liquefiunt a præsentia Jehovæ, a præsentia* Domini totius terræ. *Indicant cœli justitiam* ejus. . . . *adorate* Eum *omnes Dii.* Optime Calvinus. *Nominatim dicit Apostolus, ita loquutum Spiritum, quum introducitur* (Christus Incarnatus) *in orbem: quod non esset verè dictum, nisi propriè Psalmus de Christi manifestatione differat.*

XVI. Citat verò hunc *Psalmum* Paullus ut *Propheticum*; de *Messia*, hostes perdituro ac Regnum in gentibus erecturo, nomine *Jehovæ* ac *Domini totius terræ* propriè & proximè designato, agentem; non ex sensu duntaxat Hebræorum, sic scilicet ex concessis argumentans modò, sed etiam & primò ex suo sensu: quem ex institutione Humanâ fortè ad pedes Gamalielis sedens quoque didicerat, sed quem præterea ipsemet ex Spiritûs fidei salutari illuminatione mentem Dei esse credebat: imo de quo ut sensu Dei ex Spiritus infallibili inspiratione ipse certior factus nos quoque certiores reddere voluit. Nempe ex concessis heic non disputat modò Paullus, neque tantùm pro auctoritate dictat hunc sensum, verùm etiam nititur ejus Argumentatio evidentiâ demonstrationis ex ipso Psalmo facilè instituendæ ab Hebræis. Perperam Grotius, eruditione sua abutens, & Socini vestigia premens, scripsit in *Annot. ad Heb.* 1. 6. (postquam bene notasset D. Kimchi dixisse Psalmos omnes à 93. ad 101. in se continere mysterium Messiæ.) *At ibi* (in Psalmo xcvii.) *de Deo agitur, hic de Messia. Verum hoc. Sed quia pridem receptum erat apud Hebræos Deum singulari modo in Messia habitaturum, & fore* (*ut Thalmudici loquuntur*) digito monstrabilem,

lem, *ideo quæcunque de honore Dei ducebantur*, *eadem applicari solebant ad Messiam*.

XVII. Certè ex Universo Psalmo colligitur, esse illustrem Prophetiam de *Regno Filii Dei*, non Providentiæ communi, sed Gratiæ speciali, non Filii *ἀσάρκυ*, quod olim solum Israël attinebat, sed *ἐνσάρκυ*, ad gentes quoque extendendo. Etenim Regnum Jehovæ, quod *gaudium* adferret *Terræ* toti, *multisque* ac *magnis Insulis*, quo nomine *Gentiles* stylo Prophetico insigniri notum est, est Regnum *Messiæ*, uti constat ex iis, quæ §. *X.* & *XI.* adduximus, Prophetarum Oraculis. Sed tale est hoc Regnum Jehovæ in *Psalmo XCVII.* decantatum: *Jehova regnat*, *exsultabit terra*; *gaudebunt Insulæ plurimæ*. Rectissime CALVINUS. *Quæ lætitiæ materia ex ejus Regno*, *nisi toti mundo salutare foret*, *hoc est*, *tam Gentibus quam Judæis?* Regnum Jehovæ porro, in quo & per quod *omnes populi videbunt gloriam Ejus*, est Regnum Messiæ. *Vox Clamantis in deserto*, *parate viam Jehovæ* . . . . . *Et revelabitur gloria Jehovæ*, *& videbunt omnis caro pariter*, *os Jehovæ loquutum esse*; *Jes.* XL. 3, 5. Atqui tale est hoc Regnum Jehovæ, de quo ita in Psalmi hujus *versu* 6. loquitur Spiritus S. *Indicant cœli justitiam Ejus*, *adeo ut videant omnes populi gloriam Ejus*. Regnum Jehovæ denique, quod *Idola gentium destruet*, est Regnum Messiæ, quod Satanæ, in Idolis Dominantis & culti, regnum disturbabit *Gen.* III. 15. *Psalm.* VIII. 2, 3. LXVIII. 22. *Jes.* XLIX. 24, 25. *Zach.* XIII. 1, 2, *Die illo erit fons apertus Domui Davidis*. . . . . *Erit autem die illo*, *dictum Jehovæ exercituum*, *ut exscindam nomina* Idolorum *à terra*, *adeo ut non commemorentur amplius*; *quin etiam eorum Prophetas*, & Spiritum impuritatis *amoturus sum a terra*. Atqui tale iterum est Regnum Jehovæ, de cujus Effectu ita *vers.* 7. canitur. *Pudefient omnes colentes sculptile*, *qui se jactant de Idolis*. Certè conversio Gentilium ab Idololatria, eorumdemque Vocatio ad cognitionem viæ salutis, ad Fidem ac Communionem Dei salutarem, ex quibus demùm verum & solidum

lidum peccatoris oritur gaudium, eſt evidentiſſimus Character Regni Filii Dei incarnati.

XVIII. Magis verò manifeſtum fiet de Regno Meſſiæ agi in hoc Pſalmo, ſi curſim ac breviter ejus Argumentum & contenta perluſtraverimus. *Propoſitio* eſt *verſ.* 1. *Jehova regnat*, *exſultabit terra*; *lætabuntur inſulæ multæ*, vel *magnæ*. Videt ut præſens Propheta Regnum Dei *novum*, quia eſt regnum Dei incarnati, novo titulo pleniſſimæ ſatisfactionis à Filio Dei acceptum, in novum populum, in tota *Terra* ac *Inſulis* maris habitantem, novoque ac illuſtriori modo ac antea, in Iſraële ſolo ac terra Immanuëlis, gubernatum. Hinc ſubitò exclamat rei novitate permotus, *Jehova regnat*, id eſt, *regnum capeſſivit*, *regnare incepit* (coll. 2. *Sam.* xv. 10. מלך *Absalom.* 1. *Reg.* 1. 18. *Adonija* מלך / & 2. *Reg.* ix. 13. מלך *Jehu*) *exſultabit terra*, *gaudebunt Inſulæ multæ*. Nam in hoc Regno eſt vera & unica cauſſa lætitiæ perennis ac ſolidæ peccatoris, & gentilium miſerrimorum, abſque Deo Chriſto & ſalutis ſpe viventium in mundo. Sequitur *Demonſtratio*. *Cauſſa* lætitiæ *Inſularum*, omniumque Electorum ex Judæis & Gentibus foret *Prima*; *Judicium* aliquod particulare & ſingulare Regis Meſſiæ, inopinatum, in omnium oculos incurrens, irreſiſtibile, graviſſimum, multoque cum terrore conjunctum, in *Judæos*, primos & infenſiſſimos hoſtes ſuos: quod judicium cœlitùs immiſſum inſtar fulguris orbem habitabilem, partim percelleret, partim etiam *illuminaret*, atque convinceret de Meſſiæ Crucifixi Regis *Juſtitia*; tum *Vindicativâ*; tum *Cauſſæ*, quod nempe injuſtè condemnatus eſſet ut Blaſphemus, quia ſe Meſſiam Deum, Deique Filium naturalem ac æternum faſſus erat coram Synedrio Judæorum; tum denique de *Juſtitiâ ſeculorum* ab Ipſo, pro Electis peccatoribus Vicaria obedientiâ ſua ad Mortem Crucis, adductâ. Huc ſpectant quæ ſequuntur *verſ.* 2, 3, 4, 5, 6. *Nubes & caligo circumſtant eum:* Juſtitia & judicium *baſis ſolii ejus*. *Ignis ante eum procedit*, & *inſlammat circumquaque hoſtes ejus*. Perluſtrant fulgura *ejus orbem habitabilem*, *videns*

formi-

formidat terra. Montes ut cera liquefiunt a præsentia Jehovæ, à præsentiâ Domini totius terræ. Indicant cœli justitiam ejus, *adeo ut videant omnes populi* gloriam *ejus. Altera* Lætitiæ *Caussa* foret *Idololatriæ Paganæ eversio; vers. 7. Pudefient omnes colentes sculptile, qui se jactant de Idolis.* Additur denique *Officiorum* Regi Messiæ debitorum *Præscriptio*, facta; Primò *Angelis*, imperativè *vers. 7. Adorate eum omnes Dii:* Dein toti *Ecclesiæ*, narrativè *vers.* 8, 9. *Audiens lætatur Tzijon, exsultantque filiæ Jehudæ, propter judicia tua* (in Judæos rebelles, & Satanæ Regnum effusa) *o Jehova. Tu enim es Jehova, excelsus supra omnem terram; valde elatus es supra omnes Deos:* Denique singulis *Fidelibus* Ejus *Membris*, *vers.* 10, 11, 12. *Amantes Jehovæ, odio habete malum*, (Incredulitatis Judaicæ & Idololatriæ Paganæ, per Hominem peccati reducendæ, & sub Mortis crudelissimæ pœnâ à Christianis ab Ipso exigendæ, unde additur ad consolationem Martyrum) *servans animas eorum quos benignitate prosequitur, è manu improborum eripit eos. Lux sata est justo, & rectis animo lætitia. Lætamini justi in Jehova, & celebrate memoriam Sanctitatis ejus.*

XIX. Meritò ergo Apostolus hunc Psalmum ut *Propheticum* de *Regno Messiæ* accepit. Optimè CALVINUS. *Si deinde totum Psalmum percurras, nihil aliud videbis quàm Regnum Christi, quod ab Evangelii publicatione cœpit. Nec aliud est Argumentum Psalmi, quam veluti* solenne diploma *quo in ejus Regni* possessionem mittitur *Christus.* Ita est profectò. In hoc eodem Psalmo INDUCITUR *Primogenitus* IN ORBEM TERRARUM. An in phrasi sit respectus ad Inscriptionem Psalmi Græcam incertum est. Ita sonat, τῷ Δαυὶδ ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ, vel αὐτῷ, καθίςατο, vel καθίςαται. Latini, *Quando terra ei*, vel *ejus*, *restituta*, vel *constituta*, est. Ipsi Græci, ut saltem in nonnullis Codicibus legitur, & a BASILIO Magno in scholiis dudum observatum est, fatentur quod ἀνεπίγραφος sit παρ' Ἑβραίοις. Potuit fieri ut tempore Pauli lecta fuerit, & addita ex communi fide Ecclesiæ Judaicæ de Oc-

 casione

casione Psalmi compositi; quæ fuisset, cum terra Israëlis Davidi Regi post fata rebellis Absalomi tota iterum subjecta fuit; quæque ipsum, accedente afflatu Spiritus Sancti, impulisset ad componendum hunc Psalmum Propheticum de Regno in totam Habitabilem Regi Messiæ restituendo, postquam Judæi Filii degeneres ac rebelles meritas pro rebellione sua pœnas dedissent. Sed nihil determinamus. Certum est quoad Rem phrasi notatam, *Introduci* Messiam in hoc Psalmo *in Orbem terrarum*. Quod realiter factum non esse in illo omnes facilè concedent. Ergo *prædictive* heic *introducit* Deus Primogenitum *iterum & secundò* in Habitabilem, quia de Regno ejus *iterum* inter *gentes* erigendo vaticinatur. Quo modo (Verbo reali pro notificativo sumto) etiam Paulus scripsit in eadem hac ad *Hebræos* Epistola, *Cap.* x. 5, 6. Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον, λέγει. *Quapropter ingrediens mundum*, *dicit*, id est, ingressum suum in mundum prædicens, ait, *Sacrificium & oblationem noluisti &c. Psalm.* xl. 7, 8. Quemadmodum *prædictive* ibi venit in Mundum, sic & *prædictive introducitur* in hoc Psalmo *iterum*, seu *secunda vice*, in Orbem Habitabilem. Ex quo nunc clarè intelligitur sensus Pauli, cum ait; Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην. *Quandò secundò introducit*, vel *introduxit*, aut *postquam* (sic ὅταν *Joh.* xvi. 21.) *secundò introduxisset* Primogenitum in Habitabilem, id est, *prædixisset* Ejus *secundam Inductionem* per Vocationem & Conversionem Gentium, *dicit*, *statim* scilicet & *illico*, (quemadmodum Aoristus, uti est εἰσαγάγῃ, apud Græcos pro imperfecto, perfecto ac plusquam perfecto sumitur, ac designat tempus jam recens præteritum, contra ac si præterito utantur, tunc enim agunt de tempore non adeo nuper elapso, uti observant Grammatici) *adorent eum omnes Angeli Dei*. Sic ergo vidimus *Alterum* illud quod in Textu hoc Paulino occurrebat, nempe *Tempus* Mandati. Nunc sequitur tandem Ejus *Argumentum*.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA

DE

ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΥ ADORATIONE ANGELIS IMPERATA.

Ad Locum Hebr. I. 6.

I.

RGUMENTUM. Quod ſpectabimus: Primò *Verbis Pſalmi* propoſitum: Dein *Verbis Pauli* repetitum & expoſitum. Verba Pſalmi ita ſonant :השתחוו לו כל אלהים *Adorate* (non *adorarunt* uti quoſdam vertere monuit DRUSIUS) *Eum Univerſitas Deorum*, id eſt *omnes Dii.* Ubi conſideranda, *Quis* imperat, *Quibus*, & denique *Quid* ab iis requirat. Quoad *primum.* Subitò per Apoſtrophen ſic ſermo convertitur ad *Elohim*, quibus mandatur Adoratio *Jehovæ Domini totius terræ.* Nihilominus tamen *loquens Perſona* eſt quoque *Jehova*, Deus Pater vel Spiritus Sanctus. Propheta quidem in Spiritu audivit, ſcripſitque hoc mandatum, non dedit. Miniſtros enim Dei Prophetas vel Apoſtolos malis Angelis imperare nomine Dei conſtat ex *Act.* XVI. 16.-18. Sed Bonis ac Sanctis mandata dare, eoſque ad officia circa Deum exhortari, inauditum eſt. Deus ergo de Deo heic loquitur, unaque Perſona Divina de Aliâ, Angelis creaturis ſuis imperans ut Eam adorent. Quod myſterium Paulus innuit, quando de Deo Introducente Primogenitum in or-

bem terrarum ait, Ipsum *dixisse*, de *Deo Primogenito*, omnisque creaturæ ac totius terræ Domino, *adorent eum omnes Angeli Dei.*

II. Illi *secundò*, *Quibus* Imperat Jehova sunt כל אלהים *Universitas Deorum*, seu *Omnes Dii*. Non sunt עבדי אלהים *Cultores Elohim*, ut *Kimchi* vult, repetens ex præcedentibus dictionem עבדי: & ut Targum habet, כל עמיא פלחי טעותא *omnes populi servientes Idolis:* sed sunt ipsi *Elohim*. Clar. GUSSETIUS, in *Comment. Ling. Ebraicæ* ad Voces כל אלהים, atque in *Chizzouk Emounah*, *Part. II. Cap.* xcv. ut & *Part. I. Cap* ix. vertit hæc; *adorate eum omnia Dei*, hoc est, inquit porro, *omnia quæ Dei sunt*, *quæ Deus possidet*, *res omnes ad Deum pertinentes:* Additque: *Ita vertere licet*, *quia* כל *sic sumitur Ecclesf.* xii. 15. *Finis totius sermonis est Deum time & serva mandata ejus*, כי זה כל האדם, quia hoc est totum hominis, *omne quod possidet homo*, *& quod verè ejus est*, *alia enim*, *ut fugitiva*, *ejus non sunt*. Monet denique, sic quoque Angelos comprehendi ex mente Sp. S. in Psalmo, atque adeo nec Pauli interpretationem nec argumentationem pro Deitate Christi, adorandi etiam ab Angelis, everti, sed confirmari potius, *quia* nempe *Angeli omnium rerum*, *quæ ad Deum pertinent*, *nobilissimi sunt*, *liquet eodem rem recidere sive dicas Christum adorari ab Angelis*, *sive ab omnibus quæ sunt Dei*. Fundamentum hujus Interpretationis est Hypothesis Viri Doctissimi de Nomine אלהים *Elohim*, quod vult esse Nomen Dei, non *Judicantis*, non *Adjurantis* nos in Fœdere, non *Venerabilis* & *Colendi* a nobis, sed *Naturæ* seu *Naturale*. Quemadmodum *Petrus* est Nomen Proprium, *Homo* est nomen Naturæ, & *Rationalis*, *Fortis*, *Prudens* sunt Nomina Qualitatis & Attributi. Sic etiam Triplex statuit Nominum Divinorum genus; *Proprium*, quod est יהוה *Jehova*, quo *distinguitur* ab aliis *qui dicuntur Dii*; *Attributi* & *Qualitatis*, qualia sunt שדי, עליון *Omnisufficiens*, *Excelsus* &c. quæ *aliquod attributum indicant quacunque ratione a subjecto distinctum*, *quo mediante* ad *subjectum* ipsum & *natu-*

naturam Dei devenimus; & denique *Naturæ* vel *Naturale*, quod est אלהים *Elohim*, directè simpliciter proximè atque immediate Naturam Divinam ipsumque Deum in se totum significans, ita ut ejus auditu mens rectà feratur ad id *quod Deus est* vel *esse putatur*. Concedit itaque *Idolo* dari, sed non aliam ob caussam, quam quia hominum judicio amore fiduciâ cultu pro vero Deo habetur. Concedit quoque *prædicativè* & per *comparationem* tribui posse Angelis, & dari Magistratibus *Psalm*. LXXXII. 6. *Ego dixi* אלהים אתם id est, subintellecto כ Caph similitudinis, *ut Deus estis vos*. Verùm *subjectivè* dari in Sacris vel Angelis vel Judicibus Terræ negat. Atque ideo hunc locum, qui ipsi objici posset inprimis, tam duro modo interpretatus est Vir Doctissimus. Certe ferri nequit hæc interpretatio propter officium *Adorationis*, quæ est cultus rationalis, heic injunctæ, quæque ab *omnibus* creaturis, Saxis etiam atque Brutis, nec præstari nec requiri potest. Deinde, quando כל construitur cum alio Nomine singulari vel plurali, significat id, non quod *à Re* Nomine alio significatâ, *productum* est *&* *dependet*, sed quod *in Re* est, atque *ad eam pertinet* tanquam ad *genus* aut *speciem*, vel *subjectum*. Quod & obtinet in Loco *Eccles* XII. 15. ab Ipso adducto. Ex quo sequeretur, quod *Universitas Dei* seu *Omne Dei* heic significaret *omne* quod *in Deo* est, ut in *subjecto*, vel quod ad Deum pertinet, ut individua ad species suas. Quod est absurdissimum. Et quod attinet ad Hypothesin Clar. Viri, quod *Elohim* sit nomen non *Officii*, *Beneficii*, *Qualitatis*, sed *Naturæ*, observare licet. 1. Quod illa fortè non sit firma satis & solida, quia videtur esse Nomen *qualitatis*, Deumque *Venerabilem* exprimere; non solùm quia apud Arabes Verbum אלה *Alaha* sensu *colendi* reperitur, sive sit radix ȝ Elohim in Arabica lingua recentiori servata, sive ab Arabibus ex Elohim derivata; verum etiam quia pro *Venerabili* sumi videtur אלהים, 1. *Sam*. XXVIII. 13, 14. Ubi Mulier dicit Sauli אלהים ראיתי *Vidi Elohim* (Venerabilem) *adscendentes è terra*, & eidem Sauli inter-

interroganti, *Quæ forma hujus*, respondet איש זקן עלה *Vir senex adscendens* &c. unde collegit Saul, *Samuelem* esse illum Elohim Venerabilem senem. 2. Quod, si concedamus esse *Elohim* Nomen *Naturæ*, per *Metaphoram* tamen posset dari, etiam *subjectivè*, Angelis & Hominibus. Nomina *Naturæ* sunt *Leo*, *Ovis*, *Vulpes*, monente ipso Gussetio. Quæ; sive *subjective* usurpentur per Metaphoram de Hominibus, ut cum dicit Dominus de Herode, *dicite Vulpi isti Luc.* XIII. 31. & de Fidelibus, *Oves vocem meam audiunt Joh.* X. 27; sive *prædicativè*, ut cum dico, *Herodes est Vulpes* vel *ut Vulpes*, & *Fideles sunt Oves*, manebunt tamen Nomina *Naturæ*. Sic etiam Nomen *Elohim* Naturæ Divinæ Nomen maneret, etsi subjectivè etiam per Metaphoram Angelis & Principibus terræ quandoque tribueretur.

III. Sit itaque *Elohim* Nomen Naturæ, quod propriè proximè & immediatè Ipsum Naturâ Deum exprimat, datur tamen & Aliis extra Deum existentibus Rebus vel Personis. Nec tantùm *abusivè* tribuitur iis qui *Naturâ non sunt Dei*, sed qui tales dicuntur, putantur, habentur, fiduciâ & cultu; *Exod.* XX. 3. *Non erunt tibi* אלהים אחרים *Dii alieni. Num.* XXXIII. 4. ובאלהיהם *& in Deos ipsorum* (Ægyptiorum) *exercuit Jehova judicia. Psalm.* XCVI. 4.-6. *tremendus* Jehova על כל אלהים *supra omnes Deos*, *quoniam* כל אלהי העמים אלילים *omnes* Elohim *Dii populorum* sunt Elilim *non Dii*, *Deunculi*, *Vanitates*, *Res Nihili*, οὐδὲν. *Jer.* II. 11. *An mutavit gens* אלהים *Deos*; *quamvis illi* לא אלהים *non Deus* &c. Verum etiam datur in Sacris *Judicibus* terræ, & *Angelis* cœli per Metaphoram, ob peculiarem eorum cum vero summo ac naturâ Deo similitudinem. Hæc est communis sententia Judæorum ac Christianorum. Judices terræ vocantur *Elohim* prædicativè *Psalm.* LXXXII. 6. *Joh.* X. 34, 35. & *subjectivè Exod.* XXI. 6. Tum *sistens eum Dominus ejus coram* האלהים / *sistet eum ad Januam* suam, *aut ad* alterutrum *postem*, *& perforabit Dominus ejus aurem ejus subulâ*, *& serviet ei in æternum.* Ubi *Elohim* utique sunt *Magistra-*

gistratus, ex quorum auctoritate & consensu hoc in servo Hebræo fieri debuit; & *Domus*, ad cujus Januam ac Postem sistendus servus ille erat, & auris ejus perforari debebat, non est Domus Dei, hujus Cultui Sacrata, aut *Tabernaculum*, sed privata Domini istius Domus, in qua servire debebat servus ille per totam vitam, cujus rei Signum erat perforatio auris ejus ad Postem Domus servitutis istius. Malè itaque Gussetius hîc per *Elohim Deum* ipsum intellexit non *Judices* Populi, & per *Domum*, *Dei Domum*, *in Castris Tabernaculum Conventus*, *in Canaan Domos ubi fiebant sacrificia*; quia nempe *in eo negotio nihil erat judicandum*, *quare non opus est hæc verba trahere ad Judices.* Similiter de *Judicibus* nomine *Elohim* designatis agitur in Locis *Exod.* XXII. 8, 9, 28. 1. *Sam.* II. 25. *Psalm.* LXXXII. 1, quicquid aliò torqueantur a *Gussetio.* Ratio Metaphoricæ hujus locutionis est similitudo peculiaris Judicum cum Deo Judice totius terræ, in judicandi potestate, per quam *habent quasi sortem hominum in manu sua*, *dantque aut tollunt vitam*, *& opes judiciis*, uti scripsit ipse Vir Doctissimus. Sed & *Angeli* cœli hoc nomine quoque veniunt non uno in Loco, ex Communi rursus Veterum & Recentiorum Interpretum sententiâ. Huc refertur inprimis Locus *Psalm.* VIII. 6. *Paullò minorem fecisti eum* מאלהים: LXX. παρ' ἀγγέλους, quod secutus est Paullus *Heb.* II. 7, 9. Sic etiam LXX. interpretati sunt *Psalm.* CXXXVIII. 1. *Celebrabo te ex toto animo meo* נגד אלהים *psallam tibi.* LXX. καὶ ἐναντίον ἀγγέλων ψαλῶ σοι. Targum דיניא *Judices* intelligit. *Gussetius* hic se vertit in varias formas. Nunc *Elohim* in Vocativo positum esse conjicit, *coram, o Deus, psallam tibi.* Nunc addit iterum: *Quod si* נגד *ita nudum non admittis*, *superest ut sint duæ Personæ Divinæ*, *quarum unam se culturum coram alterâ Psaltes dicat:* Subjiciens tandem, ei qui credit Trinitatem Personarum, *facilius esse debere hic duas agnoscere*, *quam nomen Dei* (Elohim) *etiam subjective*, *extendere ad res créatas*, *ut Humanos judices.* Eodem sensu acceperunt Græci nomen *Elohim* in Psalmo nostro

ſtro *XCVII. verſ.* 7. quem tranſtulerunt προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ: quos hac in parte ſecutus eſt Apoſtolus in Textu noſtro. Et videtur hæc fuiſſe antiquiſſima veterum Judæorum Expoſitio. Nota eſt Muhammedis in Alcorano, Muhammedanorumque Fabula, de Angelorum quorundam & Diaboli lapſu, qui poſtquam 80000. annos Deo ſerviiſſet, peccavit, cum *adorare Adamum* nollet, quod Deus ipſi juſſerat; quia ſcilicet ſe Adamo præſtantiorem, ratione originis, exiſtimabat, dum corpus ſuum ex igne, Adami verò ex luto, ab igne facile conſumendo, factum eſſet. Vide Relandum de *Relig. Muhammedica Lib. II.* §. XIV. *p.* 189. —— 195. Putida eſt fabula, quia corpora Angelis meris Spiritibus, & abſurda Deo tribuit, nempe quod juſſerit Bono Angelo Adamum adorare, civiliter an religioſè, incertum eſt. Scopus Fabulæ eſſe videtur docere magnam Adami Excellentiam, Angelica majorem, primumque Diaboli peccatum, *Invidiam* nempe, quâ ductus noluit præſtantiam Hominis agnoſcere & detrectavit ei ſervire. Sed quod attinet ejus originem, quatenus de *Adoratione* Adami *Angelis* a Deo imperata loquitur, Joh Lud. Vives *Lib.* 4. de Veritate Fidei *c.* 10. ab *Hackſpanio* laudatus in Diſp. Sylloge p. 254. cenſet Muhammedem hauſiſſe illud ex Textu noſtro *Hebr.* 1. 6. ubi de *Primogenito in orbem terrarum introducto, atque ab Angelis adorando* agit Apoſtolus, quem *Primogenitum* ille accepiſſet de Adamo, cum ſermo ſit de Chriſto. Quam conjecturam ſe ſimpliciter haud improbare ſcripſit ibidem Hackspanius, quia *liquet, multa Impoſtorem è Veteri Novoque Teſtamentis mutata ſuis propinaſſe.* Addit tamen, aliud eſſe, quod ſibi a vero propius abeſſe videtur. *Iterum*, inquit, *Judæos ille ſecutus eſt, idem prorſus aſſeverantes, ceu pateſcit evolventi* Galatinum, *qui* l. 7. de A. C. V. c. 4. ex Rabbi Moſe Haddarſan *ſententiam Judæorum refert:* quam in ſequentibus adducit, & concludit. *Valde itaque veriſimile eſt, a Judæis commenta hæc petiiſſe Mohammædem.* Cæterum unde Judæi hæc hauſerint, non addidit.

didit. Haud improbabile videtur Judæos ex *Psalmo nostro XCVII. vers. 7.* illud desumsisse, quia Veterum Judæorum fuit opinio *Elohim* heic denotare-*Angelos.* Unde Recentiores, quod de *Adoratione Angelis* heic imperata occurrebat, ad *Adamum primum* pro cæcitate mentis suæ transtulerunt, quod de *Adamo secundo* dictum erat: Sed nihil determinamus.

IV. Certè si non unicè, saltem præcipuè heic sunt intelligendi *Angeli*, finiti illi Spiritus veri ac meri, quos Paulus πνεύματα vocat ideo *Heb.* I. 14 & esse docet *vers.* 7. ex *Psalm.* CIV. 4. Gentium Dii, Sol, Luna, Astra, Bruta, Idola, aliaque Cerebri humani figmenta, heic intelligi nequeunt, quod tamen vult *R. Salomo.* Quia in prima parte Versus hujus *Elilim*, *Vanitates*, *Res nihili*, *non Dii* dicti sunt. Atqui non est verisimile eos, quos אלילים contemtim modò vocavit Spiritus Sanctus, statim Magnifico nomine אלהים vocari, & eo quidem in loco in quo judicium in Idololatras denunciat dedecore & ignominia afficiendos; quia hoc magnificum nomen speciem excusationis Idololatriæ istius præbere poterat, si scilicet Dii potuerunt videri quos coluerunt. Deinde in Futuro loquitur de Idololatris & Idolis; sed hîc ubi de *adoratione* facit mentionem utitur Imperativo: quia nempe ibi de eventu, hîc verò de officio agitur. Sed officium *Adorationis* non incumbit inanimatis irrationalibusque Creaturis & Idolis. Ita ferè iisdem Verbis CAMERO ad *Heb.* I. 6. Addit ALTINGIUS, quod falsi Dei nunquam *Elohim* absolutè, ut hîc, appellentur. Cui Assertioni, cum obstare videatur Locus *Jer.* II. 11. non inhærebo. Neque repugnat Vocabulum כל *Universitas* huic exclusioni significatûs vocis *Elohim* de *Diis gentium.* Nam si proprius & primus Nominis hujus *Elohim* significatus, quo verum ac Naturâ Deum significat, necessariò heic excludi debet; cur etiam aliam ejus significationem abusivam, vel metaphoricam, non excluderet?

V. *Principes* verò ac *Judices terræ* intelligi heic possent,

Messiam adoraturi, eique subjiciendi *Psalm.* II. 10, 11, 12. XLVII. 8, 9, 10. LXXII. 9, 10, 11. LXXXIX. 28. *Jes.* XLIX, 7, 23. LX. 9, 10. *&c.* nisi contextus cogitata ad *Angelos* restringeret. Sapientiam Auctoris commendat cohærentia sermonis ejus. Quare inter alia genuinum Criterium est veræ Explicationis Verborum Spir. S. quando ex eâ apparet cohærere illa optimè, & sapienti consilio ita esse ordinata. Jam verò de Idololatriâ Gentilium actum modò erat, *Pudefient omnes colentes sculptile, qui se jactant de Idolis.* Hisce immediate subjiciuntur hæc nostra, *Adorate eum omnes Elohim*, id est, *Angeli*. Caussa quare hæc immediate adduntur, videtur esse, ut Christiani, ab Idololatria Gentilium omni (qui & Spiritus quosdam, quos in Astris atque Idolis habitare existimabant, adorarunt) conversi ad cultum solius Dei veri ac vivi, munirentur adversus alios ex Judæis seductores exorituros, qui sub specioso quodam prætextu *Angelolatriam* ipsis vehementer commendaturi erant. Prævidit nempe Spiritus Sanctus in initio Christianismi Judaizantes fore Christianos, Platonicâ etiam forte Philosophiâ imbutos, qui, cum *Cerintho*, θρησκείαν τῶν Ἀγγέλων urgerent, quia mundus ab iis est fabricatus, & quia *Lex per eos est lata.* Vide EPIPHANIUM *Hær. XXVIII.* Quales etiam fuerunt tempore Pauli scribentis ita ad *Coloss. Cap.* II. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων *&c.* Ad quæ Verba Pauli THEODORETUS in Comment. quædam memoratu digna scripsit, quæ Latinè ita sonant. *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos introducebant, dicentes: Legem fuisse per eos datam. Mansit autem perdiu hoc Vitium* (quod παλαιὸν *Vetus* vocat ad *Coloss.* III. 17.) *in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ*, (Anno Christi vel 364. vel 367. vel 368.) *lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem Oratoria Sancti Michaëlis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes, Universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi*

bendi posse: & oportere per Angelos Divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc est, quod dicit, in Humilitate & cultu Angelorum. Vide etiam quæ ALEXANDER MORUS ad eundem Pauli locum adnotavit. Huic malo se videtur opposuisse Spiritus Sanctus, quando in Parte Psalmi Admonitoriâ, primò quidem se convertit ad Angelos, jubetque iis, *adorare* Messiam Regem, sic docens, non tantùm veram Deitatem Messiæ Regis, sed etiam solum verum Deum esse adorandum; & proinde sic damnat omnem Idololatriam & *Angelolatriam*, (coll. *Joh.* v. 23.) quoniam eos adorare nos non oportet, qui ipsimet Deum ut Creaturæ dependentes adorare debent. Videntur Græci Intt. aliquid hujusmodi animadvertisse, quia *vers.* 9. כל אלהים vertunt πάντες τοὺς Θεοὺς, sed hoc in *vers.* 7. כל אלהים ipsis sunt πάντες ἄγγελοι. Nimirum contextum videbant nos ad *Angelos* ducere, & suadere omnino, ut aliàs latius sumtum Nomen heic de *Angelis* restricte capiatur. Unde & Paulus idem retinuit, tanquam quod unicè a Spiritu Sancto in Voce *Elohim* esset intentum.

VI. Quia verò soli Angeli *Boni* ac *Sancti* vetitæ istius θρησκείας erant objecta, sequitur exinde, quod & hi soli heic intelligendi sint per *Elohim*, non *mali* quoque quemadmodum Aliqui volunt Interpretes. Quod significare etiam voluisse videtur Apostolus, quando pro *Elohim* posuit *Angelos Dei*, id est, Angelos Dei Thronum cingentes, ejus jussa magna cum lubentia exequentes, ejusque gloriam deprædicantes *Psalm.* CIII. 20, 21. *Jes.* VI. 3. *&c.* *Mali* quidem Angeli Christo etiam subjecti sunt, juxta loca supra à nobis allegata, sed *inviti*, cum heic Voluntaria & Deo placens Adoratio præcipiatur. Horum etiam Caput dicitur quidem *Deus hujus seculi* 2. *Cor.* IV. 4. Sed an Nomen *Elohim* Diabolo & Angelis Ejus unquam detur in Scripturâ, equidem ignoro. Mulier Endorea 1. *Sam.* XXVIII. 14. non operantem Diabolum, sed apparentem Venerabilis Senis Formam ac Speciem *Elohim* appellavit. Vocabulum כל

 Uni-

Universitas non cogit nos *omnes*, qui Nomine *Angelorum* veniunt, heic intelligere, sed eos tantum *omnes*, quos Nomine *Elohim* intelligit Spiritus Sanctus. Atqui hi sunt soli Angeli *Boni*, uti dictum est, *Numero* ferè innumerabiles *Dan.* VII. 10. *Matth.* XXVI. 53. *Heb.* XII. 22. *Jud.vers.* 14. & optimo procul dubio *Ordine*, qualis est in *Exercitu*, quo nomine sæpe veniunt, *Luc.* II. 13. *&c.* distincti, quamvis nos Eum, qualis præcisè sit, notatus fortè *Coloss.* I. 16. ignoremus. Quosque *omnes* absque exceptione, aut dignitatis ac potestatis distinctione hic compellat, vocans eos *Elohim*.

VII. Si verò ulli per Metaphoram merentur *Elohim* appellari certè sunt Hi *Angeli Boni*. Hi enim habent cum Deo vero & summo, supra reliquas Creaturas, magnam similitudinem. Sunt enim: veri & meri *Spiritus*, substantiæ intelligentes, *Psalm.* CIV. 4. *Heb.* I. 14: sunt *Sapientissimi* 2. *Sam.* XIV. 17. 20: *Sanctissimi Jud. vers.* 14. 1. *Tim.* V. 22. *Beatissimi: Potentissimi Ps.* CIII. 20, 21: *Cœlestes Matth.* XVIII. 10. *Luc.* II. 14: magna denique *potestate* pollentes *Coloss.* I. 16, non in *Ecclesiam* Christi Dominicâ, cujus semper ab initio Mundi fuere *Ministri Heb.* I. 14. sed in Mundana reliqua, ut circa ea operentur ad bonum Fidelium. Quapropter & Hodie sub N. T. æque ac Heri sub V. T. Nomen *Elohim* ipsis competit: sunt tandem *Venerabiles*, quorum excellentiam mentis judicio nos agnoscere oportet, & voluntatis affectu excellenti naturæ eorum convenienti amare, ac corporis gestu decenti, si sic usu veniat, existimationem nostram testari, nec non cultu civili ac reverentiâ morali, simili ei, quo Reges nostros ac Magistratus, Parentes ac Doctores, denique ætate ac virtute præcellentes, sedulò honoramus. Religiosa verò *Adoratio*, *omnibus modis*, ore & clamoso cordis silentio facta; *omnibusque in locis* etiam occultissimis instituta; ad obtinenda *omnia* tam spiritualia quam corporalia bona; cum *omni* fiduciâ & *subjectione*, ipsis neutiquam, sed Soli Deo Omniscio, Omni præsenti, Omni potenti, Soli

Inde-

Independenti Caussæ primæ omnium in Natura & Gratia deferenda est, etiam ab ipsis his Sanctissimis Creaturis. Unde sequitur.

VIII. Quid postulat ab Ipsis השתחוו לו *Adorate Eum.* Ubi *Objectum* primò, dein *Officium* exactum. *Objectum* affixo pronomine relativo in לו designatur, quod nos ducit ad ארון כל הארץ *Dominum Universæ terræ* proxime nominatum *vers.* 5. Cum Imperans Angelis hic sit necessariò Persona Divina, sequitur quod *Dominus totius terræ* sit alia Persona ab Imperante distincta, non essentialiter; nam tunc non posset esse Objectum Adorationis Angelorum, in Natura Divina eminentissima tantùm fundatæ; sed Personaliter. Porro quia in hoc Psalmo de Regno Messiæ, haud diffitentibus Judæis & Socinianis, extet Vaticinium, hic *Dominus totius terræ* est Rex Messias; Quem ipsi Rabbini vocant, uti *Hackspanius* adnotavit, רבון של עלם, Chaldaicè רבון חעלמא / item מלך מלכי המלכים cum respectu ad Reges terrenos, nonnunquam *Reges Regum* dictos *Ezech.* XXVI. 7. *Dan.* II. 37. *Esdr.* VII. 12; & Qui *Psalm.* LXXXIX. 28. appellatur *Primogenitus*, & *Altissimus Regum terræ.* Unde Paullus cum respectu ad hunc Titulum *Domini totius terræ* Christum appellavit in Textu PRIMOGENITUM absolutè, & in contextu *Hæredem omnium vers.* 2. Primogenitus enim est *Dominus* & *Hæres.* Appellatur verò Messias *Dominus totius terræ;* non quia Ipsi, nudo homini futuro, omnis potestas in cœlo & terra gratiosè a Deo vero & summo ad tempus danda erat, uti contendit juratus Deitatis veræ Messiæ hostis SOCINUS; Sed 1. Quia Messias est *Jehova Deus verus* & *summus*, ipse *Deus Israëlis* Homo aliquando futurus *Jer.* XXX. 21. *Jes.* VII. 14. *Jer.* XXIII. 6. Est enim hic Titulus *Dominus totius terræ*, soli vero Israëlis Deo proprius, plus semel ipsi datus *Jes.* III. 11. 13. *Mich.* IV. 13. *Zach.* IV. 14. VI. 5. Deinde nunquam conjungitur *Adon* cum *Jehova*, quod fit *vers.* 5. nisi cum idem *Jehova* est & *Adon*, uti verè DORSCHEUS ait ad *Heb.* 1. 6. & patet ex

ex Locis *Exod.* XXIII. 17. XXXIV. 23. *Jos.* III. 13. *Neh.* X. 30. *Psalm.* VIII. 2. 10. *Jes.* I. 24. III. I. X. 33. LI. 22. II. Quia habet cum Patre & Spiritu Sancto *Regnum Commune* in *omnia*, naturaliter vel etiam moraliter ab ipso dependentia, cœlique ac *totius Terræ*, jure Creationis ac Conservationis, est Dominus absolutissimus; coll. *vers.* 9. *Deus Deorum* & *Dominus Dominorum Apoc.* XIX. 16. coll. cum *Deut.* X. 17. *Psalm.* CXXXVI. 3. *Primogenitus*, *excelsus supra Reges Terræ Psalm.* LXXXIX. 28. *Primogenitus omnis Creaturæ. Nam per ipsum condita sunt omnia. Coloss.* I. 15, 16. *Dominus omnium Act.* X. 36. III. Quia Jure Redemptionis; non solùm accepit *Regnum Potestatis* in omnia Cœlestia ac Terrestria, quibus uti potest ad salutem Electi ac Redemti Populi sui procurandam *Psalm.* VIII. 7, 8, 9. *Matth.* XI. 27. XXVIII. 18. sed etiam *Regnum gratiæ* habet in Electos salvandos, olim quidem restrictum ad solum populum Israëlis, sed nunc extensum ad *fines terræ* omnesque sine discrimine populos, a quibus agnoscitur celebratur & colitur ut unicus Salvator Redemtor & absolutissimus Dominus, juxta Prophetias *Gen.* XLIX. 10. *Psalm.* II. 8. LXXII. 7. 11. *Jes.* XLIX. 6, 7. *Tzeph.* III. 8, 9. *Zach.* IX. 9, 10. & inprimis *Jes.* LIV. 5. *Nam Conjunx tuus opifex tuus, cujus Nomen Jehova Exercituum. Et Redemtor tuus Sanctus Israëlis*, DEUS TOTIUS TERRÆ *vocabitur.*

IX. Meritò itaque Deus Pater imperat ipsis *Angelis* ut hoc Objectum Divinum, Filium suum Unigenitum, totius terræ Dominum ADORENT. Hoc est *Officium*, quod postulat Verbo השתחוו / LXX. προσκυνήσατε. Verbum השתחוה notat honoris caussâ incurvare corpus; Vel aliquo modo 1. *Reg.* II. 19; Vel caput inclinando aut genua flectendo, inprimis ubi cum Verbo קדד jungitur *Gen.* XXIV. 26. 1. *Chron.* XXIX. 20. ויקדו וישתחוו Trem. & Jun. & *inclinato vertice incurvaverunt se* honorem exhibentes, sed LXX. habent καὶ κάμψαντες τὰ γόνατα προσεκύνησαν; Vel etiam totum corpus in terram prosternendo, ut facies eam attingat,

gat, ad lambendum quasi ejus pulverem. *Gen.* XVIII. 2. XIX. 1. XLII. 6. 1. *Chron.* XXI. 21. *&c.* Unde per προσκυνεῖν vulgò a LXX. translatum est, quod, ex origine, a κύων Canis, notat more canum se projicere ad pedes alicujus tanquam Domini sui, eique humillime blandiri lambendo, ac demulcendo ei pedes. Quia porro Orientales eodem incurvati ac prostrati corporis gestu Deum pariter ac Reges suos venerabantur. 1. *Chron.* XXIX. 20. ideo nunc pro *Civili* 2. *Sam.* XIV. 33. XVIII. 28. XXIV. 20. *&c.* nunc pro *Religioso* cultu ponitur Verbum pariter Hebræum & Græcum *Gen.* XXIV. 26. 52. 1. *Sam.* 1. 3. 1. *Chron.* XVI. 29. *Psalm.* XCVI. 9. *Zach.* XIV. 16. *Matth.* IV. 10. *Joh.* IV. 24. *Act.* VIII. 27. *Apoc.* XIX. 4. 10. *&c.* Quemadmodum autem in *Civili* decenti cultu corporis iste gestus signum erat animi; agnoscentis alterius gradu majorem præstantiam; corpus tradentis alterius potestati; se subjicientis alterius Dominio & Legi, Divinæ non adversanti; ac humillimè implorantis denique alterius favorem, unde per *adorare*, *aenbidden*, frequenter vertitur a Latinis & Belgis nostris: ita in hisce *Religiosa* προσκύνησις à *Civili* differt, quod in illâ, Religiosâ nempe, hic corporis gestus conjunctus sit: cum agnitione præstantiæ, non gradu majoris, sed summæ, qualis in Deo solo est: & cum subjectione corporis pariter ac animæ absoluta & universali, qualis soli Deo summo Domino debetur: & denique cum invocatione ac imploratione omnis Boni, corporalis & spiritualis, temporalis & æterni, cujus adorationis & invocationis omni in loco & omni modo instituendæ, cum humillima imploratione omnis boni, Objectum solus Deus omniscius omnipræsens ac omnipotens est & esse potest. *Matth.* IV. 1. *Apoc.* XIX. 10.

X. *Adoratio* hoc in loco Angelis imperata non est *Civilis:* quâ Christum nudum Hominem, ob potestatem ipsi gratiosè, juxta Socinianos, datam, gradu se præstantiorem modò faterentur, atque ejus Dominio juxta summi Dei voluntatem se subjicerent, eumque qualicunque modò ut nunc aucto-

auctoritate superiorem venerarentur: sed omnino est *Religiosa* soli Deo summo debita. Nulla enim alia ab Angelis Sanctis exerceri potest, qui præter Deum nil supra se agnoscunt nec habent, ne quidem Christum ratione Humanitatis sed Deitatis, vel ratione Humanitatis quoque, sed ideo quia Deitati conjuncta est in Unitate Personæ Divinæ, unde omnis Humanæ naturæ dignitas & gloria. Quare Paullus *Præstantiam* Christi supra *Angelos* in sola ejus Deitate ac Filiatione Divinâ posuit *Heb* 1.4,5. Deinde talis Adoratio heic intelligitur, qualis olim Idolis deferebatur ab οἰκουμένῃ Idololatricâ. Nam Christus heic manifestè opponitur Idolis, Diisque Gentium dictis, ab ipso destruendis, & vult Deus Pater ut Filio suo Domino totius terræ deferatur idem Honos specie qui pessimè hactenus delatus erat Diis fictis & dictis a cæcis gentilibus. At hic Honos fuit *Religiosus* cum plenissimâ fiduciâ & absolutissimo obsequio conjunctus. Denique cum *Objectum* hujus imperatæ Adorationis est *Divinum*, *Dominus totius terræ*, ipse *Jehova*, *Primogenitus omnis Creaturæ*, per quem creata sunt omnia, etiam ipsi Angeli *Coloss.* 1.15,16. ejus *Adoratio* nequit esse alia quam *Divina* ac *Religiosa*.

XI. Consequenter quando jubet Deus Pater ut *Adorent* Christum Primogenitum & Dominum omnium, postulat ab Angelis Sanctis, non *Corporis prostrationem* in signum subjectionis, nam corporibus carent Angeli, absolutè in se & sua naturâ *invisibiles Coloss.* 1.16. *Testantur*, inquit LORINUS Jesuita, *probatissimæ historiæ visos interdum Angelos Christum humiliter venerari in Eucharistiâ.* Nugæ. Cæterum in assumtis corporibus Christum Dominum in terris versantem sic adorasse minimè negamus. Neque postulat ab Illis Veteris Dominii ac Potestatis Dominicæ in Ecclesiam Israëliticam depositionem, quam nunquam habuerunt: Sed postulat ut *agnoscant* Christum, non se gradu præstantiorem Creaturam, sed *summum Deum;* ut ab Eo *dependeant* Creatore & Conservatore suo in Esse & *Operari*, ejus præmotionem ut

primæ

primæ caussæ implorantes atque invocantes continuè, denique ut Ejus *imperio Divino* se prompte alacriter & *absolute* subjiciant: & tandem ejus *laudes* & gloriam *celebrent* cum summo Amoris ac Venerationis affectu *Jes.* vi. 3.

XII. Ita quidem semper adorarunt Filium Dei, cum Patre & Spir. S. Creatorem *Neh.* ix. 6. nondum incarnatum: & post incarnationem in statu Humiliationis *Matth.* iv. 11. xxviii. 6. *Luc.* ii. 13. Sed *novum* nunc Mandatum accipiunt, non de *nova adoratione* Christi instituenda; sed de *veteri* ob *novam caussam* continuanda & renovanda. Nempe: quia nunc Deus Israëlis, Rex Tzijonis, Dominus Davidis, regnare incipiebat; *gloriosè*, in *carne assumtâ* glorificatâ & immortali, in quâ paullò minor factus fuerat Angelis ob mortis passionem *Heb.* ii. 9; in *novos* subditos, hostibus Judæis subactis, & Idolis gentium destructis; *novo titulo* satisfactionis præstitæ, ut *Victor* mortis & inferni: ideo *Novum* hoc accipiunt Mandatum, *Adorate Eum omnes Angeli*; atque adeo juxta Paulum in *Epist. ad Hebr.* & *Textu nostro*, ὅταν QUANDO *Primogenitum* in οἰκουμένην *induxit* Deus Pater, id est, *secundò inducendum* heic prædixit, ut illud exequerentur ilico, post prædictionem hanc impletam.

XIII. Sic vidimus ARGUMENTUM Mandati hujus *Verbis Psalmi* propositum; nunc restat ut breviter idem videamus *Verbis Pauli* repetitum & expositum, uti supra promisimus. Approbavit quidem Apostolus Versionem Græcam, in quantum *Elohim* per *Angelos* in eâ exponitur; non tamen in omnibus Verbis eam secutus est. LXX. non habent καὶ, quod Paulus præmisit. Illi posuerunt secundam Imperativi personam, προσκυνήσατε; Paulus tertiam, προσκυνησάτωσαν, quæ reddi potest, *adoranto*, vel etiam *adorent*. Illi habent, Ἄγγελοι αὐτοῦ; Paulus, Ἄγγελοι Θεοῦ. Textum Hebraicum secutus est Apostolus, sed ita ut Sensum magis expresserit, quam Verba, quod esse in Sacris Literis frequentissimum recte observavit dudum HIERONYMUS, in *Epist. ad Galat. in fine*, & in *Libello* de *optimo interpreta-*

preta-

pretationis genere. Nempe in Hebræo deest *Copula*, ut sæpe aliàs, subintelligenda tamen, quam ideo Paulus ex Spiritus afflatu addidit, ϗ *Et* adorent eum; sive ut sit conjunctio *Copulativa*, indicans *illam Connexionem* horum Verborum (in quibus cæteroquin incepit pars Psalmi Admonitoria) cum præcedentibus, de qua supra diximus; sive ut sit *Illativa*, vel *Caussalis*, *ideo*, *propterea*, quia cultores Idolorum confundentur, & Regnum Θεάνθρωπος eriget inter gentes, illum adorare Angeli, ac novo ardore zeloque gloriæ Divinæ Regno ejus inservire debent; sive tandem exprimat Adverbium Temporis *tunc*, ut sumitur *Matth.* XXII. 22. *tunc* scilicet, quando pudefient Idolorum cultores, & princeps Mundi ejicietur foras, & Regnum inter medius hostes eriget. Repeti enim solebant, & multiplicari Adorationes apud Veteres, ubi Reges & Principes nova Victoria coronatos videbant. In Hebræo est כל אלהים *omnes Dii*, sed Paulus habet, πάντες ἄγγελοι Θεȣ̃. Non, quia legit in Codice Hebræo כל מלאכי אלהים *omnes Angeli Dei*, uti putant Ribera & a Lapide. Nullum enim indicium nullaque species apparet fontium à Judæis heic corruptorum. Quia vox *Elohim* heic pro *Angelis* sumebatur; propterea & Paulus *Angelos* posuit in textu: Et quia pro *Bonis* tantùm sumebatur in Psalmo vox ista, idcirco addidit Apostolus nomen *Dei*; uti antea à nobis quoque observatum fuit. Paulus denique tertiâ Imperativi utitur, προσκυνησάτωσαν, cum in Hebræo sit Imperativus Secundæ Personæ. Sed cum Hebræi tertiam non habeant in Imperativo, Græci verò utramque, integrum erat Paulo tertiâ æque ac secundâ uti. *Et tertiâ hoc loco eò commodius*, ait Seb. Schmidius, *tum quod Nomen habet, quod excepto Vocativo semper est tertiæ personæ, tum quod per copulam placuit cum Verbo præcedenti tertiæ Personæ*, יבושו Erubescant, *conjungere.*

XIV. Nullum est dubium quin executi sint hoc decentissimum Dei Patris Mandatum Angeli cœlestes, & exequantur

quantur id Hodie, & executuri sint in omnem æternitatem. *Jes.* VI. 3. *Apoc.* IV. 8. v. 11. *Visus* est ab *Angelis* glorificatus Dominus 1. *Tim.* III. 16. & in omni sua Divina gloria agnitus. Etiam hoc mandatum Propheticum ipsos non magis latuit, quam Diabolo illud promissum piis omnibus, & sic quoque Sanctissimo Messiæ, factum in *Psalmo Psalm.* XCI. 11. quod adduxit Tentator ille *Matth.* IV. 6.

XV. Sed ex hoc *Mandato* Dei, ejusque *Executione* irrefragabiliter liquet *Deitas* Jesu Christi, ipsumque in eo esse *præstantiorem Angelis*, quia Deus est verus & summus. Quod cum invictè probaverit Apostolus *vers.* 4, 5. ex Nomine *Filii Dei*, *geniti*, quod in Christo est διαφορώτερον *Psalm.* II 7; idem etiam nunc evidenter demonstrat ex *Adoratione* Ejus *Religiosâ Angelis* ipsis imperata. Quem enim *Omnes* Angeli adorare debent, is non est Angelus Creatus, sed Increatus, *Archangelus*, omnium Deus & Dominus. Quem quæso Angeli Cœlestes, præstantissimæ Creaturæ, adorarent nisi summum Deum? Quid aliud significare potest hoc *Adorare* Angelis Imperatum, quàm Christum agnoscere Dominum suum, Creatorem & Conservatorem suum, à quo dependent in esse & operari, atque adeo *Jehovam*, ut vocatur in Psalmo? Quid *Religiosè adorare*, quod mandatur in Textu, aliud est, quam omniscium, omnipræsentem, omnipotentem, omnisque boni fontem liberrimum ac independentem sibi sistere, & plenâ fiducia in eum recumbere, & absolutissimo obsequio illi se subjicere? Quem denique *omnes* Angeli adorare debent, eum etiam omnes Homines, omni modo omnique in loco invocare debent, argumento à majori ad minus. Sed ita ab Hominibus corde & ore, clam & palam, invocari solius est omniscii & omnipræsentis & omnisufficientis Dei. Unde patet quod hujus Invocationis Honor non dependeat ex arbitrio Dei, ut volunt Sociniani, quem dare posset, cui vellet, nudæ creaturæ, sed quod in Natura Divinâ sit fundata, nemini

extra Essentiam Divinam unquam communicanda *Jes.* XLII. 8. *Ego sum Jehova, illud est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Matth.* IV. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies. Gal.* IV. 8. *Imo tum quidem ignorantes Deum serviebatis iis, qui natura non sunt Dii. Apoc.* XIX. 10. *Vide ne* feceris: *conservus tuus sum & fratrum tuorum qui habent testimonium Jesu, Deum Adora.* Ita porro Religiosa hæc animi Adoratio soli Deo est propria, quâ nempe illum quem ita adoro, mentis judicio pro Ente summo, summèque perfecto habeo, omnia mea ei ut absolutissimo Domino trado, ei me in omnibus subjicio, ab eo omnia bona expeto ut Omnipotentissimo ac Omnisufficientissimo, eumque ubique locorum corde & ore invocans Omniscium, & Omnipræsentem suppono; hæc, inquam, animi religiosa Adoratio adeo soli Deo est propria, ut ejus etiam externa demonstratio in corporis incurvatione atque in terram prostratione, in sacrificiis oblatis, altaribus extructis, Templisque erectis, neutiquam fieri debeat coram Re aliqua corporea, quæ Imago Ejus aut simulachrum dicitur. Quod ideo in secundo Decalogi præcepto Legislator severè prohibuit *Exod.* XX. 4, 5, 6. Unde consequitur quod *Panis* in Eucharistia, quia est nuda Imago Domini & signum corporis ejus, non sit hoc modo, externa adoratione nimirum, honorandus. Si dicant Panem esse ipsum Dominum suum, contradictoria loquuntur. Et si est Dominus ipse, cur devorant ipsum ἀνθρωποφάγοι? Si verò Imago est tantum, Idololatriæ rei sunt ex Lege Domini. Denique in carne assumtâ adorandus est Christus; Hoc enim Angelis hîc Imperatur; sed non Caro ejus. Qui Homo est adorandus, non qua Homo. Sicuti & *Qui* Mediator est, adorandus est, & *quia* talis, non *qua* Mediator, ut Munus sit Objectum adorationis, quod est tantum Argumentum Ejus, quia est Munus planè Divinum. In carne assumta itaque adoramus Christum, & coram Homine Christo procumbimus: Non, quia in Carne & Humanitate Ejus

Deus

Deus operatur & habitat, ut olim in Prophetis, & ut Gentiles credebant Numen habitare in Idolis ac simulachris, atque adeo non quia Christus Homo est *Imago* & *Simulachrum* Dei, ut voluit NESTORIUS, *Anthropolatra* dictus, quemadmodum ostendimus in *Lib. de Nestorianismo* &c. *Cap II.* §. *XXIX.* Neque etiam quia *Humanitati* ejus in abstracto Omnipræsentiâ, Omniscientiâ, Omnipotentia, & Adorabilitas Communicata est per Unionem Hypostaticam, uti volunt Lutherani; Verùm quia vi Unionis istius, inseparabilis est à Persona ȣ λόγȣ, & quia Christus *Homo* vi istius Unionis est Deus Omnipotens, Omnipræsens, Omniscius, solus Adorabilis; adeo ut cum videam Hominem Christum, videam ipsissimam Personam Divinam, ipsissimum Dei Filium æternum & naturalem, honorandum sicut patrem honoramus *Job.* v. 23. *Psalm.* II. 12. XLV. 12. LXVIII. 29.

XVI. Si itaque coram carne Christi præsente Religiosa corporis incurvatione procumbere licet ideo tantum quia in ea est Personaliter præsens Filius Dei naturalis adorandus; & si hoc non liceat facere coram eo in quo vel *Repræsentative*, ut in *Imagine*, vel *Operative*, ut in Prophetis maximè, præsens est; liquet exinde quam malè laudaverit *Estius*, ad hunc Locum nostrum, Tridentinam Synodum. *Aptissime autem utitur hoc testimonio Trid. Synodus ad comprobandam adorationem Christi in Eucharistia. Nam si Angeli Christum adorant: quantò magis Homines, etiam in Eucharistiâ, ubi fideles eum sciunt verè esse præsentem? Nam ubicunque Christus est, rectè adoratur.* Ubicunque Christus est corporaliter & videtur Caro Ejus assumta, rectè adoratur. Sed in Eucharistia non videtur in carne assumta, neque etiam est consequenter ibi corporaliter, ergo non rectè adoratur. Est quidem in Eucharistia, sed repræsentative tantùm & operative. Verùm id omne quod Imago Ejus est, & in quo singulari modo operatur, adorari externe etiam non licet, tum ex Lege Dei, tum etiam quia sic omnes Angeli, omnesque Fideles,

imo omnes Homines, ad Imaginem Dei conditi hactenus, essent adorandi.

XVII. Firmiter ergo credamus Jesum Christum Crucifixum esse cum Patre & Spir. S. verum & summum solumque adorandum Deum. Damnemus omnem Angelolatriam & Idololatriam, gratiasque Deo immortales agamus, quod separaverit nos ab ingenti illa multitudine, quæ *Bestiam*, Regnum Papale & Anti-Christianum, ejusque *Regem*, Episcopum Romanum, *adorant* religiosè, Divina Nomina, Divinamque potestatem ei tribuentes, & se in omnibus ei cæca obedientia subjicientes, de quibus agitur ut non scriptis in Libro Vitæ *Apoc.* XIII. 8. Adoremus solum verum Deum Triunum. Adoremus Christum, qui est quoque solus ille verus Deus, *Psalm.* II. 12. XLV. 12. *Joh.* V 23. 1. *Cor.* I. 2. *Phil.* II. 9, 10, 11; Agnoscendo ipsum esse Deum & Dominum nostrum *Joh* XX. 28. *Jes.* XLV. 22, 23, 24, 25. *Jes.* LIV. 5. *Jer.* XXIII. 6; Omnia nostra ejus potestati Submittendo, Ejusque Voluntati nos in omnibus prompte & constanter Subjiciendo, tam Arcanæ Decreti *Apoc.* XIV. 4. quàm Revelatæ præcepti *Psalm.* CX. 3. CXVI. 16. *Matth.* XI. 29, 30. *Joh.* XV. 14. *Act.* IX. 6. 1. *Joh.* IV. 22.—24. *Apoc.* XXII. 14. Et denique Demonstrando hanc Agnitionem ac Subjectionem animi in externo Ejus Cultu publico & privato, etiam in Precibus ad eum quotidie fusis, summa animi demissione, & corporis etiam decenti gestu *Rom.* XIV. 10, 11. *Phil.* II. 8, 9, 10. Faciant hoc Omnes parvi & magni, Reges & subditi, Domini & servi *Psalm.* II. 10, 11, 12. LXXII. 9, 10, 11. XLVII. 9, 10. *Jes.* XLIX. 23. Est enim Jehova; est Dominus totius terræ; est Dominus Dominorum; est Dominus omnium; & Primogenitus omnis Creaturæ; est denique Dominus noster & Primogenitus inter multos fratres, quos pretioso sanguine suo redemit *Act.* XX. 8. 1. *Cor.* VI. 20. *Apoc.* I. 5, 6. Filiosque Dei Merito & Efficacia Spiritûs sui effecit *Gal.* IV. 4, 5, 6. ut ejus Filii Unigeniti Imaginem geramus, dignique hoc insigni υἱοθεσίας Privilegio

legio vivamus ſemper, & Primogenitum noſtrum honoremus coll. *Gen.* XLIX. 8, 9, 10. Sicuti & ſic imitabimur cœleſtes Angelos, ipſum indeſinenter adorantes, quod & quotidie petimus a Deo in Oratione Dominica *Matth.* VI. 10. Imo Opere omni promoveamus Regnum Filii Dei, & Ore, calidiſſimis precibus orantes Deum Patrem, ut Primogenitum magis magiſque inducat in Orbem Terrarum, ut tandem omnes populi ei ſerviant, & increduli Judæi Crucifixum pro Rege & Deo ſuo habeant *Jeſ.* LXIV. 1, 2, 3 & orantes Primogenitum ipſum, ut accingat iterum gladium ſuper femur ſuum, & proſperè equitet cum verbo veritatis, *Pſalm.* XLV. 4, 5. & in populorum Regiones Urbes, Arces, Pagos, Domos, Corda quàm maximè, penitius introeat Rex gloriæ *Pſalm* XXIV. 7, 8, 9; reliquam gentilium Idololatriam deſtruat, Beſtiæ imperium minuat ac tollat, totumque mundum ſibi ſubjiciat, & ſic fiat Dominus & Deus totius terræ; & tandem ut citò veniat ille dies æternitatis, quo nos omnes, totamque Eccleſiam hactenus militantem plene Sanctificatam introducet in vaſtiſſima, amœniſſima, jucundiſſima, glorioſiſſima, ſplendidiſſima illa ac beatiſſima cœli tertii ſpatia; ubi cum Angelorum myriadibus Deo Triuni & Agno dabimus cum ſatietate gaudiorum æternum Honorem & Gloriam!

DISSER-

DISSERTATIO DECIMA NONA

Continens

CENSURAM *in Exercitationes* D. B. S. C. *de Primogenito Dei Filio*, *Angelis Excellentiore*, una cum MODESTA CALUMNIARUM DEPULSIONE.

THESIS I.

Uod asserui in Disputatione Academicâ, Anno MDCCXVI habitâ, atque cum Aliis editâ Anno MDCCXXI; Christum nempe esse Filium Dei ratione Divinæ Naturæ *tantùm*; ut Sacrarum Literarum, ac Communem Ecclesiarum nostrarum Doctrinam: id ipsum fusè pertractare & vindicare coactus fui adversus V. C. B. S. *Cremer*, qui, in *Decade Exercitationum* de *Summa Sapientia*, Anno MDCCXXIV. evulgatâ, me iniquè & injuriosè aggressus est, atque traduxit; non solùm ut *Impostorem*, quia *Sententiam hactenus in Ecclesiâ inauditam orbi erudito obtrudere volui ut communem & receptam*, verùm etiam ut *Heterodoxum*, quia *à Scriptura* non modò *aberrarem*, sed etiam *à sententiâ Ecclesiæ Orthodoxæ recederem*, cujus caussam adeo Ille agere debuit & egit, ut sibi persuadet, strenuè, laudans quoque *Arminianos cum Ecclesiâ* nostra *facientes*, *agnoscendo præter Naturalem Generationem etiam Oeconomicam* Christi Filii Dei.

II.

II. Feci hoc coactus, inquam, ne Muneri, ac Famæ meæ, & Ecclesiarum nostrarum, imo ne Veritati, & Gloriæ Filii Dei Unigeniti, ullo modo deessem, in *Libro*, superiori Anno MDCCXXVII. (Hæc scripsi in Feriis Canicularibus Anni MDCCXXVIII, sed ob adversam valetudinem sepolui; quæ nunc iterum in manus incidentia, per modum *Additamenti*, ad superiores Academicas, de PRIMOGENITI SECUNDA IN MUNDUM INDUCTIONE, EJUSQUE ADORATIONE *Angelis Imperata*, ad Locum *Heb.* I. 6. Dissertationes, in lucem mittere decrevi) evulgato, cui Titulus, *Nestorianismus & Adoptianismus Redivivus Confutatus.* In quo Fidem cum Diligentiâ conjunctam me probasse, ore & scripto testati sunt Viri præstantissimi, qui etiam Caussæ momentum magnum, Rerum tractatarum delectantem Varietatem, Lucem Scripturæ Locis nonnullis feliciter affusam, Aliaque ad Historiam Ecclesiasticam de Priscis Hæresibus spectantia plenius enucleata, in prolixitudinis exculationem adduxerunt, de Operis fructu benè quoque ominantes. Liberius quandoque excepi Adversarium ad Exemplum piorum Veterum & Recentiorum Doctorum, qui cum Hominibus pectore minus candidis, fastuosis, vanæque gloriæ cupidis; paulò severius ac liberius egerunt, potissimùm ubi errores Veteres periculosos sub Orthodoxiæ titulo Ecclesiæ propinare, ejusque pacem turbare, tantùm ut Templi spiritualis novo incendio inclarescerent, animadvertebant.

III. Emisit hoc Anno MDCCXXVIII. in lucem Adversarius duas *Exercitationum Decades*, in quibus se opponit Disputationibus meis Anno hujus seculi XXV. & XXVI. in Academia super hac Materia habitis; illisque adjecit *Mantissam*, ut vocat, directam contra Alteram partem Libri mei, quæ in Academia publicè non fuit ventilata, sed prælo sudante conscripta, postquam diu satis sed frustra expectassem has & alias ab Ipso promissas antea Exercitationes. In quibus persistit in errore suo, eumque apertius

tius & uberius profitetur, & auget: Verba mea & aliorum ita torquet ut equuleo imposita diceres, imo & aliquando planè invertit, tribuitque mihi quæ nunquam scripsi, nunquam cogitavi: Dissimulat inprimis ubique statum Controversiæ, perspicuè tamen à Me, uti puto, propositum. Alienissima Doctorum nostrorum Dicta pro se citat, ipsi quandoque directè contraria. Dum ad Argumenta mea respondet, corticem lambit, medullam non tangit, illud in quo est argumenti vis, planè præteriens, & loco Responsionum non nisi Declamationes sæpe reponit. Totum denique præsidium Caussæ suæ in Lectore haud attento collocat. Iratus tandem Acer & Contumeliosus in me ubique est, & quidquid est conviciorum plaustratim in me congerit. Vocat Librum meum *Libellum famosum*. Me *Calumniatorem* ubique, etiam in ipso titulo pronunciat. *Petulantiam à se comprimendam*, imo & à *Divina Providentiâ compescendam ne impune grassetur*, mihi plus semel adscribit. Me *tantas dedisse turbas* & *excitasse scandala*, ait, & *adversus umbras Chimæras larvas pugnare* omni paginâ clamat, imo *Unicum munimentum meum* esse *integrum Larvarum*, *Calumniarum*, *Logomachiarum Exercitum* esse dicit: Adnumerat Me denique *blasphemis*, *Divino Judicio occæcatis*, *quorum sortem amaris deplorandam esse lacrymis* censet: *&c. &c.*

IV. Maluissem profectò adhæc tacere quàm aliquid regerere, si per ipsum licuisset. Non quidem rationum pondere, sed conviciis & obtrectationibus iterum Innocentiam meam tueri, caussamque dicere, cogit. Dudum didici, illos, qui Doctrinam Orthodoxam pro Munere sibi concredito & decenti cum parrhesiâ defendunt adversus eos, qui à Veritatis tramite deflectunt, nil nisi contumelias expectandas habere, ad Exemplum Domini, qui, liberius paullò se defendens, a vilioribus etiam ῥαπίσματα ferre debuit. Veritas est index sui & obliqui. Qui Librum meum legere dignabitur facilè se expediet omnibus nodis, omnibusque

que difficultatibus, quas contra Veritatem movere, & magno labore nectere conatus fuit Adversarius. Certus quoque sum, *Eruditos, in quorum gratiam se scribere*, dixit Ille alicubi, si legerint ejus scripta, ea omnia ita comperturos fore, prout modò commemoravi, nec quidquam à me præter rei Veritatem dictum fuisse. Facile quidem esset omnia & singula exemplis comprobare. Sed *Additamenti* hujus Ratio, quod sic nimiùm excresceret, id non permittit. Ideoque in gratiam studiosæ inprimis Juventutis quædam modò breviter & strictim in medium proferam, ut ex iis constet, quinam sunt errorum Adversarii mei Fontes; & quomodo in Argumentis ac ratiocinationibus suis continuò committat vitium Ignorationis Elenchi, quod in omni Disputatione grave fœdumque est Vitium, quia sic andabatarum more ridiculis ictibus pugnatur; & denique ut ex iis pateat, quam injustè me tot tantarumque calumniarum reum egerit.

V. Primò, Dissimulat Statum Controversiæ. Qui est: *Non*, an Homo, immediatè a Deo Creatus, Sanctus, & in Munere eminenti constitutus possit dici Filius Dei Metaphoricus, propter communicationem existentiæ singularis ac similitudinis, & propter obedientiam spontaneam; quod Nemo negat: *Neque*, an Christus talis sit Homo, Creatura Dei Sancta, & Mediator, qui Deo Patri spontè & constanter obedivit, atque Hæres gentium ac gloriæ cœlestis factus est; quod etiam Nullus Christianus negabit. *Neque* etiam an Christus Homo, si seorsim à Persona τȣ̃ λόγȣ existeret, vel ita existere cogitetur a mente meâ, abstrahente Humanitatem à Persona Ejus, & sic fingente eam Naturam Humanam esse Metaphysice completam; ob has caussas dici non posset Filius Dei; quod etiam non negamus, ut constat ex Libri nostri Cap. 1. §. x. Minime interim tutum esse existimamus hisce mentis nostræ fictionibus & abstractivis considerationibus diu immorari. Sed hic est status Controversiæ, an Filius Dei æternus ac naturalis,

in assumtâ & sibi personaliter ac inseparabiliter unita Humanitate, ratione ejus Humanitatis Sanctæ, miraculose productæ, & obedientiæ Mediatoriæ spontaneæ, ac Gloriæ acceptæ, statui possit Filius quoque Dei Metaphoricus, *Salva generatione ejus æterna* ac *naturali*, *nec* non *Salva personæ θεανθρώπȣ unitate*. Hoc est quod negamus, & negarunt Veteres contra Nestorium & Adoptianos, & Nostri contra Vorstium & Remonstrantes. Nimirum est Christus Homo Sanctus, est Mediator Dei & Hominum est Hæres finium terræ in Regno Gratiæ & Potestatis œconomico, est denique communicata ipsi maxima similitudo cum Deo; atque adeo habet id omne eminentissimo modo, quod nudam creaturam Angelum aut Hominem Filium Dei efficeret Metaphoricum. Neque tamen ideo talis Filius effici per hæc omnia potest, quia primo existentiæ suæ humanæ momento jam fuit Filius Dei naturalis proprius ac æternus per unionem naturarum in Ipso hypostaticam. Est enim hoc nomen *Filii Dei* in Christo διαφορώτερον. Esset Homo Christus, de Virgine natus, imagine Dei ornatus, gloria ac honore cælesti coronatus, Filius Dei Metaphoricus, nisi jam fuisset ab initio conceptionis suæ Filius Dei proprius. Adoptio locum non invenit ubi proprietas præcessit, uti dixerunt Veteres. Potest aliquis eminenter habere aliquid quod formaliter tamen ei adscribi non debet. Habet Rex eminenter Centurionis aut Chiliarchi dignitatem, non tamen ideo est Centurio vel Chiliarchus, obstat enim longè major jam in ipso existens Regia Dignitas. Quo sensu etiam Alexander Magnus dicere potuisset, *Essem Parmenio*, *nisi essem Alexander* Rex, id est, fortissimi ducis titulum non respuerem, nisi jam multò majorem illum Regis possiderem. Quod tamen ejus dictum alio sensu a Curtio Lib. 4. c. 11. atque Plutarcho Apopht. c. 38. laudatum scio. Eminenter habet Deus oculos & aures, sed ideo Auditus Visusque Humanus ipsi formaliter non est attribuendus. Obstat enim Spiritualis Naturæ infinitæ dignitas. Et quod propius

ad

ad rem accedit; possidet Deus Verus & Summus eminenter id omne quod est in Diis Nuncupativis, quis autem Ipsum ideo Deum Nuncupativum quoque esse diceret, atque in Deorum Nuncupativorum Ordinem redigeret? Rursus, si Christus Homo, vi Unionis Hypostaticæ jam est & dicitur Deus verus & summus, sanguisque ejus sanguis Dei, quis Orthodoxus ipsum qua Homo est & Mediator ob collatam Dei imaginem, gloriamque cælestem ac hæreditatem gentium, Deum Nuncupativum vocare sustineret? Hoc ipse Adversarius horrere videtur in *Mantissa* p. 49. *Sed quomodo jam vocabitur Ille, qui est* θεάνθρωπος, *quomodo Mediator Dei & hominum? an Deus* nuncupativus? *non, nam sic* nudæ *tantum creaturæ vocantur*. Et cur non horret quoque θεάνθρωπον, qui jam est Filius Dei proprius & naturalis qua Deus est, vocare Filium Dei Metaphoricum, cum sic tantum nudæ creaturæ vocantur? Si hoc est contra summi Dei gloriam eum Nuncupativum Deum appellare, quamvis eminenter habeat id omne perfectionis quod est in Deo nuncupativo; etiam hoc erit contra gloriam Filii Dei proprii & naturalis, qui jam qua talis una cum Natura Divina eadem numero habet omnem similitudinem cum Patre, omnemque perfectionem & gloriam eminentissimo modo, quæ in Filiis Dei Metaphoricis est aut esse potest; ipsum quoque, ob adventitiam similitudinem cum Deo Patre, dicere ac facere Filium Dei metaphoricum. Utrumque enim, & Deum nuncupativum esse, & Filium Dei Metaphoricum esse, *nudæ tantum creaturæ* est. Si absurde & periculosè Deum faceres Nuncupativum, qui jam Verus est, absurdè & periculose Filium Dei Metaphoricum facis, qui jam Proprius est ac Naturalis. Et utraque ratione viam sterneres, aut ad negandam summam Deitatem & naturalem Generationem Divinam Christi cum Socino, aut ad separandas Naturas, & duplicandas personas in Christo cum Nestorio.

VI. Nihil itaque ad Rem faciunt vani isti ubique sonantes clamores Adversarii. *Omnis homo Sanctus est Filius Dei.*

Primus Adam a Deo creatus cum imagine ejus erat Filius Dei, quo colore ergo negari potest Adamum Secundum esse Filium Dei, ob imaginem Dei quam habet ut Homo? An Generatio seu creatio Humanitatis a Deo non fundat Filiationem Divinam? omnes Homines sunt genus Dei, quomodo non Humana Natura Christi, Filius Hominis, erit Filius Dei, ex Promissione Dei & Miraculose natus? Quomodo Pater Spirituum omnis carnis non esset Pater Spiritus humani, qui est in Christo? Quod in omnibus verum est, quotquot Spiritu Dei ducuntur, Filios Dei esse, in Christo quà Homine neutiquam falsum erit. An Christus Spiritum habebit absque mensura . . . . an Spiritu Sancto ducetur, & non erit Filius Dei? Quæ jam iterum est illa λογομαχία, dicere Christum hominem Sanctum; & non Filium Dei? quasi esse posset creatura integra & sancta & non Filius Dei? Ineptissime ergo diceretur, Christum esse creaturam sanctam & imaginem Dei in se habere & non esse Dei Filium. Ubi ergo in Christo duplex est hæreditatis titulus, duplex esse debet Christi Filiatio. Et sic Christus pari jure, quo dicitur Dei hæres, tum qua Deus, tum qua Mediator, pro Filio Dei habebitur tum qua Deus, tum qua Mediator. Hæc & similia omni paginâ ferè recurrunt.

VII. Hoc Fundamento posito jactat totius Ecclesiæ secum consensum. Omnes enim concedunt Christum esse Hominem sanctum, & miraculosè productum, & Hæredem ex Testamento, liberaque voluntate constitutum: ergo & omnes concedere debent eum quoque esse Filium Dei Metaphoricum. Et qui hoc negant, Theologi nostri, *insignem*, juxta ipsum in *Exercit.* de *Primog.* p. 184, 185. *committunt Logomachiam. Dicere enim debent & dicunt, Christum qua hominem habuisse id omne, quod ad τὸ esse Filium Dei pertinet, & non tamen esse aut dici Filium Dei. Est enim verus homo, a Deo creatus respectu animæ, & productus ex Maria respectu corporis, Sanctificatus tam quod ad animam quam quod ad corpus, & singulari modo Imagine Dei ornatus, & tamen non Filius Dei?* Imo qui hoc negat, *occæcatus est*, *ac sors*

ſors ejus amaris deploranda lacrymis, *ejuſque petulantia compeſcenda eſt*, *ne latius graſſetur*. Pari ratione ſuam ſententiam eſſe *Eccleſiæ vocem*, conficit, hujuſque Doctores Veteres ac Recentiores in Conſenſum ſecum cogit, dum confundit *Manifeſtationem* Naturalis Chriſti generationis *liberam* cum *libera* & nova ejus *Generatione* in Filium Metaphoricum; & *Oeconomiam* cum *Oeconomica Filiatione*. Notum eſt omnes Noſtros Theologos contra Socinianos & Remonſtrantes docere, quod Nativitas Chriſti ex Virgine, Munus Mediatoris, Reſuſcitatio ex morte, & Gloriæ cæleſtis Collatio, ſint, non Cauſæ, ſed *Argumenta* Filiationis Divinæ Chriſti, quibus *declaratus* & *manifeſtatus* eſt Filius Dei æternus ac naturalis, *Luc.* I. 35. *Rom.* I. 3, 4. Oſtendimus quoque Libri noſtri *Cap.* IX. Plurimos ex Noſtris ac Præſtantiſſimos Interpretes, hac in parte imitatos Juſtinum Martyrem, Alioſque Veteres, Loca *Pſalm.* II. 7. 2. *Sam.* VII. 14. laudata Paulo *Heb.* I. 5. ita explicare, ut dicant, agi in iis de Filii Dei naturali ac æterna Generatione, ſed ſimul prædici hujus *Manifeſtationem* in Tempore dictis modis futuram. In hac Manifeſtatione Filii Dei naturalis ponit Adverſarius novam Generationem Ejus in Filium Metaphoricum. *Declaratio Unigeniti quoad Naturam* eſt Ipſi generatio *Primogeniti quoad Oeconomiam*, in *Exercit. ad Heb.* I. p. 128. Sive; quia Manifeſtatio rei eſt ejus quaſi productio ex tenebris in lucem, quomodo *Roëllius* in Manifeſtatione τῆς θεανθρώπου collocat ejus generationem in Filium Dei: Sive; quia *Nativitas* ex Virgine, *Reſuſcitatio* & *Exaltatio* Chriſti, quibus *Manifeſtatus* eſt naturalis Filius, hanc Manifeſtationem efficiunt ut ſit temporalis ejus *generatio Divina*, quoniam v. g. *Deus generat* Chriſtum in Filium, quando *creat ex matris ſubſtantia eum ratione Humanitatis*, Vid. l. c. p. 129, 135. Hinc confidenter infert ſuam ſententiam eſſe *Eccleſiæ ſententiam*. Omnes enim Doctores noſtri docent Filium naturalem illis modis *manifeſtatum* eſſe in Tempore talem: Naturam cum *Oeconomia* jungunt in Explicatione Locorum illorum modo laudatorum.

torum. *Sufficit mihi*, inquit, *hæc non posse exponi de Christo*, *nisi Oeconomia libera in auxilium vocetur*, *Exercit. in Heb.* 1. *p.* 164. *Suos* ergo pronunciat esse in hac Caussa *Belgas* Interpretes, *Junios*, *Piscatores*, *Rivetos*, *Cappellos*, *Coccejos*, *Altingios*, *Turretinos* & innumeros alios, & profitetur se *gloriari non desinere*, quod sit *Patronus publicæ receptæ Doctrinæ*, in *Præf.* ad *Exercit.* de *Primogenito*. Quicquid etiam in contrarium dicant protestentur ac clament: cum PISCATORE; *Christus*, *qua Deus est*, solummodo *est Dei Filius*; *Nec verò* orthodoxum *est dicere Christum etiam quatenus Homo est*, *esse Filium Dei*, *secundum Naturam Divinam* solam *est Filius Dei*: & cum COCCEJO; *neque enim damus cuiquam rationem*, *cur Filius sit* (non addit, Proprius vel Unigenitus, sed simpliciter ait *Filius*, nempe *Dei*, de quo in Psalm. II. 7. agitur) aliam *esse*, *quam quod sit Character substantiæ ejus*; *licet concedamus multa esse argumenta quibus probetur is esse*; *Christo nomen Filii in Sacris Scripturis* tantum *tribuitur propterea quia ab æterno a patre naturaliter processit*; (ad quæ Verba Celeb. *Cocceji* Cl. VITRINGA scripsit, *in hac fide aliquando deponam corpus meum cum Sanctis*: Vid. *Libri* mei Cap IX. § CXXVI. — CXXIX.) & cum Aliis plurimis ibidem a me citatis: *Suos* tamen affirmat esse hos omnes Adversarius. *Etsi*, inquit *Exercitat.* ad *Heb.* I. p. 119. *non desunt qui* vocem *Oeconomicæ Generationis & Filiationis respuunt*, *tamen ipsam* Rem *fatentur*, *quod mihi perinde est*, *qui de* Voce *nolo contendere*, *si* Rem *largiantur*, *quod faciunt utique illi omnes qui generationem hanc ad aliquid Muneris Mediatorii referunt*, id est, uti conjicio, qui hujus Generationis Manifestationem factam dicunt in Muneris Mediatoris executione. Sed quomodo quæso, *D. Cremer*, sic *Rem* concedunt omnes hi Theologi nostri? *An* quia Manifestatio omnis rei vel personæ per se & semper est generatio ejus in Filium alicujus qui manifestat eum? Si hoc velis, sequitur ex eo, quod Deus Pater genitus sit in Filium Filii sui Unigeniti, quia *manifestatus* est ab ipso *Joh.* XVII. 6. Quemadmodum igitur in hac propositione, *Deus*

Pa-

Pater manifestatus est a Filio suo, subjectum, *Deus Pater*, prohibet quominus prædicatum, *manifestatus est*, heic possit significare idem ac *genitus est in Filium*; sic etiam in hac Propositione, *Filius naturalis Dei manifestatus est talis à Patre suo*, subjectum, *Filius naturalis*, impedit quo minus prædicatum, *manifestatus est talis*, idem esset ac *genitus est in Filium metaphoricum*, propter antea indicatas rationes. Talia enim sunt prædicata, qualia admittunt subjecta. *An* vero quia talis Manifestatio Filiationis naturalis Divinæ Christi, quæ facta est per creationem Humanitatis Sanctæ, & Dationem vitæ ex morte, & Collationem similitudinis in munere eminentissimo Mediatorio & gloriâ cælesti; necessariò infert Generationem Ejus liberam in Filium Dei Metaphoricum. Quia scilicet omnis creatura Sancta est Filius Dei, Resuscitatio ex morte est quasi nova generatio, & Muneris excellentia, & Hæredis omnium in gloria cælesti constitutio, faciunt eum Filium Dei œconomicum? Si hoc intendas, sic iterum recurris ad pravam hypothesin tuam aberrantem à Statu controversiæ. Scilicet quòd nudæ creaturæ per hæc omnia efficiantur Filii Dei metaphorici, concedimus, sed negamus hoc de Θεανθρώπῳ. Quia Christus Homo Sanctus, resuscitatus è Morte, Hæres omnium factus, summus Propheta Sacerdos & Rex Ecclesiæ, Unionis hypostaticæ gratiâ jam est Filius Dei proprius naturalis ac æternus. Si ergo inhæreas hypothesi tuæ, necesse est ut dicas: aut Filiationem Divinam ejus propriam perfici hac novâ metaphorica, quando negabis naturalem perfectissimam generationem à Patre per ejusdem numero Essentiæ Divinæ atque adeo omnis cogitabilis similitudinis cum Patre communicationem: aut Christum Hominem non esse Filium Dei Proprium ac Naturalem per Unionem Hypostaticam. *Rem* ergo minimè concedunt nostri Theologi, quando Filium Dei naturalem his modis & caussis dicunt esse declaratum talem ac manifestatum.

VIII. Sic Confundit quoque Adversarius *figurata* nomina

 na

na cum *propriis*, & *Oeconomiam* cum *Oeconomicâ Generatione*, quando ex eo: quòd Multi Interpretes Elogia illa, quibus Christus Dicitur *Imago Dei* & *Character hypostasis ejus Coloss.* 1. 15. *Heb.* 1. 3. ad *Naturam* ejus Divinam & ad *Oeconomiam* referunt; id est, ita vocari censent; & quia Naturam Divinam eandem habet à Patre sibi communicatam, uti Filius naturalis est Patris sui Viva imago; & quia Homo factus Patris gloriam Verbis & Factis suis manifestavit: quando, inquam, ex eo infert, Illos Interpretes & *Naturalem* & *Oeconomicam Generationem* ac *Filiationem Divinam* in Christo agnoscere. *Videmus*, inquit *Exercit. ad Heb.* 1. 3. *p.* 211, *an hæc* mea *sit sententia*, *an* Ecclesiæ *Reformatæ vox*, *hæc scil. Elogia pertinere æque ad* Oeconomiam *ac ad* Naturam, *& ita æque ad* Oeconomicam *ac ad* Naturalem Generationem? Post citatos quosdam Interpretes, & inprimis *Belgas* in Notis ad *Heb.* 1. 3. & *Coloss.* 1. 15. concludit, *p.* 217. *Si ergo Imaginem esse Dei primariò refertur ad generationem æternam & naturalem*, *secundariò ad Humanam Naturam*, *in quâ & per quam Deus Pater est manifestatus quasi in Imagine*, *Christus ergo* Filius Dei, *vel quod idem est* Imago Dei, *dicitur*, non tantum *propter* naturalem *Generationem*, *sed etiam propter* Oeconomiam, *& ita non tantum qua* Deus, *sed etiam qua* Mediator. *Videat ergo Adversarius Meus*, *quomodo meam oppugnando sententiam*, *& Viris de Ecclesia optime meritis*, *& tandem ipsis Belgis dicam scribat?* Sic confundit, inquam, Adversarius *Oeconomiam*, quam hîc agnoverunt Illi Interpretes, cum *Oeconomica* Christi *Generatione Divina* in *Filium* Dei *Metaphoricum*, de quâ apud omnes illos ab ipso laudatos Theologos Nostros altum est silentium. Si iterum dicat Adversarius, Eos *Rem* tamen concedere, quia quod de Christo *Imagine Dei* affirmant, etiam de Christo *Filio Dei* statuunt, nam *Filius Dei* & *Imagio* Dei *idem* sunt: Respondeo, id minimè verum esse, quia sic figuratum cum proprio nomine malè confunditur. Nomina Λόγος, *Sapientia*, *Imago*, (quamvis à præstantissimis Theologis unicè ad Naturam Christi Divinam ac Generationem Ejus Naturalem referantur,

tur, quos hac in parte secutus fui, in Differt. ad *Coloss.* 1. 15.) sunt nomina metaphorica, quæ latiori sensu Christo applicari possent quàm Nomen proprium & Secundæ Personæ Trinitatis Characteristicum *Filii Dei*. Utique inter Homines Filius proprius unico sensu *Filius Patris* sui dicitur, nempe ob generationem naturalem, sed vario sensu *ejus Imago* appellari potest: scilicet, in Natura non solùm, sed & in Vultu, Moribus, Munere, Divitiis. Neque etiam omnis Filius naturalis est in omnibus Imago Patris sui. Si instet Adversarius, & dicat, quod inter Homines Filius Naturalis possit fieri *Imago* Patris sui in bonis moribus, & sic quoque Filius ejus Metaphoricus, de quo jam monui in Libri mei §. LXVI. & ex Exemplo Isaaci Filii Abrahami illustravi; iterum nunc repono, id locum non habere posse, nisi ubi communio Naturæ per communionem Virtutis & laudatorum Morum perficitur; & consequenter in Christo *Filio Dei proprio*, qui talis fuit à primo conceptionis humanæ momento, locum habere non posse; nisi quis neget Ipsum Hominem Christum per Unionem hypostaticam verè esse Proprium Dei Filium ac Naturalem, vel Ipsum per naturalem generationem accepisse perfectissimam Filiationem Divinam, & simul cum Natura Divina omnem cum Deo Patre & in omnibus infinitam similitudinem. Unde aberrat à Controversiæ statu, & frustra clamat Adversarius, *l. c. p.* 211. *Qui autem sustinere vellet actum intrinsecum & naturalem, vi cujus Pater cum Filio suam communicat gloriam . . . dici posse generationem naturalem; actum vero liberum & relativum ad extra, vi cujus Filius Patris gloriam manifestare, & Patrem, ut ipsius Character exprimere potest, vocari non posse* Generationem liberam & Oeconomicam vel metaphoricam, *ille . . . logomachiarum Amicus mihi dicendus videtur.* Nempe posset Christus dici Filius Dei Metaphoricus, quia Patris gloriam manifestavit, ejusque Virtutes expressit in tempore in Humanitate assumta, nisi jam esset in ea Humanitate *Filius Proprius*. Posset Collatio adventitiæ similitudinis cum Deo in excellentissimo munere Prophetico Sacerdotali ac Regio

 appel-

appellari Generatio ejus in Metaphoricum Filium, nisi per Generationem Naturalem jam omnem illam gloriosam similitudinem eminenter haberet, uti dictum est.

IX. Et propter hanc eandem caussam etiam minimè sequitur ex eo (etsi verum esset) quòd *omnia Dei nomina Naturam simul* & *Oeconomiam* jungant, ut ait Adversarius in *Præf.* ad Exercit. in *Heb.* 1. quòd ideo id ipsum obtinere vel debeat vel possit in Nomine *Filii Dei*, quod est Characteristicum Secundæ Personæ. Nam Nomina *Patris* quoque & *Spiritus*, (de quibus jam egimus in Præfatione Libri nostri) Characteristica Primæ, & Tertiæ Personæ Trinitatis, hoc habent naturâ suâ, ut possint esse & *Naturæ* & *Oeconomiæ* Nomina: quoniam apta nata sunt ut referantur ad plura. Sed aliter se habet natura Nominis *Filii Dei*, quod est Characteristicum Secundæ Personæ. Hoc enim cum necessariò & unicè referatur ad solum Deum Patrem, non potest ejusdem Dei Patris Filius proprius, naturâ & perfectionibus infinitis similis & æqualis Patri, fieri ejus Filius Metaphoricus, ob accidentalem similitudinem in Humanitate assumtâ, quia jam ipse Homo vi Unionis personalis essentialem similitudinem possidet. Si posset Homo aliquis per naturalem generationem Filio suo conferre, præter naturam Humanam ac corpoream, omnem similitudinem in Virtutibus ac Moribus, omnem suam pietatem, prudentiam, fortitudinem animi; quis quæso illum Filium, ita perfectè à patre genitum, per communicationem Naturæ non solum, sed & Perfectionis ejus omnis, diceret, non solum *Naturalem* esse Filium, sed & propter accedentem postea aliquam aliam minoris momenti, in dicto factoque aliquo aut fato, similitudinem, *Filium Metaphoricum*, atque sic inferioris dignitatis Filiationem ei tribueret, & in ordinem Adoptivorum, cum manifesta imminutione naturalis ac perfectissimæ generationis ejus a Patre suo, referret?

X. Simili modo, id est, ridiculis plane ictibus pugnat ex Titulo *Primogeniti*, & maximè Primogeniti *inter multos Fratres*, ut Præstantissimos quosque Theologos, Veteres &

Recen-

Recentiores, ſecum in hac Controverſiâ ſentire faciat. *Tota Antiquitas*, inquit *Exercit. III. de Primog. p.76. tota Reformatorum natio Chriſtum dixit* Primogenitum Dei Filium, *idque non tantùm ratione Naturæ ſuæ Divinæ, ſed etiam ratione Oeconomiæ, (quocunque modo id ſe habeat,) & W*eſſelius *audet palam profiteri hoc erroneum, periculoſum eſſe, ſapere Neſtorianiſmum, Adoptianiſmum, Sociniſmum, & quid non?* Et p. 92. *Neminem enim offendi Interpp. qui hic non de* Oeconomia *cogitat, ubi Chriſtus dicitur* Primogenitus inter multos Fratres, *& qui ad* humanam naturam *hic non reſpicit*. Et p. 189. *Exercit. in Heb* 1. *Quia* Primogeniti *titulus* Oeconomiam *involvit, neceſſariò* Oeconomicam *infert* Generationem. Iterum in Exercit. de Primog. *p.* 260. *Vidit meus* Weſſelius, *ex titulo* Primogeniti *Univerſalem ſatis conſenſum Patrum contra ſuam ſententiam in medium productum eſſe, aut produci adhuc poſſe, ideo nodum quem ſolvere non potuit, ſecare voluit . . . cum Chriſtum negat ullibi in S. S. dici* Primogenitum Dei. Miror iterum in his omnibus Adverſarii magnam profectò inconſiderantiam. Dicit, *Weſſelius audet palam profiteri* hoc *erroneum* eſſe, *periculoſum, Neſtorianum* &c. Si Titulus Primogeniti ad *Oeconomiam* referatur; & Ego ipſe in Libro meo oſtendi ad *Oeconomiam* pertinere. Criminis inſtar mihi imputat, quod negem, Chriſtum ullibi in S.S. dici *Primogenitum Dei*, quod utique meritò, non nunc ſolum nego ad nodum ipſius ſecandum, ſed ante multos annos negavi, ſermone & ſcripto; antequam de Adverſario quicquam inaudiveram, & quando ignorabam adhuc ipſum eſſe in rerum natura: nam nihil magis verum eſſe poteſt quam hoc Ipſum, quod nullibi in Sacra Scriptura appelletur *Primogenitus Dei. Neminem* ſe *offendiſſe dicit qui hic non de Oeconomia cogitat*, ſed tacet ſe ullum offendiſſe, qui diceret eſſe Filium Dei Primogenitum ob Generationem Divinam Oeconomicam. Rurſus *p.* 92. *Exercit de Primogenito* ait, *Quam primum Chriſtus* qua Mediator *dicitur Primogenitus* Dei Filius *tota mea adverſus* Weſſelium *Diſputatio eſt in vado: ſic*

enim Oeconomica & libera generatio *simul ponitur. Quis enim hominum Christum diceret* Primogenitum, & *non* genitum? Sed quis, inquam Ego, Orthodoxorum ab ipso allegatorum Christum QUA MEDIATOREM dixit esse *Primogenitum* DEI *Filium*? Qua Mediatorem dici *Primogenitum* concedo & doceo, sed non Primogenitum DEI FILIUM. Scilicet hæc res est, quia nullibi in Sacris hoc *Primogeniti* titulo ad *Deum Patrem expresse* refertur, sed vel absolutè *Primogenitus*, vel relatè ad Creaturas aut Fideles, *Primogenitus omnis Creaturæ*, *inter multos Fratres*, *& ex mortuis*, dicitur, ideo Interpretes variè & latè explicuerunt hunc titulum. Alii eum ad *Deum Patrem* retulerunt, ut Generatio Ejus æterna ac naturalis denotetur, in qua est fundata primatus dignitatis ejus supra omnes, & potestatis in omnes Creaturas & Fideles. Alii ad *Mariam Matrem*, Humanitatemque Domini, ut significetur Primogenitus Ejus esse, & simul Humanitatis assumtæ & Personaliter ei unitæ summa præstantia indicetur. Alii denique ad *Creaturas* & *Fideles* hunc titulum respicere voluerunt, ut indicetur esse eorum Dominus & Mediator. Alii tandem hæc omnia conjunxerunt aliquando: atque sic ad *Naturam* Divinam & *Oeconomiam* pariter respectum habere dixerunt. Unde ex ignoratione Elenchi iterum malè colligit Adversarius; si *Primogeniti titulus Oeconomiam involvit*, *necessariò infert Oeconomicam Generationem*, in Exercit. *ad Heb.* 1. *p.* 189. Quia scilicet *per Oeconomiam* non potuit fieri Creatura Sancta & nasci ex Virgine, & constitui in Mediatorem, nisi simul fiat Filius Dei improprius; omnes enim Creaturæ Sanctæ, omnesque Prophetæ Sacerdotes ac Reges, propter Munerum istorum excellentiam, sunt Filii Dei Metaphorici. Quam consequentiam in Θεανθρώπῳ non posse procedere jam satis a nobis demonstratum est. Continuò tamen hoc repetit Adversarius, qui ita in *Exercit. de Primog. p.* 77. *Reformati autem solent Titulum Primogeniti æque ac Unigeniti referre ad Naturalem Generationem*, *vi cujus utique Christus relationem habet*

bet ad Patrem, & non ad nos, & Filius Dei eſt. Cum jam iidem eodem halitu Chriſtum dicunt Primogenitum *ratione* officii, *vel qua* Mediatorem, *an tunc non ſimul Oeconomiam cum Natura conjungunt?* Imo verò, dico Ego, *Oeconomiam*, ſed non *Oeconomicam Generationem* cum *naturali* conjungunt. Hæc plurimum differunt. Sed ait, *quis hominum Chriſtum diceret* Primogenitum, *& non* Genitum? Ego ipſum viciſſim rogo. Quis diceret Carolum VI. *Cæſarem*, & non *Cæſo* fateretur Matris ventre natum? (Vide Diſſert. noſtram de *Chriſto Primogenito* ad *Heb*.1.6.§.*XI.)* Quis diceret Jeſum *Unctum Dei*, & non oleo externo a Deo delibutum? Nempe Nomina quædam, ad aliud quid ſignificandum ob ſimilitudinem aliamque ob cauſſam tranſlata, amittunt quandoque primam ſignificationem ſuam. Sic Cæſar olim nomen Genituræ fuit, nunc eſt Imperii. Sic Primogeniti Titulus datur Chriſto per Metaphoram, quia Primogenito Humano eſt ſimilis, ſed non in omnibus neceſſariò, nam omne ſimile eſt diſſimile, certè non in *genitură ejuſdem ſpeciei* cum fratribus, nam tunc omnes Fideles deberent eſſe Filii Dei naturales; ſed ob *Præſtantiam* Perſonæ Muneris ac Dominii.

XI. Intolerandum profectò eſt, quod ſcripſit Adverſarius in *Exerc. de Primog. p.*74.*&* 75. de ſententiâ Viri plurimùm Venerandi Eruditiſſimi & de Eccleſiâ tota & noſtra Leidenſi optimè meriti, D. KNIBBE Patris: (quâ ſtatuit, Chriſtum dici PRIMOGENITUM; QUA DEUM propter æternam Generationem ex Patre; & QUA HOMINEM, quatenus factus eſt ex muliere; & denique QUA MEDIATOREM reſpectu glorioſæ præſtantiæ ejus ſupra omnes homines:) quod *hæc* ſit *ipſiſſima ſententia quam* CONRADUS VORSTIUS *propinat &* Epiſcopius *adoptavit* . . . . ſi mihi ſcilicet *fides ſit habenda*, quia ſcripſi de *Vorſtio: Apertè enim docuit, quod Chriſtus* . . . . FILIUS DEI *nominetur ob plures cauſſas*, nim. QUA DEUS, *&* QUA HOMO, *&* QUA MEDIATOR EST. Additque: *Mirabuntur procul dubio & obſtupeſcent*

ſcent omnes, qui hæc legent. Optimum Vatem proculdubio in his poſtremis Verbis ſe exhibuit Adverſarius. Abſque ſtupore hæc legi nequeunt. Verba mea ſonant de *Conrado Vorſtio*, quod Chriſtus Filius Dei nominetur triplici iſthoc reſpectu. Verba Venerandi Domini *Knibbe* ſonant de Primogenito, abſolutè & ſimpliciter ita dicto, quem Vir ille Eximius judicat ita appellari; *primò* relatè *ad Deum Patrem*, ob Generationem æternam naturalem propriam, annon etiam ob Metaphoricam, uti D. Cremer & D. Vorſtius volunt? Nihil tale occurrit in Viri Orthodoxi Verbis; *deinde* relatè ad *Matrem Mariam Virginem*: ſed annon ideo addit debere vocari *Filium Dei* improprium, quia omnis Creatura Sancta, immediate Creata imprimis, eſt Filius Dei? Nihil minus, ſed contrarium alibi contra Remonſtrantes docuit & ſæpius inculcavit; *denique* relatè ad *Homines*, quibus omnibus eſt *præſtantior* per Glorioſiſſimum Mediatoris Munus, uti Primogenitus erat inter Fratres: annon addit qua Mediatorem eſſe quoque Filium Dei, vel *Primogenitum* Dei *Filium?* Minime gentium; de *Primogenito* Dei Filio nihil habet Vir Reverendus. Similis torſionis exemplum occurrit apud Adverſarium p. 97. in Viro plurimum Reverendo Doctiſſimo atque hujus Eccleſiæ etiam Paſtore quondam Digniſſimo, D. M. van Peenen, ubi Adverſarii Verba abſque indignatione legi non poſſunt.

XII. Atqui, ait tandem Adverſarius; *Primogenitus* dicitur inter *multos Fratres*. Si nos, *Filii Dei* Metaphorici, ſumus Ejus *Fratres*, & ille erit *Filius Dei Metaphoricus*. *Qualis enim eſt Fraternitas, talis eſt Filiatio: & Fraternitas in Communi Genitura & Filiatione fundata eſt*, uti loquitur in Exercit. ad *Heb.* II. 11. *p.* 115. Porro quia qua *Unigenitus* non *poteſt habere Fratres*, *Exercit. in Heb.* 1. *p.* 96. ergo tales habet qua *Primogenitus:* & conſequenter hoc titulo *Primogeniti* ad *Deum Patrem* æque refertur, ac Nos Titulo *Fratrum;* & quidem ut *Filius Dei Metaphoricus* inter alios omnes Filios Dei Metaphoricos *Præſtantiſſimus*. Hoc ubique inculcat: & in hoc Argumento omne fere Cauſſæ ſuæ præſidium

fidium collocat. Quo ſubruto fundamento, neceſſe eſt ut corruat totum ædificium ei temere admodum ſuperſtructum. Fundamentum verò hoc eſt, *qua Unigenitus non poteſt habere Fratres.* Hoc verum eſt, ſi *Fratres* tantum dicerentur ii, qui Ejuſdem naturalis Generationis ex eodem Patre ſunt participes. Sed Uſus & loquendi Conſuetudo humana, ad quam ſe accommodat Spiritus Sanctus in Sacris, longè latiori ſenſu ac ſignificatione *Fratrum* nomen uſurpare ſolet. Ita enim dicuntur aliquando, nudo Conſortio *Job.* xxx. 29. coll. *Job.* xvii. 14. Moribus, *Prov.* xviii. 9. Munere, Animo atque Affectu conjuncti: magis autem proprie conjuncti Origine ex eodem Patre, vel remoto magis, vel proximo. Hoc poſteriori ſenſu Chriſtus, *qua Homo*, habet *Fratres*; tum omnes Homines, reſpectu Originis ex Adamo & Noacho; coll. *Heb.* ii. 11. tum omnes Judæos, reſpectu Originis ex Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Juda; tum omnes poſteros Davidis, ratione Matris Mariæ, & Joſephi Mariti Ejus. *Inter hos Fratres* poteſt dici *Primogenitus*, quia omnibus illis eſt *præſtantior*, & propter *genituram*, non ratione temporis, niſi ad genituram Divinam ejus reſpicias, ſed Modi, ex Virgine, & propter Dignitatem Perſonæ, & Dominium in illos Fratres, per Regnum poteſtatis in omnes, & gratiæ in Electos. Sed ad hoc non adeo reſpicitur in Loco Pauli ad *Rom.* viii. 29. quia ibi Fideles videntur *Fratres* Ejus dici, non *qua Homo eſt*, ſed qua *Filius Dei* eſt, *Proprius* nempe & *Unigenitus*, cujus *Imago* eſt quilibet fidelis, ut *Filius Dei Adoptivus*, ſicuti Filius *Adoptivus* eſt *Imago proprii.* An ergo Filius Proprius & Unigenitus poteſt habere *Fratres?* Imo vero. Hoc negat, ſed imperitè admodum Adverſarius. Poteſt habere *Fratres*, quatenus *Fratres* dicuntur ex uſu & conſuetudine loquendi Humana, ad quam ſe accommodat Deus in Scriptura loquens. Poteſt habere *Fratres* reſpectu *Originis* etiam ex *eodem Patre*; coll. *Joh.* xx. 17. ſed non ob Generationem ejuſdem *generis* aut *ſpeciei*, quomodocunque appellare velis. Unigenitus eſt Filius ob Generationem naturalem ex Patre eo-

dem; Reliqui ob Generationem Metaphoricam ex Patre eodem. Omnes tamen ob *Generationem ex Patre*, sive ob *Communem Geniturâm*, si *Nomen* respiciamus, uti scitè Clar. *Coccejus* dixit, ab Adversario malè ideo pro se toties laudatus ob hanc phrasin. Ponamus Patrem Humanum, qui habet *Filium Unigenitum*; an non ille ex secundis Nuptiis potest alios Filios, privignos accipere, vel libera voluntate adoptare, eosque cum Filio Unigenito, ejusque consensu, facere hæredes suos, & Filii naturalis cohæredes? Et annon hi Filii adoptivi ex communi usu & consuetudine loquendi humanâ dicerentur *Fratres Unigeniti? Erat*, inquit *Grotius* ad *Joh.* VIII. 36. *in Græciæ quibusdam Civitatibus fortè & alibi, usitata* ἀδελφοθεσία Adoptio in Fratres, *quò hic videtur alludi, si Filius vos ex servis faciat liberos, simulque sibi cohæredes.* Quem locum adduximus in Libro Nostro *Cap. XIII.* §. *CLXIV.* Opponit se huic manifestæ Veritati Adversarius, sed adeo infeliciter & incogitanter, ut id quod negat, in eodem sermone aperte concedat. Ita ille *Exercit. ad Rom.* VIII. *p.* 92. *Scio Alios esse qui dicunt Christum esse Primogenitum Dei Filium natura, reliquos esse Filios adoptione. Verum id est: sed non omne verum, & qua tales non sunt Fratres. Fraternitas enim absque* naturæ communione, *sive sensu proprio*, SIVE IMPROPRIO *non datur in rerum natura. Sed cùm Christus dicitur Primogenitus Dei Filius Natura, præcogniti per adoptionem ipsius Filii non datur communio naturæ sive propria sive* IMPROPRIA *& mystica, ergo sic non sunt Fratres.* Quomodo Fraternitas ex usu loquendi absque *naturæ communione esse* possit ex supra dictis constat. Sed hoc nunc mittimus; & sumimus quod dat Adversarius, *Fraternitatem ibi esse, ubi est Naturæ communio* SENSU saltem IMPROPRIO. Atqui talis *Naturæ communio, sensu improprio*, uti loquitur Ille, est inter *Filium Dei Unigenitum*, & Fideles *Filios Dei adoptivos*; ergo hi, juxta ipsum Adversarium, meritò dicuntur *Fratres, qua tales.* Nempe Unigenitus Filius Dei habet θεότητα eandem numero *Naturam Dei* Patris. Fideles verò habent *Naturam Divinam*, θειότητα. Ideo dicuntur à Pe-

Petro θείας κοινωνοὶ φύσεως 2. *Pet.* I. 4. Natura *Dei* est soli Deo propria: sed Natura *Divina* tribuitur ei qui Divinis qualitatibus est præditus. Est ergo, *sensu improprio*, inter Unigenitum Dei Filium & Fideles Filios Dei adoptivos, *Naturæ communio*; ergo est *Fraternitas* inter eos *qua Filios Dei*; ita tamen ut Unigenitus non redigatur in ordinem Adoptivorum, nec ideo Adoptivi fiant Filii naturales Dei ejusdem numero Deitatis infinitæ participes. Quod iterum inconsultò & temerè profectò non Uno in Loco ex hac sententiâ Orthodoxorum (quòd Christus Filius Dei Unigenitus habeat Fratres, *qua Filius Dei*) sequi affirmat Adversarius. Qua de re in sequentibus aliquid dicemus. Certè est hæc Sententia Theologorum nostrorum Eximiorum. Audiamus nunc vel unum *Coccejum*, quem toties adhuc Adversarius ut suum laudavit, sed impudenter admodum. Ita ille in Anecdotis, ad *Heb.* I. 6. (ad quæ Anecdota sæpe provocavit Adv.) πρωτότοκος primogenitus *comparative dicitur* 1. *ad* κτίσιν creaturam: *Coloss.* I. 15. *non quod* τὸ κτίζεσθαι creari *habeat cum illa*, *vel hæc cum illo commune habeat* τὸ γεννᾶσθαι gigni, 2. ad ἀδελφοὺς fratres: *Rom.* VIII. 29. *Non quod & illi commune habeant cum illo* τὸ τίκτεσθαι gigni. *Sed illud habet respectum sive relationem Dominii & Proprietatis: hoc habet relationem ordinis in communione Filiationis*, QUÆ ILLI *est* φύσει NATURA, FRATRIBUS PER υἱοθεσίαν ADOPTIONEM. NON EST CONVENIENTIA IN GENERE FILIATIONIS, ET DIFFERENTIA IN GRADU, ut *Vult Schligt. p.* 53. *sed est* CONVENIENTIA *in* NOMINE & FRUCTU, *hoc est*, *amore Dei & unione ac communione Ejus*; *sed* EST DIFFERENTIA IN IPSO GENERE FILIATIONIS UT CLARE EX SCRIPTURA LIQUET. Unde colligitur, quo sensu alibi ad *Rom.* VIII. 29. §. 138. dixerit Vir Celebris, Fratres nos dici ratione COMMUNIS GENITURÆ, (addi posset ratione *Communis Divini Pátris*, coll. *Joh.* XX. 17.) id est quoad NOMEN commune, non GENUS FILIATIONIS, quare & mox ibi addidit: *licet illa sit Filii διαφορωτέρα ut Unigeniti.* Nempe Christus est *genitus* Dei Filius, *Psalm.* II 7. & nos dicimur *geniti*

Joh. I. 12. *Communis* itaque hîc est *genitura* quoad Nomen, non speciem, vel genus generationis, quæ in Christo est Naturalis, in Nobis Libera & impropria. Quare Ille est *Primogenitus inter Fratres*, quia omni modo est *Præstantissimus.* Est enim Unigenitus & Naturalis Patris Filius, Nos Adoptivi, ejus Imagines facti. Est præterea libera Dei dispensatione. Rex Fratrum, quorum est & Sacerdos, pro iis constitutus, ut gratiam adoptionis pro illis acquireret, illis applicaret & in illis conservaret. Quo pacto tamen non est genitus in Filium Dei adoptivum quoque ac Metaphoricum, *impedit enim prædicatum Unigeniti*, uti optimè Clar. *Coccejus* in Anecd. ad *Coloss.* I. §. 136. ubi etiam addit; *Nihilominus dicitur* primogenitus multorum fratrum *Rom.* VIII. 29. QUO NON NOTATUR COMMUNIO EJUSDEM FILIATIONIS; *quippe ille est ἴδιος* proprius, hi θετοὶ adoptivi. Quæ verba Viri Celeberrimi & alia conjuncta non minus efficacia, quâ fronte ausus fuerit citare Adversarius in *Exercit.* II. de Primog. *p.* 34, 35. ut probet *Coccejum* docere, quod Christus etiam *propter Oeconomiam*, id est œconomicam generationem vocetur *Filius Dei*, equidem nescio. Sed ejusmodi citationibus, quibus Doctoribus Ecclesiæ nostris affingit sensus, a verbis illorum, atque a mente alibi declarata, alienissimos, scatent omnes Libri Ejus paginæ. Apparet jam satis ex Dictis quoque, quo fundamento nitatur Adversarii vanissima gloriatio de consensu *omnium Confessionum* secum in hac, de *Triplici Filiatione Christi Divina*, sententiâ. *Sciat*, inquit Exercit. de Primog. *p.* 276, *meus* Wesselius (ita continuè loquitur D. Cremer, modestus homo, quasi me ad pedes suos prostratum haberet) *omnes illas Confessiones, quæ Christum & Electos fratres esse dicunt, eamque fraternitatem exponunt, sive relate ad humanam naturam, sive sensu spirituali, pro me militare, & sententiam suam destruere. Quia nulla potest fingi fraternitas, nisi adsit Filiatio, & cum Christus qua Unigenitus Fratres non habet, ut alia adsit Filiatio Christi & Electorum, tam necesse est quam quicquam.*

XIII. Sic verò non solùm *Dissimulat Statum Controversiæ*

siæ, atque ab eo aberrat magnopere; sed etiam pertinaciter PERSISTIT IN ERRORE SUO, imo eum magnopere AUGET, dum facit Dogma hoc suum, de *Triplici Christi Filiatione Divina*, creditu ad salutem prorsus necessarium. Statuit enim, *non modò Me in magno erroris præcipitio versari*; & suâ sententiâ *ingens momentum accedere ad puriorem Religionem*, meam vero *magnum ei minari periculum*; atque pro Christi Filiatione Divina naturali *nullum posse efficacius argumentum excogitari*, *quam illud quod ab Oeconomica Generatione desumitur*; atque adeo Nos longè efficacius argumentari pro vera Deitate Christi & Generatione ejus Naturali, ex prædestinatione Ejus in Mediatorem, & Miraculosâ Humanitatis productione ex Mariâ Virgine, quod utrumque Socinus non negat, quàm ex Titulis *Unigeniti* & *Proprii Filii Dei*, aliisque *Locis*, pro Filiatione Christi naturali Divina, a nostris Theologis adductis. Ait porro, *firmo* tum demum *stare talo*, ex suâ sententiâ de Generatione Christi Oeconomicâ in decreto factâ, *maximi ponderis veritatem*, nempe *esse eum Unicum omnium Mediatorem inde a jacto Mundi fundamento*, & *talem jam à Deo ordinatum esse in decreto salutis*, *quod nullibi αὐτολεξεὶ legitur in Scriptura*, Ubi, vel ludit in re seriâ, vel non cogitavit de Locis, æternam Christi destinationem in Mediatorem, ejusque Muneris efficaciam se exerentem inde ab initio Mundi, clarè satis probantibus *Jes.* XLII. I. *Ephes.* I. 4. I. *Pet.* I. 19. *Apoc.* XIII. 8. XVII. 8. *Act.* IV. 12. *Heb.* XIII. 8. &c. neque etiam considerat, minimè sequi ex eo, quòd *Primogenitus omnis creaturæ* fuerit, id est, *genitus* seu *ordinatus in decreto* in Mediatorem, ipsum actu etiam Munere Mediatorio functum fuisse ab initio Mundi. Præterea statuit; *nihil horum* (muneris Mediatorii & Redemtionis nostræ) *rectè intelligi posse*, *si Christus tantum sit Unigenitus & non Primogenitus* sive Metaphoricus *Dei Filius*; meamque, ut vocat, sententiam *proximam viam esse ad Apollinarismum*, *qua Veritas & Integritas Humanæ Naturæ* Christi tollitur, quia sic nego, *Deum Patrem Spirituum* esse quoque *Patrem Spiritus Humani* qui in Christo est, &

Dei Virtute peperisse Virginem, imo *evadere* meam *opinionem* in *apertam hæresin vel summam impietatem*, ac si *ex Deo emanarent omnes*, & *omnia*, si illi *qua* Unigenito Dei Filio, id est, *qua Deo*, *fratres tribuam*. Quomodo non cogitat Adversarius, quòd hoc æque sequatur & magis quando Scriptura Deo Patri attribuit *Filios* plures *metaphoricos*, quam quando *Dei Filio proprio* adscribit *Fratres metaphoricos*, & cum Scriptura Omnes Orthodoxi Theologi, quibus Ille sic imprudenter impingit extremæ hujus impietatis crimen, quæ omnia ex Deo esse ut Caussa materiali contendit. Ex his omnibus conclusio Adversarii per se patet, nempe necessarium adeo dogma suum ab omnibus, si salutem suam ament, debere recipi, atque in omnibus Academiis & Ecclesiis doceri & diligenter inculcari. In quo quantopere differat Adversarius a paucioribus quibusdam ex Nostris; qui, ante tempora *Vorstii* securè magis locuti, quandoque dixerunt, ad unum Locum *Luc.* 1. 35. respicientes, Christum esse etiam Filium Dei secundum Humanam Naturam, (quod tamen & Aliqui eorum cum *Calvino* postea revocasse satis videntur) nemo non videt. Ita enim hoc dogmaticè, ut Caput fidei necessarium, urgere, proxima sanè via est ad periculosum in Ecclesia Schisma excitandum. Videant itaque, quorum interest, & judicent.

XIV. Tandem me CALUMNIATOREM esse clamat, & PUTIDISSIMARUM CALUMNIARUM reum agit. Quænam autem sunt illæ meæ *Calumniæ? Prima* est, quòd scripserim alicubi illum *incredibili vel imprudentia vel impudentia* & *fallendi libidine*, Adoptianos secutum esse. Ita scribit in *præf. Exercit. de Primogenito.* Nunquam dixi eum *secutum* esse Nestorium & Adoptianos ex *incredibili imprudentia vel impudentia.* Sed quòd suam sententiam de triplici Filiatione Christi Divina, *a Catholicæ & Reformatæ Ecclesiæ consensu commendet*, *hoc* dixi, fieri haud posse a Doctore Ecclesiæ Reformatæ nisi *incredibili imprudentia vel impudentia vel mira oscitantia.* Contrarium enim manifestè verum est, & ver-

verbis *H. Altingii* atque *J. Triglandii*, aliorumque comprobavi, & hoc pueris etiam nostris ex elementari institutione Cathechetica satis notum est. An non ergo vel oscitantiæ vel imprudentiæ ejusmodi quæ cum aliqua impudentia conjuncta est meritò accusatur ille, quem infamiæ suæ non pudet, quam sibimetipsi contrahere debet, per ejusmodi asserta, quorum falsitas ab unoquoque potest detegi. Vellem ab Adversario scire, quo nomine appellare debeam, quod in hisce Exercitationibus suis plus semel repetiit, *Exercit*. III ad *Coloss*. I. 15. p. 76. & in *Præfat*. eis *præfixa*, quòd hæc sententia de *Christo Filio Dei tàntùm secundum Naturam Divinam* sit MIHI PROPRIA, cum ipse fateatur & quidem contumeliosè satis in Doctores nostros Reformatos, in Exercit. de *Primog. p.* 279. MULTOS *fuisse actu disputationis abreptos*, in hanc sententiam scilicet, *ut fieri moris est*. Et Exercit. VI. ad *Luc*. I. 35. p. 184. numerum Theologorum nostrorum pro se facientium reducit ad hos quatuor, *Gomarum*, *Calvinum*, *Hommium* & *Z. Ursinum*, quos *publicæ auctoritatis* vòcat, dum reliquos contra se facientes dicit esse *particulares Doctores*, *qui fidem Ecclesiæ non determinent*. An hæc impudentia vel oscitantia vel pertinacia sit dicenda, Aliis judicandum relinquo. Scio Ego & experior actu dari homines, qui susceptam aliquam opinionem, & arrogantius & pertinacius, ne errasse aut aliquid nescivisse videantur, asserere volunt. Illud vero, de *incredibili fallendi libidine*, quod addit, alia occasione & alia de caussa à me dictum est *in Lib.* mei §. XIX. *p.* 45. nimirum de eo quod scripserat Adversarius, id ipsum, nempe Nomen *Filii Dei* in Christo *indicare duas naturas*, Ecclesiam *contra Nestorium credidisse & professam fuisse*. Et hujus Dicti me non pœnitet hactenus: quia certus sum a Doctore publico hoc non posse affirmari ex ignorantiâ Historiæ Ecclesiasticæ hac in parte notissimæ; ergo ex fallendi & incautos lectores decipiendi libidine hoc fieri debuit. Ideoque etiam in vasto & confuso Exercitationum ejus Chao, quod haud indili-

genter,

genter, sed simul magno cum tædio perlustravi, ne verbum quidem mihi occurrit quo probare tentavit, *Ephesinos Patres* CONTRA NESTORIUM PROFESSOS FUISSE, Nomen FILII DEI in Christo INDICARE DUAS NATURAS. Si hîc errorem fassus fuisset, majorem à cordatis hominibus laudem retulisset. Errare enim humanum est, & errores clarè ostensos fateri Christiani & generosi pectoris est.

XV. Altera est *Calumnia* quòd scripserim, ipsum *Nestorii vestigia quadantenus pressisse*, *Adoptianos secutum fuisse*, *Duces Episcopium & Arminianos habuisse*, *adoptasse denique sententiam Socinizantem*; (Vide Præfat. prænominatam.) Cum Nestorii, ut ait, *errorem semper detestatus sit*; *Exercit.* de *Primog.* p. 207; & cum Christum Filium Dei esse *Adoptivum* neget, quia nunquam Patri fuit *alienus*; ibidem, & Exercit. ad *Heb.* 1. *p.* 219. & *juxta Oeconomiam* ac *Humanam naturam* dicat Christum *Filium Dei*, *jure non adoptionis*, sed *creationis*, (partim *internæ*, in *decreto Divino* quo constitutus est in Mediatorem ab æterno, partim *externæ*, qua producta est Humana natura; *Exercit. ad Heb.* 1. p. 96. & *Exercit.* III. *ad Coloss.* 1. 15. p. 63. 125.) adeoque verius Filium *Proprium* quàm *Adoptivum*; imo denique cum *nihil Arminiani secum commune habeant*, p. 207; & tandem cum *Sociniani* ejus *jurati hostes* sint p. 207.

XVI. Hîc varia coacervantur. De singulis breviter. Optandum esset universos priscorum hæreticorum errores ita esse extinctos, ut nullæ vel nominum vel dogmatum restarent reliquiæ; si non iidem novâ subinde specie variegati ex orco revocarentur. Quod cum continue fieri experiamur, beneficii Divini loco habendum est, quòd nomina illorum Hæreticorum opinionesque ad nos usque pervenerint. Voluit enim Divina bonitas perfidorum illorum hominum exemplis nos ab erroribus eorum ad confessionem fidei simplicissimam vocare, adeoque docere aliena pravitate atque stultitiâ bene frui. Hæc Caussa est, ob quam *Nestorii* & *Adoptianorum* fuisse sententiam illam dixi, quam

ex

ex *Vorstii* & *Episcopii* Systemate Reformatis Ecclesiis propinare ausus fuit ut veram ac Orthodoxam.

XVII. At, inquit, non sum *Nestorianus*, Nestorii sententiam qua statuit *duas* in Christo *Personas* detestor. Neque hoc Ego dico de ipso vel spero hactenus. Neque Nestorius ipse, homo callidus, hoc ita totidem verbis dixit, sed ex *sententiis apertis*, uti loquutus est *Marius Mercator*, hoc ipsum verè sentire, probarunt Patres, qualis fuit etiam, quod *Nomen Filii Dei* in Christo *indicet duas* ejus *Naturas*. Nihil aliud dico, quam quod sententiam teneat cum Nestorio communem, quæ inseparabilem cum formali Nestorianismo nexum habet, etiam ex judicio Ephesinorum ac Francofurtanorum Patrum, quia juxta Humanæ Consuetudinis rationem nullus Filius proprius unius ejusdemque Patris Filius simul Metaphoricus, quacunque de caussâ etiam, fieri potest. Ait, dicit Adversarius, *non licet ab Humanis ad Divina argumentari*, *Exercit. VIII. de Primogenito p.* 212, 213. *&c.* nam *in Dei Filiis obtinet quod in Hominum Filiis locum non habet*. Respondeo: Non semper. Non licet hoc ubi in Humanis apparet aliquid Imperfectionis ac dependentiæ, quod per viam negationis à Deo perfectissimo longissimè removeri debet. Sic malè argumentantur. Homo non punit nisi ad correctionem, ergo omnis quoque pœna Divina est correctoria, nulla satisfactoria, nullaque proinde æterna, vel æternæ æquivalens necessaria, Sponsori Divino infligenda pro pœnis nostris, per quam ad vindictam sui procedit ira ac Justitia Divina ultrix. Inter reservata Dei est enim ultio: mea est vindicta *Rom.* XIII. Similiter pessimè ratiocinantur ex Generatione Humana, quâ specifica multiplicatur natura, & Filius extra Patrem, ex particula substantiæ ejus producitur, eoque tempore posterior est, ad Divinam Filii Dei æterni Generationem destruendam, quæ comparata cum Humanâ, imperfectionibus his obnoxiâ, est hyperphysica, physica tamen etiam & vera, si Essentiæ ejusdem numero Communicationem veram spectemus. Aliquando tamen omnino li-

cet ab Humanis ad Divina argumentari. Ita nostri faciunt, quando contra Socinianos docent eandem Personam posse esse & Partem læsam & Mediatorem, quod confirmant ex exemplo Menenii Agrippæ Consulis Romani, qui plebem cum Senatu Romano reconciliavit. Vide *Cluverum* in Epit. Hist. p. 71. Certè licet hoc ubi in Humanis est aliquid virtutis perfectionis aut innatæ veritatis, in quo Imaginem Dei perfectissimi Spiritûs gerimus, quando per viam eminentiæ illud perfectissimo modo Deo tribuendum erit. Scilicet Virtus est in parente humano liberos amare & curare, ergo multò magis virtus est in Patre Cœlesti. Ita argumentatus est ipse Dominus *Luc.* XI. 11, 12, 13. Innatum rationis lumen dictat, contradictoria simul non posse esse vera, idem de summa Ratione tenendum est, cujus expressio ac Imago hac in parte est in mentis nostræ innato lumine. Imo licet ab Humanis ad Divina argumentari in indecentibus ac absurdis, quæ per Viam Negationis a Deo longissimè arcenda sunt. Laudatur Jobus, quia nihil inconveniens Deo tribuebat *Job.* I. 22. & docet ille Deum nihil facere ἄτακτον *Job.* XXIV. 12. Fallere, mentiri &c. non decent Hominem, multò minus Deum, qui mentiri nescius prædicatur *Tit.* I, 2. Similiter Hominis suâ ratione utentis sapientiæ & prudentiæ repugnat, ut ridiculum profectò, Filium Proprium ac Naturalem facere ac appellare amoris obedientiæ ac hæreditatis intuitu Filium Adoptivum Metaphoricum Improprium. Multò magis sapientiæ summi Dei adversatur, Hominem Christum, qui jam a primo existentiæ suæ momento, vi Unionis hypostaticæ, cum ΛΟΓΩ erat Filius Dei Proprius & Unigenitus, appellare, ac velle haberi in omni pagina Testamenti sui, Filium simul suum Adoptivum, seu quod revera idem est, Metaphoricum. An sapientiæ Divinæ convenit, velle, ut summi honoris titulus, ut est Filii Dei in Christo, Titulus Deitatis ejus, quo dignoscitur ut Secunda Trinitatis Persona, detur ipsi quoque sensu minori, aliis multis Creaturis communi? Sic enim Ipse in caussa esset,

ſet, quod reverenter dictum velim, cur hoc nomen διαφορώτερον evileſceret apud mortales, imo ut vel Generatio ejus Naturalis, vel Perſonæ Unitas negaretur, aut ſaltem in dubium traheretur. Si inſtet Adverſarius & dicat, quod *in Dei Filiis locum habeat* id *quod in Hominum Filiis* non reperitur. Adamus v. g. fuit, inquit, primò Filius Dei ante lapſum *Jure Creationis*, & quidem *Proprius*, quia non alienus, deinde poſt lapſum Jure *Adoptionis* & *Regenerationis.* Rurſus ait, Electi ſunt Unius ejuſdemque Dei Patris Filii Jure creationis, regenerationis, adoptionis, & matrimonii in Chriſto. *Quot non perſonas debuiſſet Adamus conſtituere ſi unaquæque Filiatio requireret Perſonam integram?* Sed ſic imperitè ex variis modis & cauſſis unius Metaphoricæ Filiationis facit totidem Filiationes. Deinde miſerè aberrat a ſtatu quæſtionis, quæ eſt, an *Naturalis & Metaphorica* Filiatio ex uno eodemque Patre in unam eandemque Perſonam cadere queat, & exempla adducta tantùm docent Metaphoricam Filiationem ex vario titulo poſſe locum habere in eadem perſonâ. Et miror iterum hîc Adverſarium adducere pro ſe Clar. *Heideggerum* ſibi è diametro adverſantem, quando ait Vir Celebris: *Qui duo Filiationis modi in Filiatione naturali, in qua nec genitus adoptatur, nec adoptivus gignitur*, ἀσύςατοι, *in ſpirituali concurrunt* &c. Si adhuc pergat inſtare Adverſarius, ut probet aliter ſe rem habere in Humanis ac in Divinis, Exercit. *VIII. de Primog. p.* 214. & dicere: *Per rerum naturam non poteſt quis in Humanis eſſe ſimul Filius & ſervus:* quod tamen in Chriſto locum habet *abſque duplicatione Perſonæ.* Reſpondebo; Quamvis in Humanis Filius naturalis Heri alicujus nativitate ſervus eſſe nequeat, liberâ tamen voluntate Domini Patris ſui ſervus fieri poteſt, ſervus nimirum *Officii*, durius etiam tractandus, coll. *Gal.* IV. 1, 2, 3. abſque ulla duplicatione Perſonæ. Quemadmodum & Chriſtus ſic Filius & ſervus eſt, Creator & Creatura, Filius Dei & Filius Hominis eſt, abſque Perſonæ diviſione. Sed Filium Naturalem fieri θέσει Filium ejuſdem Patris, ἀσύςατον eſt, & manebit in æternum, & apud Homines & apud Deum.

XVIII. Manet itaque Vera Sententia, quòd cum Nestorianismo formali nexum habeat Dogma Adversarii. Si illum non videat, id ejus culpa erit. Interim an procul ab Nestorianismo formali absint illa ejus Verba à me citata Lib. *Cap. I.* § *VII. p.* 15. MERITÒ NEGATUR, FILIUM DEI ESSE EX DAVIDE, ut & alia quibus sæpe inculcat, *Naturam Humanam esse Filium Mariæ*, &, *Naturam Humanam* & *Hominem idem* esse in Christo *Exerc. VI. ad Luc.* 1. 35 *p.* 154. & *Exercit. VIII.* de Primog. *p.* 208. 214. Utique si Natura Humana sit Filius Mariæ & Filius Dei, erit Persona, proprio & incommunicabili modo subsistens. Humana natura est *Homo*, dicebant Nestoriani, juxta 1. *Tim.* II. 5. ergo est *Persona.* Responderunt Orthodoxi: Humana Natura non dicitur *Homo*, sed Persona Filii Dei æterni in assumta Humanitate ita appellatur. Ex Unione enim Personali communicantur etiam nomina Personalia toti Personæ, non Naturæ. *Hominis* Nomen est Personæ Nomen. Est igitur vel *Personæ* τοῦ λόγου nomen, quod gerit ratione assumtæ Humanitatis, vel est *Personæ Humanæ*, quod voluerunt Nestoriani. Certè hoc non docuit Adversarium *Zacharias Ursinus*, quem iterum pro se citat *Exercit. VIII. de Primog. p.* 204. dum contra ipsum pronunciat. *Humana autem natura nec fuit ante assumtionem, nec assumta per se constituit Personam:* IDEOQUE IPSA SEORSIM NON EST FILIUS, SED IN FILIO EST, *seu altera Filii natura est.* Λόγος *autem & seorsim & unitus carni idem Filius est, secundum se Filius Dei naturalis, secundum* NATURAM VERO ASSUMTAM, NATURALIS FILIUS HOMINIS, *& Filius Dei*, PERSONALIS UNIONIS GRATIA. Scripsit Celeb. *Witzius* Exerc. XIV. in Symb. §. 16. quod *Generatio proprie non sit naturæ sed Personæ.* Hæc Verba laudatissimi Theologi ex Belgica translatione adducit Adversarius *Exerc. VI.* ad *Luc.* 1. *p.* 155. & adnotat, *cum grano salis accipi debere. Est enim*, inquit, *id ipsum quod hæretici nobis objiciunt, ut probent etiam personalitatem competere naturæ Christi Humanæ, quæ ex substantia Virginis vere & proprie fuit genita. Tum ergo contra illos tenemus etiam naturam &*

non Personam generari, & Humanam Christi naturam propter generationem ex Maria, proprie esse ipsius Filium, eandem propter opus Creationis & Conservationis esse Dei Filium sensu Metaphorico, non minus tenemus. Nescivit ergo Eruditissimus *Witzius*, nos *contra hæreticos tenere Humanam* Christi *naturam* propter Generationem ex Maria *proprie* esse *ipsius Filium*, aliàs non scripsisset, Generationem esse *propriè* Personæ, non Naturæ! Certè contra *Hæreticum Nestorium* tenuêre Orthodoxi, PERSONAM τȣ̃ λόγȣ *bis esse genitam*, ex Patre ab æterno quoad Deitatem, ex Matre in tempore, quoad Humanitatem; Sic contra Hæreticos supponentes Generationem Divinam & Humanam in Christo esse *Personæ*, non Naturæ, *propriè*.

XIX. Quod ad *Adoptianismum*, dicit *Exercit. IX. de Primog. p.* 239.—— 241. *sibi cum Adoptianis nihil esse commercii, non tantum re sed etiam terminis se ab ipsis discedere*, quia negat Christum qua Hominem esse Filium Dei *Adoptivum*: *audacter* ergo me dicit *Calumniari*, & *putidissimam esse calumniam*, se *illos duces secutum esse*; addit tamen, si *secutus* illos fuerit *duces*, *palam esse*, id ipsum non *nisi forte fortuna & casu* fecisse; id est, uti se explicare ibidem videtur, ut qui nec terminos nec mentem illorum nosset. Haud invideo Adversario hanc ignorantiæ gloriam, sed miror magis fortuitum plane consensum. Haud difficulter crediderim tamen de *Adoptianis*, minus vulgo cognitis, ipsum parum cogitasse, nec illorum vestigia ipsum pressisse immediatè, sed mediante ac manuducente *Episcopio*; & in quantum vestigia eorum quædam apud *Episcopium* deprehendebat, adeoque ipsi cum *Adoptianis ipsis nihil* fuisse *commercii*. Interim tamen certum est, quicquid clamet Adv. Ipsum *Rem* tenere cum Adoptianis, si duplicem Filiationem Divinam Naturalem & Metaphoricam Christo adscriptam, & si caussas Filiationis Metaphoricæ spectemus, quas nominarunt Adoptiani, *Creationem* liberam Humanitatis ex Maria, ejusque *Sanctitatem*, uti ostendimus in *Lib. nostro §.* LX. *p.* 110, 111.

quasque easdem nominat Adv. Sed *Adoptivum* esse nego, inquit Adv. quia nunquam *alienus* fuit, ut adoptivus alienus antea fuit a Patre adoptante, sed jure *creationis* ac *nativitatis est* Christus, *qua Homo* Sanctus, Dei Filius Metaphoricus. Respondeo: Hoc Vocabulum *Adoptivi* Filii damnarunt Patres non solùm, sed Rem magis. Nec *Felix* nec *Elipandus in omnibus* dixerunt esse similitudinem in Christo cum Filio Humano Adoptivo, uti jam dixi Libri mei *p.* 134. Neque Electi Fideles in omnibus comparari possunt cum Adoptivis apud Romanos. Non enim adoptavit eos Deus in *solatium orbitatis*, cum haberet Filium naturalem, & deinde Deus Pater simul *immutat naturam* & animum Adoptivorum suorum, quod Homines facere nequeunt. An ideo dicendum est Electos non esse Adoptivos Dei Filios, quia in omnibus Adoptivis Humanis non sunt similes? Utique ubi est υἱοθεσία ibi est *Adoptio*. Hoc enim Vocabulum Latinum Græcum illud exprimit. Sed Christus qua Homo & Mediator juxta Adversarium est θετὸς υἱὸς, liberaque voluntate productus Filius Dei, ergo est Adoptivus. Est *metaphoricus*, inquit Adversarius, non *Adoptivus*, quæ nomina me dicit, p. 211. malè confundere. Sed qui *Metaphoricum* statuit Filium, non *in omnibus* quidem proprie dictam *Adoptionem* statuit, sed quoad rei substantiam *Adoptivum* asserit. Adamus, ait, fuit Filius *Metaphoricus*, per creationem & per actum liberum productus cum imagine Dei, non tamen *Adoptivus p.* 211. Dico, quod Adamus fuerit Adoptivus & non Adoptivus. Fuit talis ratione modi productionis ex liberâ voluntate Dei. Non fuit ratione *Juris* ad hæreditatem Vitæ cælestis, quæ quidem erat ipsi promissa, sub conditione si perstaret in Integritate, sed *ad quam jus non* habuit. Quia metaphoricus Filius fuit θετὸς fuit Filius Dei, & quia θετὸς fuit Filius, competit ipsi υἱοθεσία, id est, *Adoptio*. Ubi est generatio metaphorica, ibi est naturalis generationis quædam *imitatio*, ut fatentur *Remonstrantes*, immediati Adversarii duces, & ubi est naturalis generationis imitatio ibi est Adoptio juxta Jureconsultos. Vide *Lib. mei p.* 134. Unde liquet quam temerè scripserit

rit Adversarius *Exercit.* VIII. *de Primog. p.* 211. *Nescio an quidem notare debeo* confusos & crassos conceptus, *quos prodit in hisce* meus Wesselius, *perpetuò* confundens *Filium* Adoptivum, improprium, Metaphoricum, *quæ juxta ipsum passim alternant.* . . . *Facit ergo fucum imperitis, aut* crassissimum *committit errorem* Wesselius *meus* (ita me centies vocat) *cum voci* Adoptionis *substituit* metaphoricam Filiationem. *Hinc totidem Chimæræ & larvæ sunt, contra quas dimicat, cum toties eo provocat, ac si ille, qui Generationem impropriam in Christo agnoscit, simul Adoptionem statuere teneatur, ut ita tandem in Castra Adoptianorum volentem nolentem Adversarium suum transire faciat.* Sed & periculosè admodum velificatur Socinianis ibidem *p.* 212, 213. quando scribit. *Nonne Deus* Pater *erat protoplastorum jure* creationis, *vi cujus fiunt* proprium *Dei peculium &* proprietas, atque *Filii Dei, non per necessarium sed liberum Actum, attamen non, ut vidimus,* Adoptionis *jure, & sic Deo non* alieni *erant, & eo sensu* PROPRII. Invenient hic igitur apud Adversarium Naturalis ac æternæ Generationis Christi hostes, ex quo *Titulum Proprii Filii* Dei a Paulo *Rom.* VIII. 32. Christo datum explicare possunt de Filio Dei metaphorico, jure creationis tali. Imo eodem fundamento nunc eum dicere possunt Filium *Dei naturalem*, quia nunquam, qua Homo est, *alienus* fuit, sed ab initio creationis suæ *Filius Dei natus.* Et dubito valde, an non hoc sensu verba Adversarii intelligi debeant, quæ leguntur *Exercit.* VII. *in Heb.* I. *p.* 219. *Hinc denique nunquam esse potest Filius Dei* Adoptivus, *quocunque titulo etiam talis sit; quoniam nunquam Patri suo fuit* alienus, *& per* NATURAM SUAM *est* PROPRIUS IPSIUS FILIUS, id est, jure nativitatis Humanæ; nam vix alium sensum mihi videntur posse habere. Illud vero quod ut firmum & indubitatum heic & ubique supponit Adversarius, nempe *quà Homo* est, nunquam Christum fuisse *alienum Patri suo*, haud usque quaque ita firmum & indubitatum est. Etenim meritò à Patre suo *alienus is* habetur, qui *extra Essentiam* Patris

tris & *non ex ea*, sed libera voluntate producitur. Atque adeo etiam & hoc modo, quia *alienus* est in se, erit *Adoptivus.* Quomodo *Arminiani nihil*, ut dicit, cum ipso *commune habeant*, non est, ut iterum repetam. Videri possunt quæ scripsi *Lib.* mei *p.* 136. —— 140. Et quia Remonstrantes & Vorstius ex lacunis Socinianorum hanc suam sententiam de Christo Filio Dei etiam metaphorico, *quo Homo est* ac *Mediator*, hauserunt, nemo ægrè ferre potest, vel pro *calumnia* venditare, quod dixerim ex *lacunis Socini haustam* esse eam.

XX. Tertia denique est *Calumnia*, quod scribere ausus sim, *Generationem Naturalem Filii Dei* sic quoque *in periculum* adduci. *Qua propter*, inquit Adv. *Exc. ad Heb.* 1. *p.* 189. *inter calumnias putidissimas Wesselianas habeo mea scripta ad Generationem Naturalem destruendam facere.* Præmiserat: *Me quod attinet, maximopere mihi gratulor; posse me omnium felicissimè naturalem generationem adstruere & vindicare, etiam ex illis locis, quæ sunt controversa sicut ego multa in hoc Capite specimina produxi.* (Quia scilicet Oeconomica hæc generatio Christi in Filium Dei supponit naturalem) & *hoc pacto nullum argumentum pro generatione naturali militans perdimus*; & *contra* admodum *insignia loca* (*Ps.* 11. 7. *Prov.* v. 11. 23, 24. *Mich.* v. 1. &c.) *quæ Christum ab æterno constitutum esse Mediatorem evincunt, lucrati fuimus;* ex quâ *æterna* constitutione Ejus in Mediatorem, *ejus Deitas invictissime asseritur*, uti loquitur in *Præfat ad Heb.* 1. Putidissimæ ergò calumniæ Reos se dudum fecerunt, præter alios plures præstantissimos Theologos, magni Viri, POLYANDER, RIVETUS, WALÆUS, THYSIUS, quando in *Censura* monuerunt, per Metaphoricam Christi Filiationem Divinam, Naturalem ac æternam NECESSARIÒ EVERTI. Loca, in quibus GENERATIONIS expressa fit mentio, *Psalm.* 11. 7. *Prov.* VIII. 24, 25. *Michæ* v. 1 quæ pauca quidem sunt, sed insignia, atque efficacissima pro Christi Generatione Naturali & æterna suppeditant argumenta; de Prædestinatione ejus in

Me-

Mediatorem, hujusque decreti executione interpretatur Adversarius in scriptis suis. Qui tollit solida fundamenta, annon ædificium destruit, saltem magnum Ecclesiæ periculum creat? Negat hoc Adversarius, se tollere fundamenta, quia sic *lucramur illa loca* ad adstruendam Christi *æternam constitutionem* in Mediatorem, ex *quâ ejus Deitas invictissime asseritur*; in *Præfat.* ad *Heb.* 1. Sed quid lucramur sic adversus Socinianos, quod illi non concedunt? Christum ab æterno Prædestinatum esse in Mediatorem non negant Illi. Neque ex *Prædestinatione æterna* sequitur *Deitas* Christi, uti incogitanter rursus vult Adversarius, sed ex natura Muneris Mediatorii, quod requirit Personam Divinam. Præterea Christum *proprium* Dei Filium, ut Naturalem, dictum esse a Paulo *Rom.* VIII. 32. opposité ad Metaphoricum liberâ voluntate productum, credunt & urgent Orthodoxi, atque ex hoc loco validissimum pro Christo Filio Dei æterno ac naturali petierunt argumentum contra Socinianos. Sed annon hoc Argumentum enervatur, imo ex manibus nostris extorquetur per Adversarium, quando; nunc *proprium* Filium explicat per *privo* quodam *modo* Filium, qualis Metaphoricus esse potest; nunc iterum Adamum Jure Creationis *Filium Dei proprium* fuisse, quia nunquam fuit *alienus*, disertis verbis docet? At dicet fortè, remanere tamen Titulum *Unigeniti*, ex quo Naturalis Filiatio Christi Divina meritò colligitur; nam Unigenitus non habet Fratres. Indicare ergò debet hic Titulus Generationem Christi ex Patre naturalem, quæ ipsi soli competit, & juxta quam Fratres nec habet nec habere potest. Sic est: Titulus *Unigeniti* Naturalem Christi Filiationem Divinam invictè docet. Sed etiam simul omnem Metaphoricam in ipso plane tollit ac destruit. Ita enim appellatur, quia *solus* ille a Patre est genitus Filius naturalis: & proinde quia *unico modo* μονοτρόπως, juxta *Nazianzenum*, est genitus à Deo Patre, & quia in *genere Filiationis, ex quo Filius appellatur, Fratrem non habet*; *quique porro Natura* est *Filius*, *ex ipso Patre genitus*,

non υἱοποιητὸς *Filius adſcitus*, *ſive adoptatus*, uti rectiſſime *Bullus* contra Epiſcopium p. 94, a nobis laudatus Lib. noſtri §. CIX. ſcripſit. *Impedire prædicatum Unigeniti*, ut Chriſtum dicamus *genitum* quoque in *Filium* Dei *Metaphoricum*, ſupra audivimus aſſerentem Clar. *Coccejum*. Si ergo verè Adverſarius genuinum ac Orthodoxum hujus Tituli ſenſum teneat, neceſſè eſt ut relinquat ſuam de triplici Filiatione Chriſti Divina ſententiam. Sed quia hanc retinet, & ut creditu neceſſarium dogma inculcat, nihil aliud ſupereſt, quam ut credamus, ipſum Unigenitum Dei Filium intelligere de Filio Dei, qui *ſingulari modo* à Deo eſt *Genitus*. Quo ſenſu ſi capiatur hic Titulus, non neceſſario infert Naturalem Chriſti Generationem Divinam, ſed convenientiam in genere Filiationis cum omnibus Filiis Dei Metaphoricis admittit, differentiam in gradu tantùm ponit. Nempe ſic qua Mediator & Homo eſſet verè Unigenitus Dei Filius, quia *ſingulari modo* eſſet Metaphoricè genitus, ut nullus Alius Angelorum vel Hominum, quorum nullus ex Virgine natus, aut in Mediatorem Dei & Hominum conſtitutus eſt. Unde Cl. *Lampe*, cujus Verba in Præfatione Libri mei adduxi, aſſerere non dubitavit, quod Chriſtus Μονογενὴς dici *poſſet*, *quatenus Unus tantùm eſt Mediator*, *Unicum ſalutis omnis fundamentum*. Et certè ſi *Generatio* ex Patre Chriſto tributa *Pſalm*. II. 7. *Proverb*. VIII. 24, 25. *Mich*. V. 1. ſit Prædeſtinatio ejus in Mediatorem; quid magis proclive erit cogitare quam hoc, quòd per *Generationem*, quæ Titulo *Unigeniti* Chriſto tribuitur, eadem Prædeſtinatio intelligatur? quia hic Titulus, maximè ex emphaticis illis Pſalmi ſecundi Verbis, a Spiritu Sancto petitus, & per ſolum Johannem in N. T. adhibitus, videtur. Qui Johannes etiam, poſt reliquos Euangeliſtas ſcribens, hoc titulo explicare voluit ſenſum, quo reliqui tres Evangeliſtæ Chriſtum *Filium Dei* dixerunt, uti obſervavimus in Lib. noſtro §. CCLXXXIV. Unde conſequitur, ſi tres anteriores Evangeliſtæ vocaverint Dominum *Filium Dei*, qua Mediator & Homo eſt, uti

vult

vult Adversarius, quod eodem sensu Johannes eum *Unigenitum* quoque appellaverit. Qui hæc omnia ritè perpendit, is negare haud poterit, quod ex sententia Adversarii naturali Filii Dei Generationi magnum creetur periculum.

XXI. Hæ sunt *Calumniæ meæ*, quarum in ipso Titulo, omnique pagina me Reum agit. At verò nulla est in iis *falsi criminis accusatio*, omnia enim verissima sunt quæ scripsi. Nulla etiam *malitiosa* & *mendax infamatio*, sed extorta Defensio Orthodoxiæ & famæ meæ, atque Ecclesiarum nostrarum, quorum Doctrina publicè ab Adversario insimulabatur, ac si hac Nestorianismi & Adoptianismi labe infecta esset. Muneris certè Academici & Ecclesiastici Ratio flagitabat, ut monerem fideles, & inprimis Juventutem Academicam de periculo, quod immineret Veritati fundamentali, si hoc *Vorstii*, ex lacunis Socini haustum dogma, introduceretur in Theologiam nostram Systematicam. Omnes odii privatas caussas procul habeo. Nunquam vidi Adversarium. Nihil unquam mihi fuit cum illo commercii: & vix quicquam de illo inaudiveram, antequam scriptis suis famam meam tam odiosè traducere incepit.

XXII. Sed dum me tam falsò & malitiosè accusat, semet ipsum demonstrat Calumniatorem pessimum. Videtur Ipsi haud displicuisse flagitiosissimum illud dictum; Calumniare audacter, semper aliquid hæret: ideo ubique Calumnias, & quidem putidissimas mihi affingit. Etiam in fronte Libri sui, si fortè Ipse Liber Lectores non inveniat, ponit hæc Verba; *ubi Calumniis & injuriis ipsius cordatè respondetur*. Non unius interim Calumniæ semetipsum reum egit. Calumnia est enim quod scribit in *Præfat. ad Heb.* I. *Me conari mihi propriam sententiam etiam authoritate Synodali munire, & ut Ecclesiæ sententiam omnibus obtrudere, ac dissentientes quosvis etiam ex Orthodoxis, ut hæreticos tractare, & Anathemate percutere:* imo cum innuit, *Me tam Sanctam, tam Deo dignam Doctrinam blasphemare, Calumniari, & illos qui eam profitentur, ut hæreticos exagitare, traducere, Anathema-*

te percutere, *quod videtur esse hominum Divino judicio excœcatorum*, *quorum* ille *sortem amaris deplorat lacrymis.* CALUMNIA est quoque, quod *ex mea sententia heterodoxum sit*, *Christum dicere Primogenitum Dei Filium*; *Exercit. in Heb.* 1. *p.* 188. §. 25. Hoc nunquam dixi, scripsi, cogitavi. *In Scripturâ nullibi* vocari *Primogenitum Dei*, ante multos annos ore & scripto monui, & hoc est verissimum, & dudum a Magno Athanasio observatum. Sensu tamen Orthodoxorum ita vocari posse nunquam negavi, quia verè ante omnes Creaturas extitit & genitus est a Deo Patre Filius ejus naturalis. Dubito interim magnopere, an hic sensus Orthodoxus *literæ* nominis hujus *Primogeniti*, & *Textui Paulino* in Epistola ad *Colossenses* conveniat, ut supra in Dissertatione de *Christo Primogenito* monui, & dubitationis meæ rationes dedi. CALUMNIA est porro; *me contra* ECCLESIAM SCRIBERE, quando *Vulgare præjudicium* esse dixi, quod Christus *in Sacris* vocetur *Primogenitus Dei:* Ita Adversarius *in Præfat. ad Heb.* 1. Et in altera *Præfat. Exercit. de Primogenito Dei* Filio præmissa hunc in modum scribit. *Obstupui Professorem Batavum & Leidensem posse adeo petulanter toti orbi erudito insultare*, *ut* præjudicium vulgare i. e. PROCULDUBIO ECCLESIÆ, *audeat dicere*, *si credat Christum esse* Primogenitum Dei Filium, *& contra tale præjudicium calamum stringere*, *& nihilominus* SUAM SIBI PROPRIAM (hoc iterum repetit) *sententiam ut solam Orthodoxam propinare.* Nil verius est utique quàm quod scripsi, Christum in Scripturis nullibi appellari *Primogenitum Dei Filium.* Hoc Docti norunt non solùm, sed & omnes qui aliqua cum attentione Scripturas legerunt, aut Concordantias consuluerunt. Sed quia Insignes nonnulli Interpretes, Christum hoc Titulo ad Deum Patrem debere referri existimarunt, etsi nullibi expressè dicatur Primogenitus *Dei Patris*, hinc orta videtur opinio vulgaris illa, quod in Scripturis ita expressè appellaretur. Cujusmodi *Vulgaria Præjudicia* plura sunt, quæ tamen pro *Ecclesiæ sententia* minime haberi possunt. Sic est *opinio vulgaris:* pœnas

nas infernales describi per *fletum* OCULORUM (*Weeninge* DER OOGEN) & *stridorem dentium*, uti centies ego audivi pro Concione recitatos Textus *Matth.* VIII. 12. XIII 42. 50. XXII. 13. XXIV. 51. XXV. 30. *Luc.* XIII. 28. Sic etiam est *Opinio Vulgaris* Diabolum in N. T. dici *Beelsebub; Matth.* X 25. XII. 24, quæ orta est potissimum ex Versione Vulgata, cum in plurimis & probatissimis Codicibus habeatur βεελζεβὰλ. Sic porro *Opinio Vulgaris* est legi apud Paulum *Ephes.* III. 20. Deum *posse summa cum exsuperantia omnia facere supra ea quæ petere, aut cogitare* POSSUMUS, quomodo sæpissime Textus ille pro concione recitatur. Cum tamen nec Verba Pauli ita sonent, nec fortè hæc mens Pauli in iis verbis sit. Sic denique est *Opinio Vulgaris* in Scripturis legi illud dictum, quod Hieronymi esse creditur, *surgite mortui, & venite ad judicium.* An ille qui hæc & similia *Præjudicia Vulgaria* vocat, an ille, inquam, *contra Ecclesiam* scribit? Tædet profectò ineptiarum hujus Viri, quibus indicandis & refutandis diutius immorari nolo. Itaque mittam alias plures ejus Calumnias. Una tamen adhuc est reliqua, quam omittere nequeo. In *Præfatione Mantissæ* dicit, me vocare ipsum *Germanum Nestorii Patronum.* Hoc colligit: tum ex *Titulo Libri* mei, ubi habentur hæc Verba; *Præmissa est* PRÆFATIO, *in quâ de Caussæ hujus* MOMENTO, *atque de Nupero* NESTORII *Defensore Germano, breviter agitur*: tum ex Nomine suo in initio præfationis lecto. Paucas modò ejus paginas legit. Si perrexisset in legendo, vidisset, me Celebrem in *Germania* Theologum JABLONSKI appellasse in Titulo *Germanum Nestorii Defensorem*, contra quem ibi Disputo. Sed eo usque non perlustravit Præfationem meam, verùm mox substitit in legendo, ubi Nomen suum scriptum reperiebat, sat caussæ se invenisse ratus, ut me novæ & atrocissimæ Calumniæ reum ageret. *Ceterum*, inquit, *quæ addam vix habeo. Tantus enim me invasit stupor, ut ne balbutire aliquid possim. Quis enim non crederet, si libri hujus singularis Titulum legat . . . . . & in ista Præfatione*

nomen meum exprimi videat, quis, inquam, non crederet, aliquod me in lucem edidisse scriptum, in quo Nestorii partes suscepi . . . . tanquam Germanus Defensor . . . . Quid jam est extravagari si hoc non est? Quid magis inhumanum potest excogitari, quam me vocare Germanum Nestorii Patronum? . . . . *quid unquam, quam atrocissima injuria & calumnia esse potest, ita de me & de mea fama statuere? Annon hoc est omnem pudorem concoquere? Annon hoc est audacter calumniari? Neque oculis fiderem meis, etiam cum talia lego, posse Aliquem adeo sui oblivisci, adeo bonam prodere Conscientiam, adeo famæ suæ prodigum esse, ut in calumniis & mendaciis apertissimis suæ præsidium caussæ quæreret, si non experientia, proh dolor! docuisset, quam verum illud sit, Odium Theologicum, odium* . . . Vide Lector, quid non potest festinatio & incogitantia, & mirare cum indignatione & dolore Viri hujus maledicentiam, & cæcum animi ejus affectibus abrepti impetum. Annon hoc est, D. *Cremer*, Germanè nugari, Germanè calumniari, Germanè contra umbras tuas larvas & chimæras pugnare? Ex ejusmodi *Præfatione* quid ipsa *Mantissa* ferat, facilè judicari potest. Nihil in ea mihi occurrit novâ vel seriâ refutatione dignum, post ea, quæ antea in Libro meo, & speciatim in Capite de *Initio Decreti Divini*, & nunc iterum scripsi. Sibi & famæ suæ consulet Adversarius, si imposterum melius digerat quæ editurus est, ac decies cogitet de iis, quæ in publicum dare velit, antequam merces suas protrudat.

DISSER-

DISSERTATIO VIGESIMA

DE

NATURA PECCATI:

Ad 1. *Joh.* III. 4.

I.



Ggredior Tractationem Argumenti, à me expetiti, quod videri posset Dialecticorum argutiis & Metaphysicorum subtilitatibus magis convenire quàm Theologicæ simplicitati; quod tamen est fori Theologici, ex Ratione non modò sed & ex Revelatione demonstrandum. Rectè quoque & utiliter traditur hæc Doctrina de NATURA PECCATI, imò tradi debet in Academiis præsertim hoc tempore, quo tot scrupuli injiciuntur, atque difficultates temerè & imprudenter moventur adversus receptam & Orthodoxam Doctrinam à nonnullis ex nostris etiam, ut sacra juventus, iis omnibus superandis haud æque apta, facile iis implicari, atque per eas ad avia periculosissima seduci posset, nisi illas haud tanti ponderis esse, moneatur, atque ex Scripturâ pariter & Ratione in Verâ Sententiâ confirmetur. Neque enim hodiè tantum verùm & olim fuerunt hac de re sententiæ diversæ, eæque magis vel minus perniciosæ ac periculosæ. Qui enim peccatum dicunt esse *merum Nihil*, illi Atheismo, ut triumphet, viam parant, etsi de Atheismo triumphato glorientur. Qui verò statuunt peccatum esse quid *Reale* & *Positivum*, sive sit substantia si-

ve accidens, ii facilè amplectentur, non dicam detestandam *Manichæismi* impietatem; sed potius *Pelagianam*, de *Actionum* nostrarum *à Deo independentiâ*, pessimam *Hæresin*, de qua consuli potest *Vossius* in *Hist. Pelag. Lib.* III. *Part.* II. *Thes.* IX. Media hîc tenenda est via ac sententia, quæ statuit *formalem* peccati *conceptum* absolvi *solâ privatione rectitudinis ex Lege Dei debitæ adesse* Facultatibus Habitibus atque Actionibus nostris, omissis vel commissis; seu *Naturam* peccati constitui per id, non quod simpliciter *non est*, sive *purum Nihil*, neque per id quod *verè est* & realiter existit, neque per id quod *partim est*, *partim deest*, sed *tantùm* per id quod *deest* cum *adesse debebat*.

II. Si dicatur *purum Nihil*, vox *Peccati* esset inanis sine mente sonus, nulla esset Lex Divina, nullus Legislator summus, nullaque creaturæ rationalis dependentia moralis à Creatore, atque non daretur peccatum nisi in hominum quorundam imperfectiorum vana opinione. Quæ fuit olim detestabilis Doctrina impurissimorum *Gnosticorum*, ac eorum Parentis *Simonis Magi*. De hoc testatur *Irenæus Lib.* I. *Cap.* XXIII. ex Editione *Massueti*, quod docuerit, *secundum ipsius gratiam* (γνῶσιν) *salvari homines*, *sed non secundum operas justas. Non enim esse naturaliter operationes justas*, *sed ex accidenti*, *quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli*, *per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines. Quapropter & solvi mundum*, *& liberari eos*, *qui sunt ejus*, *ab imperio eorum qui mundum fecerunt*, *repromisit*. Et de *Carpocrate* aliisque *Gnosticis* scripsit Idem *Lib.* I. *Cap.* XXV. *Et in tantam insaniam effrænati sunt*, *uti & omnia quæcunque sunt irreligiosa & impia*, *in potestate habere*, *& operari se dicant. Sola enim humana opinione negotia mala & bona dicunt.* Sic pessimè abusi videntur pessimâ illâ Hypothesi *de duobus contrariis rerum Principiis æternis*, *Bono* & *Malo*, seu *Deo Boni* & *Materia* omnis *mali* principio, à Barbaris & Græcis pariter recepta Philosophis; quia scilicet ex *Nihilo Nihil fieri* posse absolute sibi persuasum habebant, & quia *Bonum*

Mali

Mali Caussa, quod in se non habebat, esse non poterat quæ Paganicæ impietatis fundamentum fuit: dum ex eâ collegerunt, quod, se tradendo horrendis spurcitiis & omnis generis carnalibus impuritatibus, Malo Principio debitum quasi suum exsolverent: contra exemplum moratiorum Gentilium, qui, quamvis in eadem turpissimâ hæresi versati fuerint, hâc tamen ad similem impurissimam & flagitiosissimam vitam se minime abduci passi sunt. *Cum enim*, inquit, *Doct.Thomasius* in *Schediasm.Hist.* §. 38. *crederent animam Dei, Corpus materiæ sobolem esse, ita se beatos fore collegerunt, si etiam in hac vitâ corporis animam vinculis, h. e. cupiditatibus pravis exolverent, cumque Deo per cœlestium rerum juges meditationes, tanquam Principio suo ac fonte conjungerent. Hinc illa Philosophiæ definitio:* κάθαρσις ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἔτι ζῶν ἔτι συνεσαρμένου, *& altera illa passim obvia*, μελέτη θανάτου, *piis etiam patribus sic habita in deliciis, ut suam facerent, sanctæque religioni accommodarent.* Adversus hanc exitialem *Gnosticorum* Doctrinam fideles munire voluisse videtur *Apostolus* noster *Johannes*, quando *Cap.* 1. *Vers.* 8. 10. hunc in modum scripsit. *Si dixerimus* nos peccatum non habere, *nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si dixerimus* nos non peccasse, *mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.*

III. Contra Alteram illam de *Peccati Naturâ* erroneam opinionem, quod sit nempe quid *Positivum Reale* ac verè *existens*, fideles instruxit satis Idem infallibilis Apostolus, quando in nostro Loco *Peccatum*, seu id quod propriè Creaturam Rationalem coram Deo damnabilem reddit atque commaculat & deformat, breviter quidem sed nervosè per ἀνομίαν *definivit;* atque sic ejus *Naturam* ac *Formam* in *Illegalitate, Dislegalitate, Discrepantia à Lege*, atque adeo *Privatione Rectitudinis secundùm Legem debitæ adesse*, manifestè constituit: sic scribens: πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ· καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Quorum Verborum mentem genuinam ut clariùs perspectam habeamus, con-

siderabimus *Propositionem*, & additam ejus *Confirmationem*.

IV. In *Thesi* occurrunt *Subjectum*, πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, & *Prædicatum*, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ. Quod attinet *Primò* ad propositionis *Subjectum*: Vox ἁμαρτία est *propriè* vox *abstracta*, abstractum quid significans, nempe *aberrationem* à *scopo* vel *via*. Ita *moraliter* in Sacris sumta sæpe occurrit *abstractivè* *Job*. XVI. 9. *Rom*. III. 20. V. 13. VII. 7. XIV. 23. *&c*. Hinc *Theodorus Abucara* apud *Suicerum*, Ἁμαρτία ἐστιν ἀποτυχία τις, καὶ ἀστοχία τοῦ σκοποῦ. *Impropriè* sumitur quando *concretè* notat *Habitum* vel *Actum* peccaminosum seu *moraliter aberrantem* à via Legis & scopo felicitatis veræ. Ad *Habitum* peccaminosum respicitur quando ἁμαρτία dicitur *dominari* & *habitare* in nobis *Rom*. VI. 12. 14. VII. 17. 20. *&c*. Ad *Actum* verò, quando adhibetur phrasis, ἁμαρτίαν ἐργάζεσθαι *Jac*. II. 9. *&* ποιεῖν *Jac*. V. 15. I. *Pet*. II. 22. *&c*. quæ etiam hîc occurrit. Quamvis verò hæ phrases nos non cogant planè ad sensum *concretivum*; quia etiam omittens rem præceptam dicitur *facere* peccatum, sicut etiam *privationes*, juxta Scholasticorum observationes, dicuntur *fieri*, ut cum solis absentia dicitur *facere* tenebras; præstat tamen hic sensus *concretivus*, ut concinnior & simplicior. Capimus itaque illud ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ac si dictum esset, *qui facit Actum peccaminosum* seu moraliter aberrantem.

V. Loquitur verò Apostolus absque ulla restrictione, atque adeò de *peccato omni*, etiam *minimo*, non *certo* aliquo & *graviori*, uti sumitur *Jac*. V. 15. Vulgò Pontificii peccatum quod vocant *mortale* intelligunt. *Thomas Nageorgus* apud *Marloratum* de *incredulitate* & *impietate in Deum*, *summo* illo & *maximo peccato* accepit, ex quo Johannes in prædicato diceret esse *iniquitatem in homines* omnem. Sed meritò hanc expositionem rejecit *Estius*, ut *longè petitam* & *parum fundatam*. Opponit enim Apostolus peccatum *justitiæ*, ad quam non aliquam sed *omnem* adhortatus fuerat fideles *Cap*. II. 29. Præterea *Indefinita* vocis *peccati* acceptio in.

in *Ratione* addita ostendit eam tam latè in *Propositione* debere sumi, quam patitur *faciendi* verbum, quod vocem generaliorem ἁμαρτίας heic ad *Actum* peccaminosum quidem, sed *quemcunque* simul, restringere videtur, uti supra visum est. *Scopus* denique Apostoli procul dubio est exhortationem suam proximè præmissam *Vers.* 3. validâ ratione novâ urgere in Textu nostro. Exhortatus fuerat ad *sanctitatem*, id est, ad *odium* omnis etiam vel minimi peccati, etiam ejus quod leve videtur, quia ab hominibus non punitur. Decebat sanè hæc sanctitas Christianos militantes & quotidie ex infirmitate peccantes, non modò propter *spem* vitæ æternæ sanctis destinatæ, & *exemplum* Dei & *Christi* sanctissimi, uti hæc commemoraverat *Vers.* 3; sed etiam propter *turpitudinem*, quæ est in *omni* & *minimo* peccato, utpote quod est ἀνομία aberratio a Lege Divina damnabilis & deformans coll. *Deut.* XXVII. 26. *Gal.* III. 10. Tandem tam latè sumit hîc *Peccatum*, quam *Vers. seq.* 5. *Et scitis illum patefactum esse, ut peccata nostra tolleret*, & *peccatum in eo non est*, quia in his verbis æque ac in præcedentibus nostris est idem *scopus* Pauli, nempe fideles exstimulare ad *odium omnis etiam minimi peccati*, ex eo quòd Christum sponsorem tot dirissimis passionibus subjecerunt peccata eorum ipsi imputata, ut vel minima idcirco fugienda sint, & quia Christus ideo manifestatus est & manifestari debuit, ut tolleret omnia, etiam *levia* peccata, sanguine suo sacrificali 1. *Joh.* 1. 7; id quod olim etiam typo in Lege adumbratum fuit, jubente ut *levia* etiam delicta victimis oblatis & ablutionibus expiarentur *Num.* XV. 24.—— 29. *Levit.* IV. 22.—— 26. *Heb.* IX. 13, 14.

VI. Cum verò vel in minimo peccato posset obtinere consuetudo & voluptas & studium continuum, quæritur porrò an phrasis hæc *facere peccatum* heic notet simpliciter *Actum qualemcunque peccaminosum committere*, an verò cum significationis intensione, vel per *synecdochen generis* pro *specie*, peccato cum *voluptate* & *studio* & *assiduitate operam dare*. Posteriori hoc modo capiunt hanc phrasin ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν,

bene multi Interpretes. *Oecumenius:* ὡς γὰρ ἐπὶ τῆς ἁμαρτίας, οὐχ ὁ ποιήσας ἢ ὁ ποιήσων, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἄνομος ἢ ὁ ἁμαρτωλὸς, ἀλλ' ὁ ἐχόμενος τοῦ κακοῦ καὶ ἐνεργὸς, οὕτω καὶ δίκαιος οὐκ ὁ ἀπρακτῶν, ἀλλ' ὁ ἐνεργός. *Quemadmodum in peccato non is qui fecit aut facturus est, ille* ἄνομος *est aut peccator, sed qui malo adhæret ejusquè operator est; ita & justus* est *non ignavus, sed strenuus.* Similiter *Beza* accepit hanc phrasin ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν & vertit per *dare operam peccato*, atque in *Notis* eam exposuit de iis, qui *malo planè delectantur*, & in quibus *peccacatum peccans regnat*, eamque *hoc loco differre* ab ἁμαρτάνειν *simpliciter accepto* contendit. Ita & *Piscator*, *significatur autem hac phrasi non simplex actio, sed cum studio & voluptate conjuncta. Synecdoche generis.* Ex Pontificiis *Claudius Guilliaudus Bellijocensis. Hoc loco* facere peccatum, *usurpat pro* persistentia in peccato *& iniquitate, quæ est ex perfidia. . . . Illa in impuritate vestræ vitæ* perseverantia, *summa est* iniquitas, *& religionis Christianæ eversio ex perfidia procedens.* Urget hoc inprimis, post *Socinum* in *Comment.* in hanc *Epist. Episcopius*; quia *certissimum est* facere peccatum, iniquitatem, malum, *Hebræis significare familiarissimè & passim receptâ phrasi, peccatis se dedere, aut potius peccandi consuetudine teneri, sive cum morsu aliquo conscientiæ sive sine eo, uti apparet ex multis locis V. T. nominatim Ezech.* XVIII. 26. *Prov.* XVI. 12. 2. *Sam.* XII. 18. 1. *Reg.* XIV. 22. *Psalm.* LI. 6. *Jer.* III. 5. *& similiter ex N. T. Matth.* XIII. 41. VII. 23. 2. *Cor.* V. 10. *Inprimis* verò quia ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν *directe opponitur præcedenti* ἁγιασμῷ *sive purificationi, quæ in exuenda peccandi consuetudine posita est*, & *præmittitur isti sententiæ qua Christus dicitur patefactus ut peccata nostra tolleret* Vers. 5.

VII. Fateor intensâ significatione phrasin hanc quandoque sumi, quamvis non in omnibus attamen in quibusdam ab *Episcopio* laudatis Locis, ut & aliis *Joh.* VIII. 34. *Jac.* V. 15. & quidem in sequenti hujus Capitis contextu. Sic Vers. 8. 9. *Qui facit peccatum* ex diabolo est: quoniam à principio diabolus peccat. Quisquis natus est ex Deo, *peccatum non*

facit,

facit, &c. Interim non minus certum est quòd *peccatum facere* in Sacris sæpe notet simpliciter *peccatum aliquod committere*. Ipse fatetur *Episcopius*, 1. *Pet.* II. 22. ubi de Christo dicitur, ὃς ἁμαρτίαν ὐκ ἐποίησεν, *de uno peccandi actu usurpari*. Idem dicendum est de loco 1. *Cor.* VI. 18. πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, *extra corpus est*. Et eodem modo phrasis ποιεῖν ἀνομίαν *Ezech.* XXXIII. 13. 18. sumi debet ex hypothesi illâ quod Deus ibi agat & loquatur cum justitiariis secundùm naturam Fœderis Operum. Neque est insolitum porro ut unum idemque vocabulum, eademque phrasis, apud eundem Auctorem, in eodem Sermone vel Epistola, varia significatione, nunc latius nunc strictius, sumatur. Hujus rei exemplum vulgò ponitur in voce ὑποτάσσειν 1. *Cor.* XV. 27, 28. certe extat in phrasi *portare onus* βαστάζειν τὸ βάρος vel φορτίον *Gal.* VI. 2. 5. nec non in verbo ἁγιάζειν *Joh.* XVII. 19. ut & in ἁμαρτάνειν apud nostrum Apostolum, qui hoc verbo utitur *intensa* significatione *Vers.* 6. *Quisquis in eo manet*, ὐχ ἁμαρτάνει. πᾶς ὁ ἁμαρτάνων *non vidit eum, neque novit eum*: *Vers.* 9. *Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit*. . . καὶ ὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *eo quod ex Deo natus est*: verum usurpaverat idem hoc vocabulum pro actum quemcunque peccaminosum simpliciter committere *Cap.* I. 10 *si dixerimus* ὅτι ὐχ ἡμαρτήκαμεν, & *Cap.* II. 12. *Filioli mei, hæc scribo vobis* ἵνα μὴ ἁμάρτητε· καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, *Advocatum apud Patrem habemus*, *Jesum Christum justum*. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*: ubi manifeste dehortatur non à peccandi consuetudine modò, sed & à quibuscunque peccaminosis Actibus, deliberato inprimis consilio commissis, uti etiam hoc observavit *Hammondus* ad *Locum* nostrum. Opponitur quidem *facere peccatum purificationi Vers.* 3. commendatæ, verùm hæc non tantùm in *exuenda peccandi consuetudine*, uti vult *Episcopius*, sed & in *odio* & fugâ vel minimi Actus peccaminosi consistit. Neque Christus manifestatus est ut *consuetudinem peccandi* modò, sed omnis vel minimi peccati reatum & maculam meritoriè & efficienter tolleret. Frustra

ſtra denique ſupponunt cum *Oecumenio* hi Interpretes, quod vox ἀνομία in *prædicato* ab Apoſtolo poſita, & ab Vulgato per *Iniquitatem* tranſlata, grande nefas & graviſſimum crimen ſignificet, quale quidem in continuato peccandi ſtudio, non verò in qualicunque Actu peccaminoſo locum habet: Cujus contrarium ex ſequenti *Prædicati* iſtius Expoſitione patebit.

VIII. Phraſin itaque hanc, *facere peccatum*, abſque ullo tropo, quem ſtatuit *Piſcator*, capio ſimpliciter pro *quemcunque Actum peccaminoſum quocunque modo committere.* Etenim *indefinitè* loquitur, uti de *peccato*, ſic etiam de *modo patrandi* illud, ut & de *perſona* peccante, quando dicit, πᾶς *Quiſquis* peccatum facit, ſive regenitus ſive irregenitus, ſive ſemel ſive ſæpius, ſive ex malitia & obſtinato animo ſive ex infirmitate, ſive cum reluctatione ſive abſque illâ. Optima ſic quoque erit *Connexio* hujus dicti cum ſuperiori Exhortatione ad puritatem moralem omnem. Etenim ut caveat Apoſtolus ne exiſtimarent Filii Dei per mandatam puritatem levia peccata non prohiberi, addit, quòd *omnis* qui vel minimum peccatum quocunque etiam modo committit, *etiam* ἀνομίαν *faciat.*

IX. *Prædicatum* hoc, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ, æque ac Subjectum variè exponitur. Vox ἀνομία uno vocabulo Latino, ſaltem uſitato, vix exprimi poteſt: nec ægrè ferre debent Grammatici ac puræ Latinitatis cultores, ſi Theologi nova in tranſlatione hujus vocis atque inuſitata vocabula efforment. Significare poteſt vox ἀνομία; *vel Exlegitatem, Exlegalitatem*, quæ eſt carentia legis, omnis vel alicujus, ſive vera, ſive affectata & externè apparens, *coll. Rom* II. 12. I. *Cor* IX. 21; *vel Contralegalitatem*, *Diſlegalitatem*, quæ eſt carentia convenientiæ cum lege verè exiſtente & obligante, ſeu diſconvenientia cum eâ & diſcrepantia ab eâ. Priori ſenſu *Alpha* compoſitionis eſt *Alpha privationis*, poſteriori eſt partim *privationis*, partim *contrárietatis*. *Priorem* ſignificationem, & quidem ut voci *propriam*, heic locum habe-
re

re urgent *Socinus* inprimis & *Episcopius*. Uterque *Bezæ* translationem, *etiam legem transgreditur*, exagitat. *Et Episcopius* quidem sensum non modò *dilutum*, quia *nulli non notum esse possit quod peccatum aliud non sit vel esse possit quam* Legis transgressio, sed & *periculosum* ex eâ emergere contendit, si nempe *peccatum facere idem* heic sit ac *operam dare* illi cum studio & delectatione, uti *Beza* ipse interpretatus est. *Facile enim quis in hanc cogitationem delabi posset, quod is demum, qui dedita opera & plena voluntate peccat, & peccato delectatur*, Legem transgrediatur, *non autem is qui luctam aliquam aut remorsum in se sentit; quod profectò periculo maximo non caret*. Observat præterea: quòd παρανομία *Legis trangressionem*, ἀνομία verò majus quid quam simplicem transgressionem, nempe *Exlegitatem*, vel ut quidam *Inlegitatem* significet: quòd porro particula copulativa καὶ, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ, hîc *emphasin* habeat & *exaggerandi* gratia sit posita, unde sequitur quod ἀνομίαν ποιεῖν sit *enormem aliquam & gravissimam turpitudinem* committere, ut sensus sit, *qui peccandi consuetudine tenetur, non tantum non purificat se ad Dei ipsius similitudinem, sed etiam non aliter se gerit, quam si* exlex *esset, id est, legem nullam sibi positam haberet, ex cujus observatione præmium sperare, vel ob cujus neglectum pœnam metuere ipsi necesse sit: quo certe quid enormius dici nequit*: quòd denique ἄνομος pro *Exlege* & ἀνομία pro *Exlegitate* sumatur tum 2. *Thess*. II. 7, 8. ubi de *Antichristo* agitur, tum 1. *Tim*. I. 9. ubi ἄνομοι & ἀνυπότακτοι junguntur.

X. Hanc expositionem neutiquam sequendam arbitror. Nititur præcipuè hac hypothesi, quod in *subjecto*, τὸ *facere peccatum*, notet studio & consuetudine operam dare peccato, quæ falsa est. Significat enim ibi ἁμαρτίαν ποιεῖν indefinitè quocunque modo peccare. Unde sequitur quod ἀνομία heic non possit significare *Exlegitatem*. *Omnis* enim peccans offendit quidem Legislatorem summum, sed non *negat* mox illum, neque etiam *ipso facto* negare *videtur* statim, vel ita se *gereret* ac si *negaret*, & *exlex* esse *vellet*, & *sentiret* quod

omne

omne quod libet sibi liceat. Hoc enim de omni peccante, etiam ex infirmitate & cum lucta sincerâ, dicere & affirmare, nimis profectò durum est, imo ab ipso facto alienum. Neque ullibi Scriptura istum de *quocunque peccante* loquendi modum suadet aut confirmat. De *impio* & *stulto* tantùm affirmatur, quod *dicat*, id est, dicere *videatur* in corde, quia ita se gerit, *Non est Deus*, & *Recede à nobis Job.* XXI. 7. *Psalm.* XIV. I. LIII. 2; quemadmodum etiam de *incredulis* & *impuris* dicitur, quod *factis* Deum *abnegent*, *Tit.* I. 16. Quamvis concedamus concretum ἄνομος, & abstractum ἀνομία, in locis ab *Episcopio* adductis denotare *Exlegem*, & *Exlegitatem*, manet tamen certum, quod ἄνομος pro transgressore Legis *Act.* II 23. *Marc.* XV. 28. *Luc.* XXII. 37, & quod abstractum ἀνομία sæpius, si non *perpetuò*, quod contendit *Erasmus Schmidius*, pro παρανομία & *contralegalitate* seu *discrepantia* à lege sumatur, & quidem qualicunque & omni, leviori & graviori *Rom* IV. 7. 2. *Cor.* VI. 14. *Tit.* II. 14. *Heb.* I. 9. VIII. 12. X. 17. 2. *Pet.* II. 8. Apud Exoticos ἀνομία est ἀδικία; Socrates apud Xenophontem, *Memorab. Lib.* IV. ὁ μὲν ἄρα νόμιμος δίκαιός ἐστιν· ὁ δὲ ἄνομος ἄδικος; sic etiam hîc ἀνομία pro ἀδικία ponitur, *coll. Cap.* V. 17. Unde *Beza* non malè transtulit, *etiam legem transgreditur*, neque *Belgæ*, *etiam injustitiam facit*, neque *Vulgatus*, & *iniquitatem facit*, quatenus illa vox simpliciter carentiam æquitatis, seu id quod æquitati est contrarium notat, quam Lex postulat. Atque sic etiam habet particula Copulativa Καὶ suam *Emphasin*, atque ad *exaggerationem* peccati facit. Nempe in voce ἁμαρτία, quatenus in *Propositione subjecti* usurpatur illa ab *Johanne*, (quomodo usurpetur ab eo in *Ratione* additâ postea videbitur) potest cogitari respectus ad *significationem* ejus, ita ut denotet ibi *aberrationem* à *scopo*, scilicet *felicitatis* æternæ & temporalis. Quando hic emergeret sensus non dilutus sed satis gravis & momentosus: *qui facit peccatum aberrat* non modò *à scopo felicitatis* æternæ & temporalis, quia fures adulteri ebriosi famæ quoque honestatem & corporis sanitatem

tem perdunt, *verùm* etiam à sanctissima Dei voluntate & *Lege*, ideoque non tantum *infelix* est, sed & *perfectissimo* & Sanctissimo Numini *dissimilis* & difformis: in qua difformitate etiam haud minima infelicitatis creaturæ rationalis pars est, sicuti pars haud exigua felicitatis ejus, *qui justitiam facit*, est, quod *ex Deo natus sit*, ejusque imaginem gerat, *coll. Cap.* II. 29. Aliàs dici potest, quod Apostolus respexerit ad Gnosticorum *Libertinismum*, de peccato omni in vanâ hominum opinione consistente modò, & lege omni abolitâ priscâ per Christum, & quòd contra illorum impietatem fideles monuerit, revera *legem Dei*, æternam, Regiam illam & Libertatis, de amore Dei & proximi, manere sub N.T., imo per Christum esse confirmatam, atque adeò dari veri nominis peccata, & *Legis divinæ*, *Naturalis*, *Mosaicæ* & *Christianæ* turpes & damnabiles transgressiones. Quando sensus esset: *qui facit peccatum*, nempe id quod vulgò & in Sacris *peccatum* dicitur, *etiam* revera *legem divinam* transgreditur, & non modò opinione vulgi turpe aliquid committit, sed *etiam* ex sententia summi Legislatoris & Judicis, certò punituri legis suæ violationem quamcunque. Cæterùm, uti in *subjecto ἁμαρτία* impropriè & *concretè* sumitur, sic etiam *ἀνομία* in *Prædicato* capitur: ut sensus sit totius *Propositionis*, *Quisquis facit actum peccaminosum*, *etiam facit actum illegalem*, *contralegalem*, *dislegalem*, à lege discrepantem.

XI. Hanc verò *Propositionem* probat Apostolus ex eo, quod *Esse* peccati *omnis*, ut ita dicam, consistat in *Deesse*, sive in *Absentia convenientiæ debitæ* facultatum habituum & actionum nostrarum *cum Lege divinâ*, quando hanc ejus *Rationem* subjicit, καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. *Nam peccatum est Dislegalitas*, seu *Illegalitas*. Conjunctio copulativa καὶ pro caussali posita heic est. Καὶ *pro* γὰρ *ex Hebræorum idiotismo. Beza*. Et *priore loco significat* etiam; *posteriore*, *capitur pro* quia, *more Hebræo*; *sicut Gen.* XIV. 18. Et erat sacerdos Dei excelsi, *quod Hieronymus vertit*; Erat enim sacerdos Dei altissimi. *Et Esa.* LXIV. 5. Tu iratus es, & peccavi-

 mus,

mus, *id est*, *quia peccavimus*. *Estius*. Posterior Locus rectè, prior malè huc adfertur. Sunt verò alia loca longè plurima, in quibus *Vau* præfixum caussaliter sumitur. Ita & apud Johannem in hac Epistolâ ϗ usurpatur *Cap.* 1. 2. ϗ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη. *Nam vita illa conspicua facta est*. Certè ut in Loco nostro ita capiamus hanc particulam plenitudo sermonis Apostolici suadet, ejusque apta cohærentia. Aliàs enim esset tautologica repetitio, quam perperam statuit *Episcopius*.

XII. *Subjectum* porrò est ἡ ἁμαρτία. Habet hîc emphasin *Articulus*; sed non eam, quâ demonstraret tantùm *illud* peccatum *Actuale*, de quo proximè in præcedente Propositione actum erat. Quamvis enim ibi ob junctum *faciendi* verbum ἁμαρτία denotet *Actum* peccaminosum, id tamen locum non habet in addita hac *Ratione*; ubi tale adjectum verbum, significationem vocis determinans, nullum apparet, neque articulus, etsi emphasin habere statuatur, ejusmodi determinationem inferat. Itaque non specificè, sed genericè indefinitè absolutè de *peccato* loquitur Apostolus, atque adeò de *omni*, uti etiam *Syrus* Interpres rectè animadvertit. Neutiquam tamen de *peccato* vel *Naturæ* vel *Artis*: neutrum enim *peccati* nomen in Scriptura sortitur, quantùm quidem nobis constat. Proinde de *solo* & *omni* peccato in Scripturâ reprehenso & propriè dicto agit Apostolus; sive sit Originale, sive Actuale, sive Omissionis sive Commissionis. &c. Atque hoc respectu in *Articulo* emphasis statui potest, sic ut denotet *illud solum* & *omne* peccatum, quod Scriptura ita nominat & damnat.

XIII. Quamvis verò quantùm attinet peccati *species latissimè* heic sumi debeat vox ἁμαρτία, *strictius* tamen capienda eadem est quoad *mala*, quæ significationis suæ ambitu comprehendere potest, vel etiam alibi complectitur. Nempe sic capitur vulgò latius pro *omni malo*, & quod formaliter & inseparabiliter in peccato est, & quod effectivè ex eo fluit, sive pro *aberratione*, & a *Legis* normâ, & a *felicitatis*

tatis veræ & æternæ termino. Nonnunquam tamen *strictiori* sensu adhibetur vox hæc pro illo *malo morali*, quod primò propriè formaliter & inseparabiliter est in peccato, & quod in *aberratione a Lege* consistit, ex quâ tum mala *moralia* alia Reatûs & Maculæ, ut & *physica* omnia profluunt. Ita sumitur vox ἁμαρτία in loco ferè parallelo 1. *Joh*. v. 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐςί· ἢ ἔςιν ἁμαρτία ὀ πρὸς θάνατον. *Omnis injustitia est peccatum*, seu aberratio a Legis normâ, *sed est peccatum*, seu aberratio a *Lege*, *quod non est ad mortem*, id est, quæ cum aberratione a *scopo felicitatis* veræ & æternæ non erit conjuncta, nempe per Dei misericordiam in Christo. Eundem sensum heic vox ἁμαρτία habet, & denotat *illud malum morale* quod primò propriè inseparabiliter & formaliter est in omni peccato. Quo respectu iterum *Articulus* potest habere emphasin, ut significet *ipsum* peccatum, ipsam ejus *formam*, seu quod *propriè* peccatum constituit. Unde etiam sequitur quod *peccati* vox in hac subjecta *Ratione*, non *concretivè*, ut in præcedente *propositione*, sed *abstractivè* potius sumatur a Johanne, quando de *ipso peccato*, seu primo & proprio *malo morali* quod in peccato est, affirmat in *prædicato*, quòd sit ἡ ἀνομία.

XIV. *Vulgatus* transtulit hanc vocem per *iniquitatem*, haud malè si *iniquitas* quasi *æquitati adversa* simpliciter consideretur. Optimè transfunditur à *Piscatore*, *ipsa discrepantia à Lege*. Per *Legem* intelligimus omnem Divinam Legem hominibus præcipuè datam, sive ex natura Dei & hominis in certo statu constituti, sive ex mero Dei arbitrio fluat: sive sit naturalis cordi impressa *Rom*. II. 14, 15. sive scripta extet in Verbo Mosaico Prophetico & Apostolico; sive denique sit æterna Lex Regia & Libertatis de Amore Dei & proximi, sive temporalis & positiva, quamdiu illius obligatio durat. Rectè *Beda* in locum hunc. *Tom*. v. *Omnes enim qui peccant, prævaricationis rei sunt, hoc est non solum illi qui data sibi* scriptæ Legis *scita contemnunt, sed &*

illi qui innocentiam Legis naturalis *quam in protoplasto omnes accepimus, sive infirmitate, sive negligentia, sive etiam ignorantia corrumpunt.* Vox ipsa porrò composita ἀνομία denotat, non *privationem Legis ipsius*, sed conformitatis cum ea debitæ, seu *dislegalitatem* & *contralegalitatem* ipsam. *Propria* hæc enim vocis significatio *abstractiva* hîc omnino ab Apostolo intenditur. Aliàs enim *hæc Ratio non esset bona sed tautologica. Tautologia* enim manifesta foret, si hic esset dicti sensus: Qui Actum peccaminosum facit, etiam Actum dislegalem facit: Nam Actus peccaminosus est Actus dislegalis. *Certè qui non concedit, quod, qui facit Actum peccaminosum, etiam faciat Actum dislegalem;* ille nunquam de contrario convincetur hoc ratiocinio; Quia Actus peccaminosus est Actus dislegalis, sic enim probaretur idem per idem; uti benè observavit *Seb. Schmidius* in *Collegio Biblico. Itaque*, inquit ille, *Apostolus rationem sumit à formali*, hoc modo, *Quisquis facit Actum peccati*, is etiam facit *Actum dislegalitatis: quia peccatum formaliter consideratum, nihil aliud est, quam dislegalitas. Atque ubi idem formale est rei, ibi eadem res est, adeoque idem Actus qui peccatum est in concreto, erit etiam dislegale quid in concreto.* Minus rectè itaque à *Beza* ἡ ἀνομία transfertur, *quod sit contra legem*; & malè à *Flacio Illyrico*, *quicquid est alienum à Lege*, quia *concretivè* sic magis vocem sumit; longe pejor verò est abusus hujus translationis, quando ex eâ probare conatur ipsam hominis substantiam esse peccatum; perperam exponitur denique *à Grotio*, *actus quivis quem scias & sentias pugnare cum aliqua lege Dei:* Cæterùm egregiè quoque vim *articuli* expressisse mihi videtur idem *Piscator*, quando ἡ ἀνομία ipsi est *ipsa* discrepantia à lege. Ita ille in *Scholiis*. *Per pronomen* Ipsa *puto rectè exprimi vim articuli* ἡ, *ut cum Græci dicunt*, ἡ ἡδονὴ ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν voluptas est ipsum bonum: *hoc est*, *voluptas* nihil aliud *est quam bonum. Sic dicitur hoc loco*, *peccatum* nihil aliud *est quàm discrepantia à Lege.*

XV. Hæc est celebris illa peccati *Definitio*, intimam ejus naturam ac formam explicans, quæ *perfecta* dici potest in suo genere, (conceptus enim abstractivi, privativi &c. propriè definiri nequeunt secundum canones Logicos), & est verè *adæquata* & *reciproca*, ita ut dici æque possit ἡ ἀνομία ἐστιν ἡ ἁμαρτία, quàm dictum est ab Apostolo ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία; quod & confirmatur ex *Cap.* v. 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί. Ubi ἀδικία, non injuriam & injustitiam specialem, sed generalem notat, atque æque latè patet ac ἀνομία. Conjugata enim vocabula δικαίου & νομίμου eandem vim habent apud *Aristotelem* Ethicorum quinto, ubi disputat sub initium, τὸ δίκαιον εἶναι νόμιμον. Sicuti etiam Socratem supra audivimus dicentem, ὁ μὲν ἄρα νόμιμος δίκαιός ἐστιν· ὁ δὲ ἄνομος ἄδικος. Vide *Rainoldum* in *Cens. Lib. Apocryph.* Tom. II. Præl. CLXV. p. 591, 592. & *Flacium* in *Glossa Compend. super* 1. *Joh.* III. 4. & *Aretium* in *Locum.*

XVI. Ex hac porro peccati Definitione sequuntur manifestè hæ *Theses*. I. Datur Deus Legislator, a quo totum genus humanum moraliter dependet, Judæi pariter & Gentiles, qui, cum *peccatores* dicantur *Gal.* II. 15. *Lege* etiam Divinâ tenentur, naturali saltem & æternâ cordi inscriptâ, *Rom.* II. 14, 15. Omne peccatum enim est ἀνομία: οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις *Rom.* IV. 15. II. Haud plena & recta est peccati illa definitio, *ergo peccatum est*, *Factum vel Dictum vel Concupitum aliquid contra legem æternam*, quam proposuit *Augustinus* Lib. XXII. Cap. 27. contra *Faustum Manichæum*, quamque ex hoc loco Johanneo assumsit juxta *Ugonem Cardinalem*, & quam, juxta *Bellarminum*, *Theologi magno applausu receperunt*, *nec immerito*. Sic enim certam modò speciem peccati, quod est *commissionis*, definivit, non *omne*, quod ex hac definitione Apostolica peccatum est. Certe cum omne peccatum sit ἀνομία, & omnis ἀνομία sit peccatum, sequitur manifestè quòd *Omissio* virtutis præceptæ, ut & *Absentia Rectitudinis* debitæ adesse Facultatibus & Habitibus nostris, cum utraque sit ἀνομία,

etiam pro *peccato* haberi debeat. III. Unde etiam & hoc consequitur, quod depravatio naturæ & *Concupiscentia* in *renatis reliqua veri nominis peccatum* sit, sua natura dignum odio Dei & damnatione. Dicitur enim hæc concupiscentia *peccatum* à Paulo *Rom.* VII. 7. 8. 9. 11. 13. 17. 20. 23. ergo est ἀνομία, nam omne peccatum est ἀνομία. Et si est ἀνομία, peccatorem *reum* facit coram Deo, & æternæ maledictioni subjicit. Quodcunque enim Legi repugnat maledictum reddit & execrabilem *Deut.* XXVII. 26. *Gal.* III. 10. *Jac.* II. 10. *Quisquis enim totam legem observaverit, impegerit autem in uno,* γέγονε πάντων ἔνοχος *factus est omnium* (pœnarum) *damnas.* Hoc tenendum est contra *Tridentinorum* decretum, anathema vibrantium in eos, qui negant, per Christi *gratiam, quæ baptismo confertur, tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet*, id est, suâ naturâ dignum est damnatione & odio Dei. Perplexus & salebrosus hîc est *Bellarmini* discursus, *de Amiss. grat. & statu peccati Lib.* V. *Cap.* XIV. Modò concedit *Concupiscentiam* esse ἀνομίαν & *peccatum*, si *largo modo* & *impropriè* sumantur hæc vocabula, *quemadmodum omne vitium, omnisque recessus à regula, vel ordine, non solum in moribus, sed etiam in natura, & arte dici potest esse peccatum*, quasi esset hæc generalissima peccati etiam naturæ & artis definitio, quæ largo modo *Concupiscentiæ*, ut in qua est naturæ depravatio, non tamen morale ideo peccatum, applicari posset. Modò autem dicit *propriè* vocem ἀνομίας accipere Johannem, verùm tunc *negat*, *Concupiscentiam renatorum esse* ἀνομίαν, seu *ipsam repugnantiam ac deviationem* à Lege, ac consequenter *peccatum formaliter; Non* enim, inquit, *quod dissidet* a legis norma v. g. *Diabolus, Homo, Actio ipsa formaliter peccatum* est. Verùm sic pugnat cum umbra sua; minimè enim nos ex hoc loco inferimus *Concupiscentiam*, quatenus est *potentia habitus* vel *actus*, esse *ipsam* ἀνομίαν *Illegalitatem*, sed *Illegalem*, eique ut *peccato* in concreto consideratæ, adhærere ἀνομίαν, quæ ex intrinseca natura sua damnationi subjicit, etiam Renatum; & hoc sequitur

tur ex definitione hac Johannea, quâ omnis *peccati Forma* ponitur in ἀνομίᾳ *Illegalitate*. IV. Porro si omne peccatum est ἀνομία, & omnis ἀνομία vel minima *maledictionem* meretur omnem & æternam, nullum datur suâ *naturâ peccatum veniale*, quale tamen statuunt *Pontificii* & *Sociniani*. V. Et si peccatum *formaliter* est ἀνομία, & hæc locum habet ubi est *absentia conformitatis* cum *Lege* perfectissima & sanctissima in facultatibus habitibus inclinationibus & primò primis motibus, sequitur manifestè, quòd ubicunque illa absentia rectitudinis requisitæ datur, etiam *peccatum* detur, etsi voluntatis nostræ decretum personale aut actuale non præcesserit, atque adeo τὸ ἑκούσιον *voluntarium* undique & ab omni parte non esse necessarium, ut sit *peccatum* in nobis. VI. Præterea quamvis minima *aberratio* à Lege pœnam mereatur omnem ac æternam, atque hoc modo omnia peccata *paria* dici queant, sunt tamen *subjectivè inæqualia*, quia hæc aberratio & deviatio à Lege seu ἀνομία, quæ peccatum constituit, major vel minor esse potest. Ille enim longius recedit à rectitudine Lege præscriptâ, qui homicidium ipso actu committit, quam qui modò intra se cogitat. VII. Denique Ille demùm vere sanctus est, & decenter & Deo grato modo à peccato abstinet, illudque odio habet & fugit, qui id facit, non tantùm quia in eo est aberratio à termino felicitatis veræ & æternæ, miserosque & infelices reddit, sed etiam & magis quia in eo est aberratio à scopo *Legis* seu ἀνομία, & disconvenientia cum sanctissima Dei voluntate. VIII. Tandem si τὸ *formale omnis* peccati, seu id quod *proprie* peccatum constituit, in conceptu ejus *formali*, sit ἀνομία; & ἀνομία sit *privatio* conformitatis cum Lege sancta; sequitur irrefragabiliter, quòd *omne* peccatum, non tantùm *Omissionis*, sed & *Commissionis*, *propriè* sit *abstractum* quid, *nihilque aliud*, quàm *privatio* conformitatis cum lege, & consequenter quòd ipsa Facultas, Habitus vel Actus peccaminosus, non sit *ipsum peccatum*, ut quod *nil aliud* est quam *ipsa* ἀνομία, etsi *improprie* & *concretivè* sumto peccati vocabulo,

lo, Facultas, vel Habitus, vel Actus, ut τὸ *Materiale* peccati, connotetur vulgò.

XVII. Hæc *Veritas* adeò clarè & liquidò ex hac *Definitione omnis* Peccati Apostolicâ constat, ut nullo alio argumento opus habeamus ad refutandam illorum sententiam, qui statuunt, *peccati notionem* verè & proprie esse *concretivam*, illudque esse aliquid *Positivum* & *Reale*, & *Habitum Actumque*, certo modo contra Legis Dictamen, *Determinatum* seu *Modificatum* esse *ipsissimum peccatum*. Non desunt interim nobis & alia, ex quibus hæc eadem veritas amplius roborari queat. I. Certè peccati *Nomina* varia Hebræa & Græca, *abstracta*, & *privationem* rectitudinis debitæ significantia, omnino docent proprium & formalem peccati conceptum non esse concretivum sed abstractivum, & peccatum constitui per id, non quod est, sed quod *deest*: qualia sunt חטאה *Aberratio* à *scopo*, פשע *defectio*, עון *perversitas iniquitas*, defectus rectitudinis, עול *injustitia*, ἁμαρτία *non apprehensio* scopi, ἀνομία *discrepantia à Lege*, ἀδικία *injustitia*, ἀπείθεια *inobedientia*, ἀσέβεια *impietas*, *&c.* II. Omnis *Habitus*, & *Actio* est *perfectio*, quæ *ponitur* in subjectis: *Actio* est *perfectio*, quia perficit potentiam; & *Habitus*, quia facilitat ad agendum. *Peccaminosus* ergò tantùm evadit Habitus vel Actus propter defectum perfectionis alicujus alterius speciei, quæ adesse debebat ex Lege, qui *defectus* perfectionis *moralis* consequenter *propriè* peccatum est, & *tantùm*, nil aliud, ut *peccatum propriè* concipi potest & debet. III. Actus quà actus physicus totus, qui verè existit extra mentem & cogitationem, vel extitit, certo modo circumscriptus & determinatus ad idem objectum, nunc peccaminosus est, existente lege, nunc verò non item, non existente lege; imo bonus est existente lege contrariâ: ergò Actus quà Actus totus, & quatenus verè existit, seu quoad materiale & formale ejus, non est *propriè* peccatum, aliàs semper esset peccatum, sed *sola Disconvenientia* ejus cum *Lege* datâ nec abolitâ hactenus. *Occidere hominem* est Actus certo modo

do circumscriptus; hic bonus & rectus est, si fiat à Ministro publico, jussu Magistratus, quia convenit cum Lege *Gen.* IX. 6. malus idem & improbus est, si fiat à Latrone in silva, quia est contra Legem *Exod.* XX. 13. Rursus *Circumcidere puerulum* Actus est determinatus ad certum objectum, & bonus est, existente circumcisionis Lege *Gen.* XVII. malus verò existente Lege contrariâ *Gal.* V. IV. Quia omne *Physicum Reale* & *Positivum* à Deo ut Caussa prima est, atque adeò *Actus* etiam *totus*, determinatus ad certum objectum, ab ipso est, juxta illud, *In Ipso Movemur Act.* XVII; sequitur manifestè quod *ipse Actus* non sit *peccatum*. Aliàs sequeretur; quòd Deus perfectissimus suâ omnipotentiâ produceret & *poneret* in creaturâ rationali aliquid *Reale* & *Positivum*, quod distortum in se ac perversum, odio abominatione & pœna dignum esset, & quod Actio à Deo producta *mala* esset per *id quod esset*, atque sic Deus esset *Auctor Peccati* odio & abominatione dignus. Horresco hæc scribens, & nullus sanæ mentis homo absque horrore hæc cogitare potest. V. Quoniam hæc consequentia, absurda & impia, evidens est, sequitur porro quòd, si nolimus admittere sed detestemur illam, uti decet, velimus tamen ipsum Actum esse peccatum, necessariò debeamus statuere, quòd dentur Motus & Actus quidam, v. g. in *furto adulterio scortatione &c.* qui secundum suum reale esse in Deum referri nequeant, sed ab ipso independentes sint; imo necesse est, ut ponamus quoque Substantias, per motus v. g. & actus *adulterii* & *scortationis* productas, quarum Deus non est prima Caussa: uno verbo necesse erit, ut vel alterum Principium mali caussa & independens à Bono statuatur, quod Manichæis; vel tota Dei providentia circa Actiones nostras ponatur, sive in nuda virium agendi conservatione, sive in generali influxu à creatura determinando, quod Pelagianizantibus placet, & in Deum independentem Caussam omnium primam valde injurium est. VI. Accedit tandem *Consensus* Veterum. *Chemnitius* in *Loc. Comm.* de *caussa peccati*,

cati, *cap.* v, observat, *Augustinum contra Manichæos tractantem præcipuos nervos refutationis in eo constituere*, *MALUM NON ESSE NATURAM SEU REM POSITIVAM.* Idem *Augustinus* in *Confessionum* Libris, Cap. 7. conqueritur, unam è præcipuis seductionis suæ, (per tempus enim annorum novem in Manichæismi tenebris volutatus est,) caussam fuisse, *quia non noveram*, inquit, *malum esse privationem boni.* Idem *Lib.* I. *contra Julianum* scripsit, *nec aliquid esse malum*, *nisi à bonitate defectum.* Similiter de *Civit. Dei Lib.* XI. *Cap.* IX. *Mali natura nulla est*, *sed amissio boni mali nomen accepit.* Et in *Enchiridio* ad *Laurentium.* *Cap.* XI. Quid *est aliud*, *quod malum dicitur*, *nisi privatio boni?* Et *Cap.* XIII. *Omnis natura etiamsi vitiosa est*, *in quantum natura est*, *bona est*, (& consequenter à Deo, juxta Augustinum, qui hoc continuò inculcat, omne bonum, & quod ullo modo est, quod *naturam* appellat, à Deo esse,) *in quantum vitiosa est*, *mala est.* Eodem modo & alii Patres, etiam *Græci* locuti sunt. *Basilius Magnus* Tractatu, quod Deus non est Auctor malorum, inquit, στέρησις ἀγαθοῦ ἐστὶ τὸ κακὸν . . . καὶ τὸ κακὸν οὐκ ἐν ἰδίᾳ ὑπάρξει ἐστὶν, *Privatio boni est malum* . . . . *etiam malum non est in aliquâ propriâ subsistentia.* Vide *Georgium Calixtum* in *Appendice Dissert.* de *Myst. Trin. ex Solo V. T.* probando §. XXIX.

XVIII. Dolendum profectò est, quòd pro hac veritate disputare debeamus hoc tempore contra tam multos & varios. Nempe *non tantùm* contra *Manichæos* Veteres, qui docebant, uti idem *Calixtus* notavit, *quasdam res extra nihil positas & essentia præditas secundum se & hanc ipsam suam essentiam malas esse*, *& proinde etiam a Deo non esse*, *sive in Deum referri non posse* . . . . . . *Et malo essentiam adeo solidam & realem tribuebant*, *ut etiam substantiam esse*, *quatenus substantia contra accidentia distinguitur*, *fingerent* . . . . *Quamvis autem Manichæi*, *ut monuimus*, ita pergit Vir ille Doctissimus, *Malo substantiam*, *quæ accidenti opponitur*, *tribuerent*, *Augustinus tamen*, *quando de malo disputat*, *ab eo non mo-*

modo substantiale, *sed omne verum & reale esse removet: atque adeo substantiam pro eo, quod extra nihil positum & aliquo esse præditum est, usurpat. Neque tantùm* contra *Flacium Illyricum*, qui ex hoc Loco etiam perperam collegit, VERE PECCATUM *esse quicquid* in homine *alienum est* à *lege*, sive sit SUBSTANTIA *hominis*, ut *pessimum ejus cor ac mens*, *sive sint qualitates aliquæ ejus*, *sive* ACTIONES *sive passiones &c. Neque tantum* contra *Remonstrantes*, quibus hoc valde placet, (ut liberæ actiones eò facilius credantur à Deo, non quidem Creatore & virium Conservatore, sed præmovente & prædeterminante Caussâ, independentes;) quòd *peccatum* sit *aliquid positivum*, *non nuda tantum privatio*; quod *peccatum sit* ipsa *actio positiva*; *quòd peccatum non sit ens*, *si ens in primaria suâ significatione accipiatur*, *pro substantia*, *sed si actiones etiam sub nomine entis comprehendantur*, *ut vulgo fit à Philosophis*, *peccata quæ sunt actiones*, *licet vitiosæ & à Deo prohibitæ*, *entia erunt*, aut saltem *modi entium*; sicuti nec displicet ipsis, quòd *actus lege vetitus sit ipsa inordinatio*, *sicut actus lege præscriptus est ipsa virtus sive ordinatio voluntatis aut actionis ad legem*; & denique quod illi, *qui operosè hic laborant*, *ut ostendant in actu lege vetito duo esse*, *quæ realiter à se invicem distinguuntur*, *Actum scilicet & Vitiositatem actus*, *atque isto fundamento nixi*, *tuentur sententiam & thesin suam*, *quod Deus providentia sua efficace & irresistibili versari possit circa actum lege vetitum*, *quatenus actus est*, *non quatenus vitiosus actus est*, *ingenio suo abutantur & operam ludant*; Vide *Limburgium*, *Theol. Christ. Lib.* v. *Cap.* iv. *Curcellæum*, *Instit. Rel. Christ. Lib.* iv. *Cap.* ii. §. i. iii. & *Episcopium*, *Instit. Theol. Lib.* vi. *Cap.* xi. *Neque etiam tantùm* contra quosdam *Lutheranos Theologos*, de quibus conqueritur *Calixtus*, in *Appendice Dissert. de Mysterio Trin. è solo V. T.* probando, §. xii. quòd ab orthodoxia antecessorum recesserint, dum *nihil minus ferre potuerunt*, *quàm formale peccati in privatione constitui*, *& non in re positiva. Quæstio autem est*, inquit, *de ipso formali*, *nempe de eo*, *quod facit ut peccatum sit peccatum*,

ſive quod conſtituit peccatum in eſſe peccati; nam alias & materialiter peccata actualia pleraque eſſe actus poſitivos, & in peccato ipſo originali deprehendi aliquid habituale & poſitivum nemo negat: & §. XXVIII. de *Hulſemanno* hunc in modum ſcribit: *Quantum adſequi licet, adſtruit habitus motuſque Vitioſos & actiones Vitioſas ſub eâ ratione peccata eſſe, quâ ſunt habitus, motus & actiones; ſive quatenus ſunt habitus, motus & actiones, eatenus quoque eſſe peccata; ſive per idem conſtitui in eſſe peccati, per quod conſtituuntur in eſſe habituum, motuum & actionum; ſive idem formale facere, ut ſint habitus, motus aut actiones, & ut ſint peccata. Hujuſmodi igitur habitus, motus & actiones, ſecundum ſuam realem, veram & poſitivam entitatem eſſe mala: & proinde in Deum, tamquam primam cauſſam, non referri. Subſtantias quidem omnes concedit à Deo dependere, ſive earum primam cauſſam Deum eſſe: at de habitibus, motibus & actionibus idem non concedit. Juxta ipſum enim* accidentia moralia poſitiva, determinantia voluntatem hominis ad pravum, *quum ſunt mala ſecundum totum ſuum eſſe, à Deo tanquam primâ cauſſa non dependent. Hactenus quidem* (hoc ſubjicit ille Vir Doctiſſimus) *ratum fuit & conſtanter creditum, Quidquid ſit & vere exiſtat, id aut creatorem eſſe, aut creaturam. At intra annos non adeo multos prodiit dogma, quo adſeritur, Eſſe aliquod verum, reale & extra nihil poſitum ens, quod nec Deus ſit, nec à Deo dependeat: habitum videlicet, actum & motum quendam poſitivum, præditum eâ vi & efficaciâ, per quam voluntatem hominis ad pravum determinet. Cæterùm olim, quin noſtrâ etiam memoriâ longè aliter docebatur Wittebergæ.* Dolendum eſt, inquam, nos veritatem hanc tueri debere, non ſolùm contra hos omnes, extra Eccleſiæ noſtræ communionem poſitos; *Verùm etiam* contra *Celebrem* in vicinâ Academiâ ex noſtris *Theologum*, ante aliquot dies in Domino defunctum, antequam hæc noſtra Diſſertatio, non ſcripta, ſed Typographo tradita eſſet.

XIX. Scilicet hic *Vir Celebr.* anno ſuperioris ſeculi MDCXCVIII. *Theſes Thelogicas* de *Natura Peccati* in Academia

mia ventilandas proposuit, postea editas, in quibus hanc communem Orthodoxorum sententiam sibi refutandam sumsit, quâ statuitur, *Peccatum* propriè *esse quid privativum*: cui se opponens affirmat; quod *notio peccati* VERE *sit notio rei* CONCRETÆ, §. 50; quod *peccatum nobis dicatur* & VERE *sit*, *non ipsa vitiositas sive peccaminositas* (κακία) *in abstracto considerata*, *sed* IPSE ACTUS *vitiosus*, IPSE, inquit, ACTUS, *cui vitium inest*, & *in Habitualibus peccatum sit* IPSE HABITUS Vitiosus; quod *qui peccatum commissionis describere vult*, ... *quatenus verè prædicari potest hoc vel illud esse peccatum*: *non debeat dicere*, *illud esse* privationem, *sed esse* ipsum Actum, *de quo quid privative negari potest*, §. 52; quòd *de omni quidem peccato aliquid privativè negari possit*, *sed* quòd *propterea tamen conceptus omnis peccati* NON ABSOLVATUR SOLO *conceptu* PRIVATIONIS, quia *peccatum Actuale ipsi scilicet obversatur ut Actus*, *qui suam habet* Formam, *suum* Modum, *qui* Formæ *sive* Modo *Actus Boni est oppositus*, & *à Lege damnatus*: *quæ* Forma *sive* Modus *Actus illius*, *cum excludat Formam sive Modum Actus laudabilem*, *convenientem divinæ Legi*, *dicitur* Peccatum, §. 53; & quidem *proprie*, §. 54; quòd consequenter *Peccatum Commissionis sit quid* REALE, h.e. MODUS *Entis Intelligentis damnabilis*, *non conveniens* Modo *aut* STATUI *Entis Intelligentis*, *quem Lex aut Ratio laudant ut bonum* & *rectum*; *qui* Modus *cum tantùm Realitatis habeat*, *quantum habet Bonus*, *non potest dici* NIHIL, *sed* VERE *est* QUID, *est*, inquit, QUID MODALE, §. 20. Statuit itaque, non *Actum* & *Habitum*, in genere, qui nullibi verè existit, sed *certo modo determinatum*, & *modificatum*, atque *Sic Legi* contrarium, esse *ipsissimum peccatum*, qui hominem facit damnabilem coram Deo, eique difformem. Prorsus profectò contra *Rationem* & *Scripturam*. Nam Actus Physicus, totus quantus, certo modo determinatus & modificatus, est quid *Bonum* & *Perfectio*, & à Deo ut Caussa prima omnis boni & realis productus. Dein-

de Apostolus docet in Loco nostro, quem vix tetigit *Vir Clar.*, quod *omne peccatum*, non modò *Omissionis*, quod concedit *Vir Celebr.*, sed & *Commissionis*, *propriè* sit, non quid *Concretum*, sed quid *Abstractum*, non quid *Reale* & *Modale*, sed quid *Privativum*, cujus *conceptus formalis* absolvitur *Solâ Privatione convenientiæ cum Lege*, quando dicit esse IPSAM Ἀνομίαν, id est, *nihil aliud*, quàm ἈΝΟΜΊΑ, uti supra visum est.

XX. Audiamus *Rationes* Viri *Celeb:*, quibus huic dicto Johanneo apertè contrariam sententiam, eamque verè periculosam, sibi persuaderi, passus fuit. *Prima* petita est ex communi omnium de *peccato* loquendi usu, & cogitandi modo, ut de quo nemo aliter cogitet, nec cogitare possit aut loqui, quàm ut de Ente aliquo *positivo* & *reali*. *Interea certum est*, inquit, *neminem de* Peccato Habituali & Actuali, *quod* Commissionis *vocant*, (Omissionis *enim* delicta *per* negationem privativam *exponenda esse*, *ultrò concedimus*:) posse cogitare, *quin ipsi* Positivum & Reale *aliquid observetur*; . . . . . Ipsi, *inquam*, illi Actus, *adversus Leges divinas & humanas commissi*, id ipsum sunt, *quod* peccatum vocare solemus: *qui omnino sunt* aliquid, *non* nihil, §. 45. 46. 47. Hujus *Rationis* infirmitas patebit ex sequentibus Observationibus. I. *Peccati* Vocabulum variè sumitur, impropriè & latiùs, quando *concretivè* adhibetur, propriè verò & strictius, quando *abstractivè* capitur. II. Utroque modo & cogitamus & loquimur de *peccato*, & ipsa Sacra Scriptura loquitur, uti supra ostensum est. III. Latior peccati conceptus *concretivus*, & de eo loquendi modus vulgarior, non tollit strictiorem & proprium ejus conceptum *Abstractivum*, talemque de eo loquendi modum, etiam in Scriptura fundatum, qui obtinet apud Metaphysicos, & Theologos, qui indicaturi id quod *proprie peccatum* est, & quod nos damnabiles & difformes Deo reddit, τὴν ἀνομίαν, ut quid *abstractum* & *privativum*, ab ipso *Habitu* & *Actu*, feliciter & optimo jure distinguunt: Ut adeò falsa sit assertio, si universalis, quòd

quòd *ipsi illi Actus, id ipsum sint, quod peccatum* vocare solemus, uti ait *Vir Doctissimus*. IV. Si quis verò ita *vocet*, nec aliter *cogitare* de peccato valeat, id sibi imputet, suarum autem cogitationum confusionem, ideasque suas minus claras & distinctas, modosque loquendi suos, ut veritatis regulas aliis obtrudere non debet, nec temerè affirmare, *peccatum* absque actu & habitu substrato *concipi non posse*, uti facit *Vir Celeb.* §. 48. Sic in memoriam non revocans sibi id quod de *peccato Omissionis* modò dixerat; nec cogitans, quòd quamvis *Nihil purum* concipi nequeat; *Nihil* tamen *privativum*, cum sit defectus alicujus Rectitudinis debitæ adesse, sic, non à parte sui, nam est nihil, sed à parte Entis, cui aliquid deest, concipi possit, & pertineat ad Entia Rationis, uti dicuntur, quæ à mente formantur intuitu Entis vere existentis. V. Si Vocabulum *Peccati concretivè* sumatur, verissimum est quod *plus* dicat quàm *Vitiositas*, *κακία*, non tamen inde sequitur, quod peccatum *propriè* dictum, quatenus in mente Dei ejusque Judicio consideratur ut abominabile & damnabile, sit *plus* quam *ἀνομία* & *κακία* in *abstracto*: Ut adeo ignorationem Elenchi commiserit *Vir Clar.* quando ex Vocibus *concretis* earumque significatione pro caussa suâ hunc in modum disseruit §. 51. *Ut Rex in conceptu quid aliud est quam Regia dignitas, aut Officium, abstractè consideratum; Pater quid aliud quam paternitas; Homo quam humanitas, Vir Doctus quam Doctrina: Legislator quam Potestas Legislatoria: sic id quod* Peccatum *vocamus aliud & plus dicit, quam* Vitiositas, Peccaminositas, *κακία*, *in Abstracto & Metaphysicè considerata.* Verum hoc est, si peccatum *concretive* sumas, sed foret quoque Petitio principii, si supposuerit Vir *Celeb.* in hac argumentatione suâ, *Peccati notionem* esse *verè concretivam*; quod omnino negamus, *vulgo* esse *concretivam*, *concedimus*.

XXI. *Secunda* ejus *Ratio* desumta est ex *Effectis* præcipuè peccati *Realibus*; in *Deo*, cujus gloria obscuratur; in *Subjecto peccante*, qualia sunt Reatus, Macula, Pœna; in *Proximo*, cui damnum infertur. Necesse est itaque ut *Peccatum*

catum sit aliquid *Reale*, ne *plus* statuatur in *Effecto*, quàm est in *Caussa*, & ne *Nibil* ponatur *Caussa* Realitatis. Hanc *Rationem* latere puto hisce in Verbis Viri *Clar*. §. 48. *Si de Attributis*, *Effectis*, *aut Consequentibus* Peccati *cogito*, *ut* v. gr. Peccatum *esse* quid *Pugnans cum æquo & bono*; quid *damnabile*; quo *obscuretur Gloria Dei*; quo *Deo quasi insidiæ struantur*; quo *damnum inferatur proximo*; quod *conturbet universum mentis statum*; *singula hæc in conceptu supponunt aliquod* Reale, *quod sit* vel Ipsum Peccatum, *cujus hæc sunt Attributa aut Effecta*, vel Peccato *eum in modum substratum*, *ut* Peccatum *absque eo concipi nequeat*. Vide etiam §. 59. Respondeo: I. Confundit Vir *Doct*. peccatum *concretè* sumtum, cum Peccato *abstractè* sumto. *Actus furti* pugnat cum æquo & bono, & damnum infert proximo, & ideo est *Actus vitiosus peccaminosus* & *illegalis*, sed *non ipsum Vitium*, *peccatum* propriè dictum, ἀνομία. II. De *Nibilo Negativo* & *Puro* verum est, quod non possit esse caussa Realitatis vel Efficiens vel Materialis, sed de *Nibilo Privativo* falsum est. *Peccatum* est *Privatio* Rectitudinis quæ inesse debebat ex lege in subjecto habili, consequenter aufert aliquid a subjecto illo, quod Lex in illo requirebat, & proinde maculam & deformitatem in subjecto illo producit, atque illud ipsum Reatui & Pœnæ *Meritoriè* subjicit ex lege condemnante peccatorem. III. Si Ratio hæc valeret, quidquid pugnat cum lege, damnum infert proximo, damnabilem atque difformem reddit, est aliquid *Reale*; Sequeretur quod Peccatum *Omissionis*, pugnans cum lege Dei, damnum quandoque inferens proximo, damnabilem reddens hominem *Matth*. xxv. esset quoque quid *Reale*; de quo tamen liberaliter, nec aliter potest, Vir *Clar*. concedit, esse exponendum per *Negationem privativam* & *Nibil privativum* §. 45. 65.

XXII. *Tertia Ratio* hæc sit: Quodcunque *verè est* & *datur* in *rerum Natura*, non debet *describi* per *Privationem*; *Privationes* enim, uti *reliqua abstracta Logica*, *seorsim à subjectis*

jectis suis non existunt, nisi in conceptu Mentis. Atqui *Peccatum Commissionis verè est* & *datur in rerum Natura*; Ergò non debet dici, illud esse *Privationem*, *sed esse ipsum* Actum, *de quo quid* privative *negari* potest; §. 52. Ad hanc Rationem observo: I. Peccatum in *Concreto* consideratum verè est & existit in rerum natura, non tantùm in *Mente*, sed hoc non dicitur à nobis *Privatio*, verùm Habitus vel Actus *Vitiosus*. II. *Vitium* autem *ipsum* seu *peccatum propriè* dictum, quod est ἀνομία, non verè existit nisi *in Mente finita* vel *Infinitâ*, *creatâ* vel *Increatâ*, estque verè non quid sensibile sed *Intelligibile*. Et hoc sufficit ad Effecta illa Reatus Maculæ & Pœnæ producenda, ut & ad consequentia confessionis & pœnitentiæ Officia humana, & ad Remissionis gratuitæ & Sanctificationis Beneficia divina.

XXIII. *Quartò* argumentari videtur (si mentem ejus bene adsecutus sim, in prolixiori discursu §. 53.—58. brevitatis caussa, quantâ tamen fieri potest perspicuitate, contrahendo) ex *Analogia*, *&* *Peccati Artis*, & *Corruptionis Physicæ*, & denique *Mali Tristis*. Ut quod *Peccatum* & *Malum omne* constat non tantùm *privatione Boni*, sed & *positiva* & *reali Forma* sive *Modo*, qui cum ejus privationis sit *Caussa*, etiam ea propter *in se peccatum* est. *Peccatum Artis* est *Linea curva*, ad Exemplar Lineæ rectæ, uti deberet, haud exactè ducta; in qua *duo* sunt, quæ *peccatum hoc* constituunt. Primum est *Privatio* rectitudinis, quæ deberet adesse juxta *Normam* Lineæ rectæ, seu quòd *non sit recta*. Alterum est, quòd *curva*, *obliqua*, *inflexa* sit, *figuræ multilateræ*. Quæ *Figura* verè est quid *Reale*, nec minus Reale, quàm Figura rectæ. Eodem modo judicandum est de *Peccato Morali*. *Curvatura Lineæ*, inquit Vir *Clar.*, *quæ mihi Peccatum dicitur*, *quatenus* non *habet figuram lineæ rectæ & uniformis*, *eatenus rectè dicitur*, *illius Peccati naturam resolvi in* Privationem: *sed quando eam in se considero*, *dici debet esse quædam* Figura Lineæ, *figuram* rectæ *excludens*. Similiter *Corruptio Physica* Corporis per Cæcitatem v. gr., Febrim, Phtisin,

 Mor-

Mortem; est quid *Privativum*, si spectetur *Absentia conformationis partium corporis naturalis & hominibus salutaris*: & est *Aliquid* Positivum, *si privationem consideres cum caussâ suâ*, h. e. *ipso illo* Modo existendi *illius corporis*, *quem* propriè *putredinem* sive *Corruptionem* vocamus. *Putredo* enim seu *Corruptio*, *aliaque ejusdem generis*, *quæ inter* Privativa *recenseri solent*, *sunt* Modi existendi in *subjectis*, *de quibus prædicantur*, *quæ considerantur ut* Caussæ *absentiæ sive privationis aliorum* Modorum, *illis oppositorum*. *Idem de Peccato*, *formandus est conceptus*, *sive Habituali sive Actuali*. Denique *Conceptus Mali Tristis*, *quod utique tanquam* cognatum quoddam Mali turpis, ejus naturæ detegendæ *potest inservire*, *tam involvit conceptum* Absentiæ Voluptatis, *quæ ad Perfectionem Creaturæ Intelligentis requirebatur*, atque adeò Privationis; *quàm* Præsentiæ doloris, *qui Voluptatem excludit*, atque adeo Positivi & Realis, *quia* dolor *est affectio animi realis & positiva*. *Eadem* ratio *est* Mali, *de quo agimus*, Moralis. Ita breviter & fideliter expressimus quæ fusius dicta sunt à *Viro Clar.*

XXIV. Ad hæc omnia distinctè Respondebimus. *Primò* ad *Argumentum* petitum ex *Analogia Peccati Artis*, uti nos hoc vocavimus, dicimus hæc sequentia. I. Forma Actus boni & Forma Actus mali *opponuntur non contrariè* sed *privative*. Forma enim Actus boni, quà boni, est convenientia ejus cum Lege; & Forma Actus Mali, quà Mali, est disconvenientia cum lege, uti ipse *Vir Doct.* concessit §. 50. Atqui hæ formæ sibi non contrariè sed privativè opponuntur tantùm. II. Unde consequitur quod *Forma Actus Mali, quà Mali* (quod benè hîc tenendum est) non possit dici *Caussa Privationis*, cum sit ipsa *Privatio*. III. Forma autem Actus Physici, quæ est ejus certa quædam modificatio, non est *Caussa in se* & *per se* Privationis Rectitudinis; sed ex *Accidenti*, *per Legem* cui conformari debuit. Sic etiam *Linea Curva in se* considerata non est Mala, neque est peccatum Artis, sed *tantum respectu Lineæ Rectæ*, ad quam formari

mari & duci debebat. Ubi enim non est Lex, non est transgressio. Pone Lineam obliquam in Exemplar propositam, jam linea obliqua ad illam obliquam ducta, erit juxta normam suam recta & conformis. Sic etiam, ut hoc per modum retorsionis dicam, nullus Actus & Habitus quocunque modo determinatus & circumscriptus *in se* peccatum est, sed omne peccatum propriè dictum situm est in ANOMIA in *Disconvenientia cum Lege*. Vellem profectò Virum Doctum ad Locum nostrum Johanneum magis attendisse, quod si fecisset, frivolis fortè ejusmodi ratiociniis se à Veritate hac in parte abduci passus haud fuisset. *Secundò* ad Argumentum deductum ex *Analogiâ Corruptionis Physicæ* breviter dicimus, quòd malè sibi sumserit Vir *Celeb. Corruptionem* vel *Putredinem* ipsam esse *proprie Modum existendi* corporis. Si ita loqui liceret, vocarem ego potius *Modum non existendi*. Res quidem putris & corrupta existit, ipsa autem putredo & Corruptio constituitur per inordinationem partium, seu per Absentiam dispositionis quæ adesse debebat. Corruptio est Boni & Existentis, non est ipsum Bonum & Existens, sed ejus privatio. Malum *in se* nullum est in pulvere, in quem resolvitur hominis cadaver, neque in partium Corporis dissolutione, aliàs *Materia* ex qua formatum est corpus primi hominis ante formationem *Malum quid* fuisset: sed *Malum omne*, quod in hac dissolutione residet, est tantum ex *defectu* conjunctionis partium, quæ debebat adesse in Humano Corpore, ex primæva ejus in Integritatis statu constitutione. Similiter *Malum Physicum*, quod est in *Cæcitate* v. g. non est in dispositione partium *in se* positum, sed in *privatione* Dispositionis istius, quæ in corpore humano *Sano* requiritur. Sicuti itaque Malum Physicum propriè dici debet *Cæcitas*, non quia partium oculorum certa quædam est dispositio; sed quatenus est deviatio à scopo ad quem Natura instituta tendit. Sic etiam & magis de Malo morali judicandum est. Neque enim per omnia convenit Malum Physicum cum Morali, sed magis cum Malo Tristi, in quo po-

test esse aliquid Reale & dolorificum, a Deo inflictum. *Tertiò* denique ad Argumentum ex *Analogia Mali Tristis* desumtum observamus, quòd *Malum Triste* malè confundatur cum *Malo Morali*. Hujus enim cum illo non eadem est Ratio. *Mali Tristis* Auctor est Deus *Amos* III. 6. *Moralis* non item. Malum *Physicum* opponitur Bono *Jucundo*, *Morale* autem *Honesto*. Malum *Physicum* rursus opponitur Bono *Jucundo*, partim *privativè*, partim *contrariè*. *Privativè*, quatenus Malum Physicum est Malum *damni*, & absentia Perfectionis & Boni debiti adesse. *Contrariè* verò quatenus est Malum *sensus* seu *Dolor*. Theologi itaque, ut *Polanus*, quem laudat Vir *Doct.* qui *Malum Triste* contulerunt cum *Malo Turpi*, ut hujus Naturam explicarent, Malum Physicum *non omne*, sed illud *Damni* consideraruut, ut quod consistit in carentia Boni & Voluptatis. Neque enim aliâ ratione inter utrumque hoc Malum collatio institui debet.

XXV. *Quintò* ratiocinatur Vir *Clar. ex Materiâ* & *Formâ* Rei intrinsecam Naturam constituentibus, quæ etiam in *Peccato Commissionis* locum habent; & quidem ita; ut *Materia* ejus sit *Actus* Entis Intelligentis certâ ratione *Modificatus* & circumscriptus; & *Forma*, illius Actus *disconvenientia* cum *Lege*. *Cum autem* Materia & Forma, sic pergit ille, *Logicè sic dictæ*, *tanquam* Caussæ internæ, *sint partes rei*, *quæ ambæ ad naturam illius rei constituendam concurrunt*, *ac proin* intrinsecam naturam *illius rei nobis certò demonstrant; dicendum utique est*, Peccatum commissionis *esse quid* REALE §. 69. 70. Ad hoc Ratiocinium repono. I. Si in *Concreto* spectetur *Peccatum Commissionis*, Actus certâ ratione modificatus dicitur à Theologis *Materia* ejus, nempe *compositionis*, & Disconvenientia ejus cum lege, *Forma*; quia hæc disconvenientia propriè id constituit quod pro peccato haberi debet. II. Si in *Abstracto* consideretur, ut verè est peccatum, juxta Apostolum nostrum, Vox *Materia* nullum commodum sensum habere potest, & vocabulum *Forma* non nisi impropriè & analogicè heic adhibetur, quatenus *abstractum*

ad

ad instar Entis Realis in sermone nostro spectatur; est enim peccatum ut disconvenientia cum lege *Imperfectio*, ast forma propriè dicta perficit rem. III. Sunt tamen Theologi, qui in *Peccato Morali quà peccato*, *Materiam* quoque & *Formam* constituunt, ita ut *Actum*, non in *genere entis* consideratum, sed *in generis Moris*, Actum putà *vitiosum*, *quà vitiosum*, faciant *Materiam* proximam *ex quâ* constat peccatum, & *Formam* ipsum *Vitium*, seu *Privationem* Rectitudinis. Ita Celeb. *Maresius*, Syst. Theol. Loc. VI. VIII. in *Notis*. *Quod verò solet distingui à nonnullis inter* materiale & formale *peccati*, *ut illud Deo tribui possit*, *istud non*, *huc non pertinet*, *quia tunc* materiale *peccati sumitur pro ipso* subjecto *cui* peccatum *inest*, *sive pro actione peccaminosâ in* genere entis *considerata*; *hic verò* Materiam *consideramus peccati qua peccatum est & in* genere moris, *ut ejus quidditas* analogicè *explicetur per hæc duo principia omnium rerum constitutiva*, *quæ vulgò materia & forma appellantur : ut fatear hoc respectu* valde tenue discrimen *posse concipi inter peccati materiam & formam*. Imo potius *nullum*, nisi in *Vocibus*, ego dicerem. Cæterum qui ita fortè nimis subtiliter Philosophantur, ut *Peccato*, quà *peccato*, tribuant etiam materiam & formam, ut ejus *principia constitutiva*, plurimùm tamen dissentiunt a Viro *Clar.*, utpote *qui per Materiam*, quam vult esse *peccati principium constitutivum*, intelligit Actum modificatum in *genere entis*, seu *Physicum*; quem quidem concurrere ad constituendum peccatum improprie dictum, seu in concreto consideratum, concedimus, negamus verò eum concurrere ad intrinsecam constitutionem *peccati propriè dicti*, seu in *abstracto* considerati, quod materiâ & formâ propriè dicta caret, cujus verò *conceptus formalis* est *abstractivus* tantùm, & absolvitur *solâ disconvenientia* cum lege Dei juxta *Johannis* Doctrinam.

XXVI. Instat tamen Vir *Celeb. Materiam* hanc à *Forma* esse *reipsa inseparabilem*, ut sic etiam probaret nempe, *Actum Physicum* modificatum esse intrinsecè constitutivum peccati propriè dicti. Ita Ille; postquam ad illustrationem Argu-

 menti

menti sui ex hac Materiâ & Formâ, concurrentibus ad *Naturam* peccati constituendam, adduxisset Peccatum *Primum*, ejusque *Materiam* statuisset *Actum*, *tam determinationis Voluntatis ad edendum, quàm esus ipsius*, & *Formam disconvenientiam illius cum Lege aut Placito Dei*; conclusit: *Illa jam duo in hoc peccato ita concurrunt ad illius constituendam naturam, ut ab invicem* separari non *possint nisi in nostro conceptu. Physicè certe, positâ lege, &* Actu, *non conveniente legi, ponitur* Peccatum. Et §. 73. in eundem hunc finem adduxit in Exemplum grande illud peccatum, quod dicitur *Odium Dei*: de quo hunc in modum ibi disserit. Odium Dei, v. gr. *est Affectus, sive etiam Actus animi Vitiosus. Affectus quà affectus, Actus quà Actus, metaphysicè consideratus, bonus est. Imo talis quoque affectus, qualis* odium *dicitur, abstractè consideratus, nihil in se habet vitii. Odium enim cujus est caussa justa, non est quid damnabile.* Odium *tamen in tali Subjecto erga tale Objectum, quod à Subjecto illo secundum legem amari debebat*, physice dari non potest, nisi vitiosum *& damnabile*.

XXVII. Respondeo I. Actus *peccaminosus, quà peccaminosus*, à Peccato separari nequit, quia peccatum solum, seu *ἀνομία* facit Actum peccaminosum; verùm ideo *Actus ipse* non est *ipsum peccatum*. Natura corrupta, quà corrupta, à corruptione & peccato separari non potest, sed ideo Natura ipsa non est peccatum ipsum, non Vitium ipsum, uti contra *Flacium* dudum observatum est. Similiter Vir Doctus & Justus, quà Doctus & Justus, ab Justitiâ & Doctrinâ separari nequit, sed idcirco Vir ille non est ipsa doctrina, ipsa justitia. Nihil ergo proficit *Vir Doct.* quando de Actu *peccaminoso* contendit, *peccatum* ab eo esse *inseparabile*. II. Certissimum est, quod Actus omnes, pugnantes nunc contra *Leges* Dei *Positivas*, & ex *Liberâ* ejus *Voluntate* fluentes, positâ harum Legum vel Non datione, vel Dispensatione, vel Abrogatione, *Physicè dari possint* absque ullo *Vitio*, quia Vitium omne consistit tantùm in ANOMIA. III. Illud quod de *Odio Dei* movet, plus habet difficultatis. Non dicam, *Odium* seu

ſeu *Averſationem Dei*, bene cogniti, non poſſe dari, ſed eſſe modò odium figmenti cerebri humani, quale eſt Numen crudele ac injuſtum. Neque etiam urgebo Deum *odiſſe* eſſe tantùm Deum *non amare*, atque proinde ad *Peccata omiſſionis* pertinere, de quorum *Natura* nunc non eſt Diſputatio noſtra. Verùm *Odium* Dei, in Scripturâ memoratum, nunc tantùm explicabo per *Averſationem* Præceptorum Legis, *Actu transgreſſionis* ipſo demonſtratam. Suppono in lege Decalogica dari Præcepta *nonnulla diſpenſabilia*, quæ illum immediatum intrinſecum & inſeparabilem nexum cum Dei perfectiſſima Naturâ non habent, qualem nonnulla alia habent, adeò ut Deus homini quandoque jubere poſſit contrarium ejus quod ibi interdictum habetur, atque adeò ut *Furtum*, v.g. & *Homicidium &c.* abſque ullo Vitio patrari queant, & conſequenter dari quoque *Actus*, nunc vitioſos & ad *Odium Dei* pertinentes, qui poſitâ divinâ diſpenſatione nulli vitio forent obnoxii. Difficultas igitur maximè hærebit in Prima Legis Tabulâ, hujuſque tribus præceptis prioribus, atque adeò in *Idololatriâ*, & *Blaſphemiâ* ſeu *Abuſu* ſanctiſſimi Nominis Dei, in quibus *Odium Dei* inprimis conſpicitur & demonſtratur. De his quæritur an *poſſint phyſicè* unquam *exiſtere abſque vitio*; & an *Invocatio Solis* & *Aſtrorum*, & *Blaſphemia Dei* unquam poſſint dari abſque peccato? Sine ullâ cunctatione & deliberatione *Affirmative* reſpondebunt illi, qui haud procul à Scholâ *Archelai* & *Ariſtippi*, ſtatuentium, τὸ δίκαιον εἶναι καὶ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, inſtituti, tenent ac docent, nihil naturâ Bonum eſſe, ſed omne Bonum ac Juſtum duntaxat à Liberâ determinatione voluntatis Dei pendere. Quâ ratione quod hodie Vitium eſt, cras Virtus erit, quòd hodie Blaſphemia eſt, vel Idololatria, cras pergratus Deo cultus erit: quæ eſt profectò deteſtabilis ſententia. Dicam potius hos Actus Invocationis creaturæ & Blaſphemiæ Dei eſſe *naturâ* Malos. Sic tamen non concedo aſſertum Viri *Clar.*, nempe hos Actus, ad *Odium* Dei pertinentes, non poſſe *phyſice* exiſtere abſque *Vitio*. Sed hoc volo, quòd hi *Actus* pugnent

cum

cum *Lege* Dei immutabili & æterna, ex *Natura* ejus sanctissima fluente. Unde porro consequitur, quòd *si Mali* sint immutabiliter, id *non* oriatur ex *Natura Actionum harum physicè existentium*, verum ex *Natura Legis* Divinæ, & ex *Conditione Agentis* Hominis, sub *Lege illâ* constituti, & *Ratione utentis*. *Actiones* enim hæ *physicè* possent existere in aliis *subjectis* absque *Vitio*. Non producam *Damnatos* in Inferno, quos in Deum Judicem horrendas *Blasphemias* conjicere continuè, sed absque *peccato*, statuunt Nonnulli, quia scilicet in Inferno *nulla Lex*, *nullaque libertas esset*, quæ duo ad peccatum requiruntur: quos refutatos dedit inter Alios Theologus *Lutheranus Job. Fechtius* de *Statu Damnatorum*. Verùm velim modò attendi ad *brutum* animal & *mentis* haud *compotem* hominem. *Hic* si invocaret solem vel idolum, & *Psittacus* si imitaretur verba blasphemiæ in Deum, annon Actus Idololatriæ & Blasphemiæ *physicè* existerent absque *peccato?* Sic dici posse existimo. Quoniam peccatum est ἀνομία, & *Lex* proprie data est *Liberè Agenti*, & *Ratione Utenti*. Ergò Actus *Physicus* non est moraliter *peccaminosus* ex *Natura Actionis* ipsius, sed ex *Conditione Agentis*, qui *Lege* vel *Positiva* vel *Æternâ* tenetur. Unde quoque & hoc manifestum evadit, quòd Deus, qui est Caussa Actus Physici, neutiquam sit Caussa peccati, sed solus Homo, cui *Lex* Amoris Dei & Proximi a Deo data est. Qui nullam sibi legem fixit operandi in Homine semper, præter bonitatem *Actûs* physicam, etiam bonitatem moralem; ex cujus defectu quoque & absentiâ, liberè & sapienter permissa, occasio Deò nascitur multis modis demonstrandi gloriam suam divinam.

XXVIII. Haud fortè inutile erit nunc quoque audire *Celeb. Christophorum Wittichium*, qui in *Exercit.* de *Deo Mundi Rectore*, §. CXIV. & CXV. hanc difficultatem hoc modo expedire conatur. *In istiusmodi Actu*, inquit, *sive volitione*, *quâ* odio *quis habet* Deum, *cujus Judicium ob sua scelera metuit*, & *quem videt resistere suis cupiditatibus perversis*, *ne executioni eas mandare posset*, *ista separatio voluntatis & aversio*

à

à *Deo*, *constituens singularitatem Actus*, non videtur ullo modo posse separatim concipi ab ipsa vitiositate. *Non enim* lege positiva *probibitus est iste Actus*, (*ita enim sublata lege posset abesse actûs deformitas*) sed lege naturæ, *quæ tolli non potest; cum formaliter pugnet cum Dei natura*, *ut velit jubere istiusmodi Actum. Verum enimverò etsi Actus non possit non probiberi*, malitiam tamen sive deformitatem non habet, nisi ad legem Dei prohibentem referatur, *tanquam fundamentum suum non minus quam actus*, *quo quis vult comedere de fructu a Deo vetito*, *atque adeo propterea*, *quòd cum istâ lege Dei non conveniat*, *malus est censendus. Quamvis enim fieri non possit & contradictionem implicet istum actum non probiberi à Deo*, *verum nibilominus est*, *vitiositatem omnem istius à Dei probibitione tanquam fundamento dependere*, *sive*, *quod idem est*, *quòd repugnet Voluntati Dei*, *quâ probat sui Amorem. Si enim* per impossibile supponatur, Deum istum actum posse non prohibere, cessaret istius ipsius Actus Vitiositas formalis. . . . . *Atque ita quivis actus vitiosus*, *etsi* Vitium ab *eo* separari non queat, vitiosus solum *dicitur eo nomine*, *quod* ad legem Dei relatus *ab eâ discordet.* Odium Dei *aliter concipi nequit*, *quam ut aversatio ejus*, *qui resistit hominis cupiditatibus perversis*, ... *quique ut Judex eas summis pœnis punire paratus est.* Ergo hic *qui* odio *fertur concipit quidem eum*, *ut Deum*, *sed* conceptu *valde* confuso. . . . *Est ergo in animo ejus aversatio* Objecti sed confusè cogniti, *hic verò ipse actus singularis ut realis & a Deo effectus considerari potest*, *ut tamen à Peccato sive Malitiâ* abstrahatur, *quamvis* actu nequeat ab eo separari. *Singularitas istius actus in eo consistit*, *quòd tendat in Objectum hoc potius*, *quam aliud*, & *sic Odium Dei ab Odio Diaboli distinguitur. Malitia in eo est*, *quod tendat versus illud Objectum sub eâ ratione formali consideratum*, *sub quâ si spectetur*, *fundamentum odii esse nequit*, *adeoque quòd quamvis istud Objectum sic satis* confuse *fuerit perceptum*, *nihilominus de eo* Judicetur, *idque ita*, *ut tanquam Malum reprobetur*, *quod tamen tanquam malum nunquam clarè fuerat*

cognitum. . . . . In eo hujus actus Malitia consistit; non quòd aversetur eum qui sibi resistit, hoc enim licite aliquando fieri potest; sed quòd aversetur eum qui sibi resistit, quando non percepit clarè, an illa resistentia reverâ sit Bona vel Mala. Deus hîc efficit quidem istam perceptionem confusam, in quâ tamen formalis ratio peccati non consistit, adeoque si homo in eo subsisteret, nullum adhuc peccatum foret. Sed peccatum in eo est, quod homo judicet, *quando judicium potius erat suspendendum, quod aversetur eum, quem ut Malum non clarè cognovit. Judicium quo judicatur malus is, qui reverâ ut Malus non est perceptus, deviat ab Ordine, quem Deus creaturæ rationali præscripsit; Deus tamen illud ipsum judicium efficit, etiam quatenus hoc ipsum Objectum homo judicat esse malum; est enim actus ille in se consideratus aliquid bonum, & posset ille adesse citra peccatum, si* Lex *non* jussisset *illum abesse, sicut judicium, quo in bivio constitutus, quando res non patitur moram, judicat viam, quæ reverâ ducit Romam, non esse legitimam, non est culpabile, quia præstat illam potius viam sequi, quàm ibi subsistere, ut à nocte deprehendaris.*

XXIX. Ex Dictis patet Virum *Clar.* non habuisse rationes satis graves discedendi à communiter receptâ, atque in Scripturâ pariter & Ratione fundatâ, Sententia Orthodoxâ, & cum Remonstrantibus adoptandi sententiam verè periculosam ob Consequentias, atque concedendi, quòd ex Nostrâ sententia sequatur, Deum verè esse *Peccati Caussam.* Fatetur enim, *se hîc hærere, & id non posse percipere, quomodo,* qui est *Caussa illius Materiæ, quæ Physicè est inseparabilis à forma sua, non simul etiam dicenda erat Caussa formæ.* §. 73. Deum verò Verè Peccati Caussam esse, cum omni horrore detestandum atque repudiandum sit, ipso etiam Judice, quid imprudentior & audacior discipulus ex præmissis Doctoris sui aliud concludet, quàm Actiones nostras Liberas à Deo Caussa primâ non aliter dependere, quàm ut Virium agendi concessarum Conservatore, & operante modò per generalem quendam, & vix intelligibilem, influxum, à Creaturâ determinandum?

XXX.

XXX. Antequam finiam, monere debeo, quod Theologorum quorundam præstantissimorum, etiam ex Nostris, cum Pontificiis disputantium, durior in speciem *Phrasis* de *Peccato Originali*, neutiquam confundi debeat cum illa *sententia*, quam propugnavit in *Thesibus* suis Vir *Doctissimus*. Vix ullus magis expressè & significanter loquitur, quàm Insignis Theologus *Frid. Spanhemius* Pater in *Synt. Disp. Theol.* de *peccato in genere* §. XXIV. *Cujus*, inquit, nempe peccati, *ratio formalis consistit in* privatione *non* pura *vel* simplici, sed malignante, *non* otiosa, *sed* actuosa, *non* puræ negationis, *sed* pravæ dispositionis, *quippe quâ non tollitur tantùm rectitudo debita, sed ponitur etiam irrectitudo non debita*, & *inordinata partium animæ dispositio in singulis facultatibus seorsim consideratis.* . . . *Ut itaque morbus* physicus, *non est tantum sublatio æqualitatis & temperiei humorum*, verùm etiam *dispositio prava humorum peccantium vel in quantitate, vel in qualitate. Sic eadem morbi istius* Ethici *ratio est, quippe qui non tantum est negatio boni; sed & positio pravæ dispositionis instar putredinis & lepræ, vel gangrænæ, quæ serpit & effectus lethales exerit, adeoque* Esse *quoddam* Positivum *habet, non tantum* Logicè, *quatenus affirmatur de subjecto, verùm etiam aliquo modo* Ethicè, *quatenus est corruptus quidam habitus inficiens, & principia moralia, & actus morales ex iis promanantes.* . . . . . *Nec sane omne positivum cum bono vel Ente convertitur, sed propriè & omni modo positivum tantum, substantiale præcipuè, tale saltem quod intrinsecè non implicat in conceptu suo privationem vel defectum. Nec peccatum* privativè *tantùm opponitur justitiæ, verùm etiam* contrariè. *Nec à mera privatione tot positivi effectus oriri possent, quales peccatum excipiant* & *consequuntur.*

XXXI. Quando ita loquitur cum Aliis Præstantissimus Theologus, ob oculos habet Pontificiorum de *Peccato Originali* sententiam, qui Naturam ejus duntaxat ponunt in *privatione justitiæ Originalis*, quam *supranaturalem* vocant, & *Naturalia* omnia reliqua manere post lapsum contendunt. Huic se opponens meritò affirmat, quod *Peccatum* nempe *Originale* consistat, non solùm in *Privatione Rectitudinis*

primævæ, sed etiam in *Positione pravæ dispositionis*, atque adeo quod sit *Positivum* quoddam *Ethicum*, utpote *habitus corruptus*, *inficiens*, & Principia moralia, & Actus Morales. *Ethici* enim dum *Peccata* considerant, *formale* à materiali *non abstrahunt*, *Metaphysicorum* more, sed *Concretivè* accipiunt, atque de iis tanquam de Habitibus & Actionibus *positivis*, Virtuti oppositis loquuntur. Unde quæ Ethicis contrariè, Metaphysicis privativè opponuntur. Et sic peccatum in sensu Ethico acceptum non est *mera privatio*. Atque adeo loquitur sic de peccato Originali præcipuè cum aliis Theologis, imo cum Scriptura, *Clar. Spanhemius*, *Concretive* sumto, & sic est omnino quid *Positivum*, præter *carentiam Rectitudinis* primævæ, etiam includit *qualitates vitiosas*, quæ tamen qualitates non sunt *Ipsum vitium*, utpote quod iis adhæret propter earum disconvenientiam cum *Lege*, Rectitudinem Facultatum & Habituum etiam postulante. Cæterum cum dicit, *Nec sane omne positivum cum Bono & Ente convertitur*, verum dicit, quod attinet Positivum *Logicum*, quantum verò attinet *Ethicum* concedi absolutè nequit. Neque enim aliud in se *Positivum* est *Ethicis*, aliud *Metaphysicis*. Idem utrisque est *Positivum*, quod in *Re Ponitur*, & realiter existit. Verùm peccatum ab Ethicis in *Concreto* consideratum, eatenus est quid *Positivum*, ac cum Ente & Bono convertitur. Habitus enim & Actus, sic connotati simul voce *peccati*, verè cum *Bono* & *Ente* convertuntur. Hunc esse genuinum sensum Theologorum omnium nostrorum, ita cum *Spanhemio* loquentium, existimo. Recte *Heideggerus*, *Loco* x. de *Peccato Hominis* §. VIII. *Hoc, non alio sensu adrationem peccati sive Originalis*, *sive actualis* Positivum *quid spectare putamus: at sola categoria & denominatione externa tale*; *quod reapse non aliud est*, *quam privatio non pura cum positiva qualitate & actione*, *quibus vitiositas inhæret conjuncta*. Et *Forbesius Theol. Moral. Lib.* x. *Cap.* IV. §. XV. *Etsi enim quod positivum est*, *non est Metaphysicè malum*; *multæ tamen qualitates & operationes inveniuntur positivæ*, *quæ moraliter malæ & peccata sunt*, *non quia metaphysicè sunt*, *sed quia moraliter pravæ sunt*, *& lege Dei vetitæ*.

F I N I S.

JO-

JOHANNIS WESSELII
ORATIO
DE
ADMIRANDA GENTIS JUDÆORUM UBIQUE DISPERSÆ IN HUNC USQUE DIEM CONSERVATIONE.

HABITA

Cum Rectoris Munus ſolenniter deponeret.

A. D. VIII. *Febr.* MDCCXXIX.

ORATIO

DE

ADMIRANDA GENTIS JUDÆORUM CONSERVATIONE.

VIX mirari ſolent Homines quod quotidie vident. Nil adeo magnum ac mirabile quicquam eſt, quod non paulatim uſu & aſpectu continuo evileſcat. Novitatis quippe ac raritatis amor, præſentium verò ſaturitas atque faſtidium naturâ cunctis mortalibus ineſt. Quare etiam tam multi non attendunt ad ea Exiſtentiæ atque Providentiæ Dei documenta, quæ ante oculos ſunt, ſed quærunt alia quæ haberi non poſſunt; quæ tamen ſi darentur, non magis admitterent mortalium infeliciſſimi, quam reliqua omnia.

Crederent ſcilicet Deum eſſe, qui hunc mundum ex nihilo produxit, qui cuncta moderatur atque gubernat, & qui Judex erit vivorum ac mortuorum; ſi Prophetæ nunc exiſterent, futu-

ra

ra prædicentes quæ implentur. Habent interim Prædictiones in Mose & Prophetis extantes, eventu dudum comprobatas, Præscientiæ & Providentiæ æternæ Testes irrefragabiles: ut hodiernum Prophetarum defectum absque caussa sanè in prætextum incredulitatis suæ rapiant hi iniquissimi Divinorum Munerum Æstimatores. Imo crederent, si hodie miracula fierent, & si aliquis ex morte resurgeret, qui ipsâ experientiâ edoctus testari posset, esse aliquid manes, & letum non omnia finire, sed dari vitam post hanc vitam, vel summè beatam vel extremè miseram. Animum interim non advertunt ad miracula ipsis quotidie in oculos incurrentia, quibus majora dari nequeunt. Annon totus hic Mundus majus est Miraculum, quàm omne id quod in Mundo fieri potest? Quem ideo intueri modò jubet Vates, ut Potentissimum, Sapientissimum ac Liberrimum ejus Creatorem agnoscamus. „ Attollite, inquit, in sublime oculos vestros, & „ videte quis creaverit ista. Annon omni mira„ culo, uti scitè AUGUSTINUS, quod fit per ho„ minem, majus miraculum ipse Homo est? Cujus naturæ præstantia, non modò qua spiritus est, intelligentiæ lumine ac mira cogitandi vi præditus, verùm etiam qua pulvis ex terrâ, tanta est, ut Galenum non solùm in admirationem abripuerit, sed etiam ut Regius Vates mirabilem illam partium in corpore humano structuram, atque ossium, nervorum, arteriarum, vertebrarum, spinæque illius quæ à collo ad os sacrum usque

Jes. XL. 26.

de Civitat. Dei Lib. X. *C.* XII.

usque ſtupendo protenditur artificio, texturam conſiderans in has Dei ſanctiſſimas laudes eruperit. Celebro te, eò quod ſuſpiciendis (modis) *Pſ.* cxxxix. 14, 15.
„ mirabiliter creatus ſum: mirabilia ſunt opera
„ tua: Et anima mea novit hoc valde. Non eſt
„ occultatum os meum a Te, quum factus ſum
„ in abdito, quum artificioſè confectus ſum in
„ imis (locis) terræ.

Sed hæc & ſimilia Naturæ Miracula non mirantur indocti Homines, quia videndi aſſiduitate viluerunt. Quæ tamen, cum ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimiſque neutiquam minora ſunt ſummi Numinis opera. Certè qui hiſce continuis Naturæ miraculis non movetur ad Deum agnoſcendum, ille procul dubio effugia quoque quæret, etſi Chriſtum ventis & fluctibus ſilentium imponentem, Dæmonibus imperantem, cæcos ſurdoſque unico verbo ſanantem, cum Lazaro ſuſcitato accumbentem, ex ſepulchro reſurgentem, hiſce ſuis oculis conſpiceret.

Inter Homines verò, quod vulgò minus quàm par eſt obſervatur, tot ſunt Divinæ Providentiæ MIRACULA, tot Divinatis Scripturarum, tot veritatis Evangelicæ teſtes certiſſimi, quot ſunt magno numero ubique terrarum ſuperſtites JUDÆI. Nolite mirari, A, me ita appellare JUDÆOS. Qui fœtentes, ſordidi, ærumnoſi, vagabundi, nil profectò admirandi præ ſe ferunt: *Ammian. Marc.* Lib. XXII.
Qui porro occæcati, obdurati, blaſphemi, execrabili odio Chriſtianam Religionem perſequuntur,

tur, & nomen Nazareni ac Nazarenorum horrendis convitiis quotidie proscindunt: (1) Qui denique cæli solique sui per tot secula extorres, à Deo & hominibus deserti, contra Mosen ac Prophetas, ut Deceptores, potius testari videntur. Utpote ex quorum repetitis tanquam Divinitùs datis promissis; de Deo Abrahami Semini Æterno Fœdere jungendo, de Tzijone & Hierosolymà nunquam a Domino oblivioni dandis, de Jehuda habitaturo securè, & denique de Messià, in Israële dominaturo, ac longè latèque gentes ei subjugaturo; æternam Rempublicam, stabilesque in Cananæà fortunas, ac gloriosissimum in subactos gentiles imperium, frustra expectarunt.

Hier. in *Jes.* LII. p. m. 191.

Gen. XVII. *Jes.* XLIX. *Jer.* XXIII. *Mich.* V. &c.

Hi tamen JUDÆI, A, mortalium hodie contemtissimi, Deo & Hominibus exosi, Urbe & Patrià ejecti, Euangelii Hostes infensissimi, verè MIRABILES sunt, & gravissimum, non verbis, sed factis & fatis suis, Deo, Divinitati Scripturæ & Veritati Christianæ, reddunt Testimonium. Minimè sunt decepti a Mose & Prophetis, sed dudum occæcati, Promissa illa Divina carnaliter accipientes, fallaces de perpetuis in Cananæa sedibus spes conceperunt, & se à Deo nunquam deserendos, sed severam in gentes pedibus conculcandas dominationem habituros, suaviter somniarunt. Ita-

(1) Diebus & noctibus blasphemant Salvatorem. Et sub nomine Nazarenorum ter in die in Christianos congerunt maledicta. *Hieronymus* in *Jes.* LII.

Itaque de hac Judæorum gente agemus, atque ex quibusdam sed Notabilioribus ejus Fatis, à Mose & Prophetis ante multa sæcula prædictis, atque evidenter impletis; non fortunâ, non cæco necessitatis fœdere, sed Mente Sapientissimâ ac Liberrimâ cuncta regi, Divinamque Scriptorum Mosis, Prophetarum & Apostolorum Originem, ad convictionem & confusionem profanorum, pessimique ingenii hominum, demonstrabimus.

Animis atque auribus attentis favete Mihi, A, de hac gente Judæorum, ubique Dispersa, & mirabiliter Conservata, si non ornatè, saltem perspicuè, adjuvante & adspirante Benignissimo Numine, hac hora dicturo.

Qui primò Hebræi, ab Abrahamo הָעִבְרִי Hebræo; deinde Israelitæ, à Patre Israële dicti fuêre, illi postea Judæi, non ab Ida monte, uti imperitè Tacitus, neque à Juda Maccabæo, quemadmodum personatus Ambrosius; & Petrus Abælardus, sed à Juda Patriarcha & Tribu Illustriori & Regia Judæi appellati sunt. Hoc Nomen neutiquam Patriarchæ Jacobi ævo & jussu omnibus ejus posteris est impositum, uti manifesto errore Justinus Historicus memoriæ prodidit; sed post scissuram Israëlis demum, tempore Jeroboami, Tribulibus Judæ cum Levitis & Benjaminitis datum est. Post Reditum verò Populi ex Babele non tantùm illi qui ex omnibus Tribubus patrium solum incolebant, sed etiam qui extra Palæstinam ex quacunque Tribu degebant,

Gen. XIV. 13. XL. 15. 1. *Sam.* IV. 9. *Gen* XXXIV. 7. *Levit.* XXIV. 10. *Tac. Hist. Lib.* V. *Serar.* in *Maccab.* p. 528. *Selden de Jure N. & Gent.* p. 157. *Casaub. Exerc.* 1. p. 16. *Lib.* 36. *Esth.* II. 5. *Ezr.* V. 1. *Esth* VIII. 17. *Zach.* VIII. 23. *Gal.* II. 13. 14, 15.

Selden de J. N & G. p. 156, 157. R. Elias in Thisbi in Jehudi. modò in eandem Religionem Mosaicam cum aliis conspirarent, JUDÆORUM nomine, satis honorifice tunc temporis, insigniti fuerunt, etsi nonnullis Viris Eruditis secus visum fuerit.

Cunæus de Rep. Hebr. Lib. 1. C. x. Verùm post Regicidium, ipsis à Romano Præside, in Crucis Titulo, palam exprobratum, imo Deicidium in Domino nostro trucidato commissum; quando per Romanos vastati tristissimum toti orbi præbuerunt spectaculum, ac iræ divinæ documentum; invisum gentilibus pariter ac Christianis Nomen, imo penè execrabile factum est. Lege 19. de Jud. Certe Tetrum planè Nomen in Codice Theodosiano vocatur, uti BARONIUS quoque ex eo adnotavit. Tom. Ann. 1. p.m. 693.

Serar. in Maccab. p. 430. 514. Hæc autem Nominis hujus, olim inclyti, atque ab ipsis Syriæ & Ægypti Regibus in honore quondam habiti, in *Tetrum* adeo ac fœdum non est facta mutatio, nisi ex Dei præscientia & decreto. Deut. XXVIII. 37. In Comminationibus Propheticis apud MOSEN legitur: „ Erisque in stuporem, in parabolam, & in dicterium, apud omnes populos.

Cap. LXV. 15. Sed inprimis notabile est Oraculum JESAIÆ, quod habetur in Libro Ejus Prophetico prope finem. Ubi post prædictam Gentium Vocationem, Electorum Paucissimorum ex Israële Conversionem, incredulis Judæis, qui in carne manifestatum, ad ipsos loquentem, eosque vocantem Dominum non audiverant, propter hanc præcipuè eorum iniquitatem benè promeritas pœnas denuncians, ita ait: „ Et relinquetis No„ MEN VESTRUM in EXECRATIONEM Electis meis,

„ quum

„ quum occiderit te Dominus Jehova. Servis „ verò ſuis indet Nomen Aliud. Hoc Nomen Aliud, & Novum illud, de quo paulò antè egerat, eſt illud Christianorum, uti rectè obſervatum eſt ab Eusebio Cæsariensi, quod antiquitùs ignotum Euſebii tempore in toto terrarum orbe laudibus celebrabatur. Et proinde Nomen Deſertorum Domini quodnam quæſo aliud eſſe poteſt, quàm Judæorum illud? De quo pronunciat Vates; quod foret לשבועה in *jusjurandum*, id eſt, vel in Execrationem, quæ juramento jungi ſolet, vel potius in Malum horrendum, quali ſe ſponte ſubjiciunt jurantes; & quod proinde fugerent Electi Servi Dei ut Nomen Gentis & Sectæ Maledictioni Divinitùs devotæ. Quare etiam addit Propheta; *Quum Morte*, per graviſſimas afflictiones Corporali, per everſam Rempublicam Civili, & denique per induratum cor Spirituali, *affecerit Te Dominus*, O Gens refractaria, rebellis, pravisque ac propriis conſiliis perdita!

Cap. LXV. 15. Dem. Evang. p. m. 80. coll. Pſ. LXXII. 17.

Deperditam eſſe hanc Gentem per Romanos, devaſtato Templo, deleta Civitate, & Incolis Ejus, partim fame peſte gladio necatis, partim in captivitatem abductis & in ſervitutem divenditis, partim denique per omnes mundi plagas disjectis, omnibus notum eſt.

Quòd verò hoc ultimum ejus Excidium in Antiquiſſimis Moſis & Prophetarum ſcriptis prædictum, atque in fortuitis quibuſdam Caſibus de-

 ter-

terminatum contineatur, haud æque fanè cunctis est obvium.

p. 211. Illustris SCALIGER ad Chronicon Eusebii observavit, SOLO JEROSOLYMITANO ARATRUM impressum fuisse à Musonio Tyrrheno Munitionum Præfecto, ita ut non solùm urbs esse desierit, sed & imposterum nemini illi solo aliquid super-
Rhod. Lib. 26. C. v. Modestinus Leg. si Usus fructus. 21. §. struere licuerit. Certè priscorum Latinorum ac Romanorum erat aratro condere ac rursum vertere urbes. Quale hostile aratrum passa est Carthago juxta MO[D]ESTINUM, passa est quoque Hierosolyma, etsi Romani fortè Historici taceant.
De Jejunio Cap. v. §. 11. Etenim ipsi Judæi hoc tradunt. Narrat quippe MAIMONIDES, quòd tempore Hadriani, quo capta est urbs Bither, per Turnum, (2) Templi fundamenta ac vicina ei Loca ARATRO versa fuerint. Memoratu dignum est quod addit idem MAIMO-
Cap. III. 12. NIDES, hoc factum esse ut confirmaretur Oraculum MICHÆ, TZIJON INSTAR AGRI ARABITUR. Nimis Illustre hoc est Oraculum, quod & aliud ali-

quod

(2) Hic est fortè: Vel *Terentius Rufus*, qui à Tito, post urbem vastatam Rector militiæ relictus erat, de quo *Josephus* de *B. J. Lib.* VII. *c.* 20. quando historiam Adriani cum illâ Titi confudit *Maimonides*, qualis Imperatorum Romanorum confusio haud infrequens est apud Jud[æ]os, vide *Buxt. Lex. Talm.* voce [illegible]; Vel *Tinius*, *Titius*, *Tinnius Rufus*, qui imperante Adriano provinciam Judææ tenuit, uti est apud *Eusebium* in Chronico ad Olymp. CCXXVII. Verba *Maimonidis* ita latinè dedit *Lud. de Compiegne* in *Fasc. Opusc. Hist. & Philolog.* XII. *p.* 809. „ Eodem illo die ad calamitatem constituta *Tyrannus* „ *Rufus* & Templi fundamenta, & vicinitatem ejus aratro vertit „ ut compleretur prædictum id *Sion quasi ager arabitur*, Vide quoque *Vitringam* in *Jes.* XI. 11, &c. *p.* 167.

quod excisæ per Romanos urbis fatum similiter impletum luculenter præmonstravit, quàm ut sicco istud pede prætereamus. Ita sonat integrum „ Idcirco propter vos Tzijon (ut) ager arabi„ tur, & Hierosolyma fiet tumuli (vel in acer„ vos redigetur) & mons Domus in Excelsa „ Sylvæ. Valde celebre hoc fuit Michæ Ora- *Jer.* XXVI. 18.
culum, quippe à Senioribus Jehudæ coram Populo, necem Jeremiæ intentanti, laudatum. Agit de Excidio Jerusalem inchoando per Chaldæos, sed perficiendo per Romanos. Etenim al„ loquitur Vates eos, qui sanguinibus ædifica„ bant Tzijonem. Sanguinem Prophetarum ve- v. 10.
terum non excludimus, interim ad sanguinem summi Prophetæ Messiæ potissimum heic esse respectum omnino existimamus, fundendum ab iis, qui cum Cajapha dicerent, „ Si omittamus „ eum ita, omnes ei credent: venientque Ro- *Joh.* XI. 48.-50.
„ mani, & delebunt tum locum nostrum, tum „ gentem. Nec cogitatis conducere nobis ut „ unus Homo moriatur pro populo, & tota gens „ non pereat. Hoc sane est sanguine ædificare Tzijonem. Et hæc est caussa mali, nam idcirco Tzijon ut Ager arabitur, inquit Propheta. Non est itaque nuda Comminatio, sed præclarum Vaticinium de Excidio urbis ultimo, quando pars Ejus in Arva Aratro scissa, pars in Rudera, pars denique in Sylvam Excelsorum abiret. Notum est idololatriam olim in montibus *Hos.* IV. 13.
& Sylvis maximè fuisse patratam. Prænunciat ergo Propheta Sacram Deo Urbem funditus non

modò

modò evertendam, atque in tumulos lapidumque acervos redigendam, sed etiam in locum fœdissimæ Idololatriæ Paganæ esse convertendam, Quod etiam factum esse DIO CASSIUS in Excerptis Xiphilinis de Adriano, & HIERONYMUS ad Paulinum, pariter confirmant. „ Ab Hadriani temporibus inquit HIERONYMUS, usque „ ad imperium Constantini, per annos circiter „ centum octoginta, in loco Resurrectionis simulacrum Jovis, in Crucis Rupe statua ex „ marmore Veneris à gentibus posita colebatur. (3) Insi-

p. 262. Epist. 13.

(3) Refert *Scaliger* in laudatis modò Animadversionibus ad Chronicon Eusebii, p. 216, 217. ex Itinerario Burdigalensi; quod antecessit imperium Juliani; de loco Templi, quod & ibi *duæ statuæ* fuerint *Hadriani*, & non longè de statuis *lapis* pertusus; ad quem venirent Judæi singulis annis *ungentes* eum & lamentantes se cum gemitu, & vestimenta sua scindentes, & sic recedentes. Existimat porro Vir Doctus, quod ille *lapidis* cultus Judaicus species *idololatriæ* fuerit; quia constat lapides animatos, βαιτύλυς vocatos, Veterum superstitione cultos fuisse, ortâ scilicet ex innocuo Jacobi Patriarchæ facto in Bethel. Quomodo etiam alteri Propheticæ Comminationi Mosaicæ sua ex parte constaret veritas, de gente hac immorigerâ, post dispersionem in omnes populos violentam, *servitutâ ligno & lapidi*. *Deut.* XXVIII. 64. Plenariè tamen hoc Mosaicum vaticinium de Idololatriâ gentis hujus ubique dispersæ *Deut.* XXVIII. 36. 64. implementum suum habet in decem tribubus, quarum magna pars gentilibus procul dubio permixta: in nomen & religionem ipsorum transiit. Quamvis etiam de Judæis à gentium idolis & cultu imaginum, post Captivitatem Babylonicam, alienissimis, certo sensu affirmari queat, quod *deos alienos* Majoribus *ignotos colant*: quia sacrificiorum Leviticorum instaurationem sperantes & desiderantes quotidie, atque sic animis saltem quantum in se est sacrificia mactantes *idolo benedicunt* *Jes.* LXV. 3: quia præterea Deum verum & Triunum, à Patribus creditum atque cultum, non agnoscunt: quia denique Divinum Messiæ Munus tribuunt non deo, nudoque homini, Deum Redemtorem Tzijonis abnegantes; atque adeò quia *sine Deo* & *Christo*, quemadmodum olim gentiles, vivunt in mundo, *Ephes.* II. 12. Quare Dominusnoster dixit, *Joh.* VIII. 19. *Neque me nostis, neque Patrem meum: si me nossetis, Patrem quoque meum nossetis.*

Infinitam miserorum Judæorum Multitudinem à Romanis militibus vili pretio venundatam, Emtoresque Paucos fuisse, ac septendecim majores annis vinctos Titum misisse in Ægyptum, *Lib.* vii. operibus destinatos, diligentissimus Belli Judaici C.xv. xvi. scriptor Josephus adnotavit. „ Hieronymus in *Cap.* xi.
„ Zachariam addit, ex Veterum Historiis, &
„ plangentium judæorum Traditionibus, tem-
„ pore Adriani, multa Judæorum millia venun-
„ data fuisse, & quæ vendi non potuerint,
„ translata esse in Ægyptum (navibus scilicet,
„ quia sequitur,) & tam Naufragio & fame,
„ quam gentium cæde truncata. Ecquis verò in hisce non agnosceret Dei Judicis Manum, qui videt ejus Consilium, atque ex æterno illo Consilio fortuitos hosce casus, à nulla mente finita, sagacissima etiam, præsagiendos unquam, ante tot secula tamen à Mose prædictos. „ Et reducet te Jehova in Ægyptum Navibus . . & *Deut.*
„ venumdabimini ibi inimicis tuis in servos & in xxviii. 68.
„ ancillas; & Non Erit Emtor. Non licebat Populo in Ægyptum redire, sed Deus judex illuc remittere poterat. Quod etiam se facturum esse, & quidem per Romanos, haud obscurè *v.* 49. in antecedentibus indicavit. „ Quando ait, Se
„ gentem contra eos excitaturum esse, e lon-
„ ginquo ab extremitate terræ, involantem
„ quemadmodum volare solet Aquila, Gentem *Coll. Jer.* v.
„ Cujus Linguam Non Intelligerent. Quæ 15. utique gens Chaldæorum esse nequit, cujus lingua, magnam cum Hebræâ affinitatem habens, *Jes.* xxxvi.

 à 11.

à nonnullis saltem Hebræis satis intelligebatur. Sed est gens ROMANORUM, cujus Lingua Latina maximè distat ab Hebraicà, uti rectè à PAULO BURGENSI observatum est.

Christianorum superstitione, Nomen sine re amantium, factum est; ut urbs quædam, non eodem, sed in proximo veteri Hierosolymæ solo (cujus antiquum solum vix facile cognitu esse dixit Gregorius Nazianzenus) condita, neque eadem formà aut figurà, sed longè alià, monte Tzijonis excluso, vocetur etiam hodie JERUSALEM. Sed revera non est JERUSALEM, non civitas Dei, neque Metropolis Judæorum, sed ÆLIA, etiam in canonibus Nicænis ita dicta, & Colonia Romanorum, Persarum postea, & Saracenorum, hodieque Turcarum imperio subjecta, urbs miseranda, inaquosa, sordida, ruinisque passim impleta. Vera JERUSALEM non datur alia hodie quam Triumphans in cælis ac in Terris militans Ecclesia Christi, de quà tot gloriosa in Sacris Voluminibus prænunciata leguntur. TOTA Antiqua HIEROSOLYMA ita funditus TITI imperio eversa est, ut, qui ad eam accessissent, habitatam aliquando fuisse, vix crederent. Postea ab HADRIANO TOTA quoque JUDÆA ferè desolata est, Teste DIONE CASSIO; cunctisque Judæis interdictum, ne urbem sanctam, imo, ut addit HIERONYMUS in Jeremiam, terram quondam suam ingrederentur, lege postea ab Heraclio sec VII renovatà, quà sancitum fuit, ne Judæi intra tertium miliare accederent. Quæ Ex-

Orat. XII. *p.* 202.

Euseb. Hier. Lib. IV. *c.* 6. *Can. Arab.* 10. *Tom.* II. *Conc. p.* 295.

Joseph. de B J. *Lib.* VII. C. XVIII. *Hier. in Jer.* *Cap.* XVIII. *Euseb. Hist. Lib.* IV. *C.* VI. *Just M. cont. Tryph. p. m.* 84. 234 *Tertull. Apolog. c.* XXI. *Aug. in Ps.* LIX. 12. LXIV. CXXV. *Hieron. in Hab.* III. 17. *Tzeph.* I. 11. *Hilar in Ps.* LIX. *Const. Imp. Didy-*

PULSIO

PULSIO EX PATRIO SOLO, inter omnes à Romanis devictas gentes, SOLIS JUDÆIS, obſervante DI- „ DYMO, contigit, ex quibus nullus eſt, notante „ HIERONYMO, qui antiquum priſtinâ libertate poſſideat ſolum. *mus de Sp S. apud Hier. Tom. IX. p. m. 417. Hier. in Mich. II 3. p. m. 140.*

Hæc vero TOTIUS Terræ Promiſſæ vaſtatio, atque incolarum ejus VIOLENTA per orbem OMNEM DISPERSIO, jam dudum fuerat in Fatis, atque in Effatis Prophetarum, ac Domini noſtri Prophetæ Maximi, cujus hæc verba apud Lucam extant. „ Nam hi ſunt dies ultionis, ut *Cap.* XXI. „ impleantur omnia quæ Scripta ſunt. Hos dies 22. „ Ultionis MOSES prædixit. Populus, quem NON NOVISTI (ROMANUS ſcilicet, nam Chaldæos *Deut.* noverant Judæi & Majores ipſorum), & Cujus XXVIII. 33. 49. 52. 64. „ LINGUAM NON INTELLIGES, anget te in OMNI- „ BUS PORTIS TUIS, donec corruerint mœnia tua „ alta & munita, quibus tu confiſus fueris in „ TOTA TERRA TUA, anget, inquam, te in OM- „ NIBUS portis tuis, in TOTA terra tua, quam de- „ derit Jehova Deus tibi. DISPERGET te Jehova „ in OMNES populos ab extremitate terræ ad ex- „ tremitatem ejus. Hos dies ultionis quoque DAVID, ob Meſſiam crucifixum venturos præcinuit. *Pſal.* LXIX. „ Sit Palatium eorum deſolatum, & in 26. „ TENTORIIS ipſorum non ſit HABITATOR, nimirum ex poſteritate eorum. Hos dies ultionis *Jeſ.* VI. porro Euangelicus Vates; prævidens gloriam Meſſiæ Regis divinam, à Judæis peſſimè negandam, ſed in toto terrarum orbe, juxta cantum Seraphicum, demonſtrandam; perdiſerte præ-

Oo oo 2 mon-

monſtravit. Duraret ſcilicet obſtinata Judæorum incredulitas & Divini Redemtoris proterva rejectio, ultra quidem, ſed certè etiam; „ uſ„ que dum, quum vaſtatæ fuerint CIVITATES, „ adeo ut NULLUS ſit HABITATOR, & DOMUS, adeo „ ut NULLUS ſit HOMO, etiam IPSA REGIO vaſtetur „ deſolatione. Et elongabit (procul amovebit) „ Dominus HOMINEM QUEMQUE, & MAGNA erit „ DESERTIO in MEDIO TERRÆ. Et ADHUC in „ ea erit DECIMA, quæ rurſus DEPASTIONI, depræ„ dationi, combuſtioni. Id eſt, ſi adhuc pauciſſimi ex diſperſis ſe recolligerent in Terra ſua, atque indulgentià Domitiani, Nervæ, Trajani, quædam non plane deſtructa loca incolerent, & „ hi rurſus per Adrianum forent depaſtioni, qui „ Arces quinquaginta celeberrimas diruit, vicos „ nongentos & octoginta quinque diripuit, & „ mox igne conſumſit, viros in excurſionibus & „ præliis ad quinquaginta millia trucidavit; adeo ut ingenti ex reliquis multitudine per famem, „ ignem, morbos, abſumtà, ſic TOTA fere JUDÆA DESOLATA FUERIT; uti DIO CASSIUS totidem Verbis memoriæ prodidit. De his diebus ultio„ nis denique TZEPHANJAH vaticinatus eſt. TOTA, „ inquit, TERRA hæc igne zeli Jehovæ abſumen„ da eſt: quando ſcilicet labium Euangelii purum ad gentes converteret Dominus, atque OMNEM ÆSTUM iræ ſuæ, cujus Effecta ex parte tantùm per Babylonios ſenſerant, per Romanos effunderet. De his diebus ultionis tandem, ut alia

Tzeph. III. 8.

lia plura in hanc rem facile adducenda præter- Cap. xi. 6.
mittam, Zacharias, qui post Reductionem populi ex Babele prophetavit, de hac eadem inquam Totius Terræ per Romanos Eversione perspicuè locutus est: quando Deum ita dicentem introducit. „ Non utar ultra clementiâ super habitatoribus Terræ, dictum Jehovæ, & Ecce Ego „ tradam hominem, virum in Manum Socii Sui, „ & in manum Regis Sui, Contundent Terram, & Non Eruam è Manu Eorum. Intestinis cladibus contritos esse Judæos obsidione Romanâ, notum est. Hinc dicit Deus, futurum esse, ut Tradatur Vir In Manus Socii sui. Et quando additur, tradendos esse quoque in Manum Regis Sui, quis alius esse potest ille Rex Judæorum, nisi Imperator Romanorum? quem spreto Christo elegerunt in Regem suum, Joh. xix. 12. 15.
dicentes; „ non habemus Regem nisi Cæsarem. Hujus Regis milites Terram, totam scilicet cum civitatibus pagis ædificiis, violenta manu Contunderent, atque in minutissima frusta confringerent, nunquam restituendam; quare subjicitur. Et Non Eruam è Manu Eorum. Audi „ Judæe, inquit Hieronymus, qui tibi spes vanissimas repromittis, & non audis dicentem at„ que firmantem Dominum, Non Eruam De „ Manibus Eorum, quod Æterna sit apud Ro„ manos tua futura captivitas.

Certè Judæa Tota penitus non modò subversa est, sed etiam ambitiosum quondam Templum, sancta Civitas, & universa Respublica judaica

daica ſic ſimul in ÆTERNOS CINERES collapſa ſunt, atque in IRREPARABILES RUINAS. Uſque hodie poſt ſeptendecim ferè ſecula terræ iſtius, olim amœniſſimæ, facies manet adeo horrida per vaſtas ubique rupes, incultos montes, terribilia præcipitia; ut teter ejus & fœdus aſpectus hominum animos graviter percellat; imo aliquantum dubios teneat, an hæc terra illa eſſe poſſit, cujus amœnitas atque fertilitas tantis olim laudibus celebrata eſt, & quæ tam ingenti incolarum multitudini alendæ ſuffecerit. Et ſicuti Templum Urbs & Terra, ſic etiam Regnum, Sacerdotium, & univerſa RESPUBLICA in ÆTERNUM PERIERUNT.

Vide Maundrellum in Itin. a d. 25. Mart. 1698.

Somnia vendunt Judæi illi, qui de Iſraelitarum Regno, ſive Aſiatico in Bagdad, & in montibus Nisbor ad flumen Gozan, ex BENJAMIN TUDELENSI, ſive Americano, ex MONTESINI cujuſdam futiliſſima relatione, magnificè nugantur. Jactatio illa nupera admodum, & aliquot impoſtorum propria fuit, neutiquam communis Judæorum opinio. Sapientiores ingenuè fatentur cum KIMCHIO & ABARBANELE, quòd in hoc Exi-
„ lio Romano penes Iſraelitas nullum ſit Re-
„ gnum, nec Dominium, nec Virga judi-
„ cis, & quod nec Regem nec Principem ex
„ Iſraele habeant. Quemadmodum igitur jam TERTULLIANI ævo SINE HOMINE SINE DEO REGE vagabantur per orbem, ita & hodie in eodem ſtatu permanent, ut impleretur vaticinium HOSEÆ de MULTIS DIEBUS, quibus Iſraelitæ ſine Rege ſine Principe ſine Sacrificio deſiderent. Et quo-

Vide Hiſt. Patriarch. Alex. p. 595.

L'Empereur in Diſſert. præmiſſ. Itinerario Benj. Apologet. c. XXI.

quoniam per tot secula inde ab initio hujus Exilii elapsa, dissolutam Rempublicam restaurare haud valuerunt; quicquid semel sub Adriano, iterum sub Constantino, & tertiò sub Juliano, teste CHRYSOSTOMO non solùm hoc seculo viven-te, sed & AMMIANO MARCELLINO, Aliisque, in contrarium magno ausu moliti fuerint; meritò omnis restitutionis spes, toties elusa, penitus decollata videtur; fatente ideo R. JOSE, Auctore Seder Olam, laudato in Jevamoth, tertium Israelitarum in Terram ingressum nunquam futurum. (4) Determinata olim fuit duratio Ægyptiacæ ac Babylonicæ Captivitatis, sed nullibi hujus Romanæ Terminus indicatur in Sacris, nullibi quoque status pristini Judæorum Politici & Ecclesiastici Reparatio prædicta occurrit. Duraturum quidem Sceptrum & Legislatorem in Juda DONEC VENIAT SCHILO, dixit moribundus JACOBUS; sed & sic simul manifestè præmonuit, post adventum illius Schilo, utrumque recessurum esse in æternum; eo magis quia Messiæ foret OBEDIENTIA POPULORUM. Impossibile enim est, ut

Cap. III. 4. *Chrysost. adv. Jud. Tom.* I. *Hom* XXIII. *Ammian. Marc. Lib.* XXIII. *C.* I. *Gen.* XLIX. 10.

(4) *Phelippæus* in *Hos.* III. 4. *p.* 652. Liber *Jevamoth*, Cap. *Harel.* ita scribit. Traditum est in Libro, qui dicitur Seder Olam: scriptum est, (*Deut.* 30.) Quam possederunt, vel hereditaverunt Patres tui, & possidebis vel hereditabis eam. Possessio prima & secunda fuit eis. Tertia verò non erit eis dixit R. Johanan, quis fuit Auctor Seder Olam: R. Jose. G. *Vorstius* (vel quisquis fuerit Auctor) in Notis ad *Cap.* XIV. *Lib.* Abrabanelis de Capite Fidei, adduxit Ipsa Verba ex Seder Olam Rabbah ut probaret nonnullos Judæos spem omnem restitutionis abjecisse. Vide Clar. *Joh. Meyeri* Chronicon Hebræorum pag. 90, & Annotationes ejus, p. 1143.

ut post gentes vocatas ad Ecclesiæ communionem paries intergerinus Legis Mosaicæ consistat. Quomodo fieri potest, ut Indi, Europæi, Hyperborei, totoque divisi orbe Britanni, ter singulis annis se Hierosolyma conferrent ad Festa Jehovæ celebranda? Unde Casum Regni ac Sacerdotii judaici cum salute gentium toties in vaticiniis suis arctissimè conjunxerunt Prophetæ, quod ab EUSEBIO CÆSARIENSI in Demonstratione Euangelicâ egregiè comprobatum est.

Ita verò Sanctam olim Terram Urbem ac Rempublicam sine fine perdendam esse prænunciarunt clarissime Sacri olim Vates. „ Omnino
„ confringetur terra, (ait apertè satis JESAJAS de tempore quo gentes in Insulis maris Psalmis decantarent gloriam, justo Dei Servo Messiæ datam.) „ Omnino disrumpetur terra, omnino
„ dimovebitur Terra, CADETQUE NEC AMPLIUS SURGET. „ Et paulò post: Redegisti civitatem in
„ acervum, urbem munitam in rudera, pala-
„ tium Extraneorum (Lo-Ammi) ut non sit
„ amplius civitas, IN ÆTERNUM NON ÆDIFICABI-
„ TUR. Vas figuli in mille frustula confractum & dispersum nunquam in pristinam formam restitui potest. Atqui hoc est emblema Propheticum Reipublicæ Judæorum post Messiæ adventum penitus conterendæ apud JEREMIAM, „ Ita
„ frangam, ait Jehova, populum hunc & Civi-
„ tatem hanc, quemadmodum FRANGIT (ali-
„ quis) VAS FIGULI, QUOD NON POTEST CURA-

Cap. XXIV. 14, 15. 19. 20.

Cap. XXV. 2.

adde Cap. XXXII. 14.

Cap. XIX. 10, 11, 12, 13.

„ RI

„ ri Amplius (5) Reddamque hanc civitatem „ similem Topheto, (id est, Sepulchreto Cadaverum) qualis locus sepulchretum factus, in æternum profanatus erat, nec unquam Religionis Leviticæ sedes iterum fieri poterat. Significanter Ezechiel comparavit Judam, cum Sodoma, æterno igne deleta, & cum Samaria, ita contrita ut nunquam futura sit iterum caput Ephrajimi. „ Si Sorores tuæ, Sodoma & filiæ „ ejus Revertentur ad Pristinum Statum Suum: „ sique Samaria & filiæ ejus Revertentur ad „ Pristinum Statum Suum: Tu quoque & filiæ „ tuæ Revertemini Ad Pristinum Statum Vestrum. Perspicuè Daniel Propheta. „ Civitatem autem & sanctuarium perdet populus „ ducis venturus, (Romanus scilicet) & finis illius erit cum inundatione, & usque ad Finem „ (mundi nempe) bellum & Decretæ Desolationes. Et in medio septimanæ abolebit sacrificium & munus. Et usque ad Consummationem, eamque decisam, in Desolatum Effundetur desolatio.

coll. 2. Reg. xxiii. 14. 16.

Cap. xvi. 55.

Jes. vii. 8, 9.

Cap. ix. 26, 27.

coll. 1. Thess. ii. 16.

Elegantissimis Duorum Pastoralium Baculorum נֹעַם Nognam Jucunditatis, & חוֹבְלִים Hob-

(5) Perspice, *inquit Hieronymus* in hunc locum, non de Babylonica sed de Romanâ hoc dicitur Captivitate. Post Babylonios quippe & urbs instaurata & populus reductus est in Judæam, & abundantiæ pristinæ restitutus. Post Captivitatem autem quæ sub Vespasiano & Tito & postea accidit sub Hadriano usque ad consummationem seculi ruinæ Hierusalem permansuræ sunt, quanquam sibi Judæi auream atque gemmatam Jerusalem restituendam putent.

HOBHELIM Funiculorum, Colligantium, FOEDERATORUM, atque a Pastore Israëlis vero ex justissima ira confractorum, TYPIS, Jehova apud
Cap. XI. 7. 10. 11. 14. ZACHARIAM præfiguravit, FOEDERIS Sinaitici, quo in populum peculiarem assumtus erat solus Israel, & FRATERNITATIS, inter Judæ & Israelis reliquias, post solutam Captivitatem Babylonicam in unum populum adunatas, ABOLITIONEM PERPETUAM: Ita ut Fratrum instar nunquam postea cohabitaturi essent in Terra, nunquam postea unam Gentis suæ Metropolin, nunquam denique eundem publicorum sacrorum locum, cultumque externum Leviticum communem habituri.

coll. Job. XVIII. 16. Arbor denique, cujus RADIX infra PUTREFACTA est, vel quæ una cum radice sua EVULSA est, abjecta & penitus exsiccata, nunquam revirescet, nunquam reviviscet. Atqui & talis ARBOR imago est Prophetica, non solùm Philistæorum in
Cap. XIV. 29. perpetuum exscindendorum apud Jesaiam; Ephrajimi ac Regni decem Tribuum, nunquam
Cap. IX. 16. restituendi, apud Hoseam; ac Amoræorum dudum perditorum apud Amosum, sed etiam
Cap. II. 9. REIPUBLICÆ JUDAICÆ similiter in æternum extir-
Cap. V. 24. pandæ apud JESAIAM non modò, sed inprimis
Cap. IV. MALACHIAM, Signaculum Prophetarum. Hic enim prænunciat DIEM venturum, quo piis quidem exoriretur Sol Justitiæ, sed etiam quo post ortum ejus Terra Judæorum ANATHEMATE percuteretur: Diem adeo MAGNUM & TREMENDUM ultimi Excidii per Romanos, qui ut ARDENS CLIBANUS

dANUS disſolveret ac colliqueſcere faceret Populum ac Rempublicam Judæorum, adeo ut Non Derelinqueret eis Radicem aut Ramum. Ubi Radix ſupereſt, ſpes eſt novæ repullulationis. Ubi Ramus ſupereſt ſpes eſt novæ plantationis. Sed ubi nec Radix nec Ramus relinquuntur, nulla profectò ſpes reſtitutionis reliqua manet. *coll. Dan. IV. 14, 15.*

Non dubito quin etiam huc ſpectent verba Domini noſtri in Euangelio. „ Ecce Relinquetur Vobis domus veſtra deſerta. Et iterum: Jeruſalem erit Calcata, occupata, vaſtata, poſſeſſa, inhabitata, à Gentibus Romanis, Perſis, Saracenis, Anti-Chriſtianis, Turcis, aliiſque à Republicâ Iſraëlis olim alienis populis, Donec completa, ſeu finita fuerint Tempora gentium, ac populorum terræ omnium, id eſt, ad diem æternitatis; quando tempora finem capient omnia, & Vocationis Gentium, & Reſipiſcentiæ Salutaris ſingulorum, & Afflictionis Eccleſiæ, & Inhabitationis hujus orbis terrarum à diſtinctis populis & ab Oppreſſoribus Eccleſiæ; „ & proinde quando videbunt Filium Hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa. *Matth. XXIII. 38.* *Luc. XXI. 24.* *Apoc. X. 6.* *Verſ. 25.*

Verùm non obſtante hoc Totius Terræ, ac Regiminis Politici & Eccleſiaſtici Judæorum Interminabili Excidio; Manent tamen in Terris Judæi, & Perſeverat in hunc uſque diem Natio Judæorum, ubique diſperſa, Nomine & Religione, imo addidiſſem pene & Facie ac Vultu, Distincta ab omnibus Aliis Mundi Nationibus.

 Ma-

Manet, inquam, hæc Gens Judæorum, tot malis pressa, tot cladibus attrita, tot persecutionibus ad desperationem sæpe adacta, tot exiliis jactata, Urbibus, Regionibus, Regnis in Oriente pariter & Occidente toties ejecta, omnium odio ac ludibrio exposita, cujus Nomen & Memoriam penitus delere vellent seculo XI. Milites cruce signati ad occupandam terram sanctam.

Gurtler. Th. Proph. C. XXXVIII. p. 666, 667.

Manet præterea hæc Natio Judæorum Numerosa valde. Paucissimi sunt hodie Samaritani in Palæstina & Ægypto superstites. Sed innumerabilis pene est Judæorum multitudo, quibus, (ut illud Sedulii huc transferam).

Sedul. Lib. I.

- - Nec lucida cœli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur arenæ.

De Judæis, non Christianis, uti Huetius opinatur, cecinit Rutilius Numatianus.

Demonstr. Evang. Prop. III. §. XXI. Itiner. Lib. I.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeji bellis, imperioque Titi
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Plures efficiuntur quoties metuntur. Quantò magis opprimuntur, uti olim in Ægypto, tantò magis augescunt, instar piscium qui per adversos aquarum fluxus ac scopulorum angustias innumeros emittunt foetus. Et usque in præsentem diem instar vermiculorum pullulant filios ac nepotes. Ubicunque sunt subitò excrescunt in ingentem numerum. Multi vivunt in Europa, plures in Asia & Africa, nec desunt in America; qui si omnes uno loco degerent, certè nulla gens cum iis

Exod. I. 12.

iis numero contendere posset. Pauci quidem sunt ratione integrarum gentium inter quas *dispersi* vivunt; ut impleatur illud Dei Oraculum apud Mosem: „ Remanebitis homines Pauci in „ gentibus. Omnes verò simul sumti numero carentis arenæ similes erunt. *Deut.* IV. 26, 27.

Manet denique hæc Gens Judæorum Dispersa quidem per omnes populos, ut vix in toto Orbe Regio sit, quò non pervenerint Judæi; attamen ab omnibus Distincta simul perseverat. Plures populi ex septuaginta duobus, quos numerant Judæi, & qui è singulis ἀρχηγέταις Patriarchis illis in Libro Genesios memoratis, ortum traxerunt, planè interciderunt proculdubio, aliique in eorum locum procreverunt. Quot antiquarum Gentium nulla memoria extat hodie, nisi in Libris? Amoræorum, Jebusæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Amalekitarum, Idumæorum, Philistæorum, aliarumque, V. G. Gothorum, Vandalorum, Marcomannorum, Quadorum, in hoc Universo nullum amplius vestigium reperitur. Et si aliqua earum detur adhuc posteritas reliqua, sub alio *Nomine* nunc latet. „ Populi à Romanis devicti omnes Romani facti „ sunt inquit Augustinus, & sicuti in jus, sic „ etiam in *Nomen* & *Superstitiones* Romano„ norum transierunt. Soli verò Judæi retinuerunt *Nomen* suum nec unquam Romano Nomine dignati sunt. (6) „ Ita cesserunt in Jura Ro„ mano-

Luc. XXI. 24. coll. *Jes.* XI. 11, 12. *Act.* II. 9, 10, 11. *Cap.* X.

(6) August. in *Ps.* LIX. 12. *Quis jam agnoscit gentes in Imperio Romano*,

„ manorum, ut tamen non amiſerint formam Ju-
„ dæorum, & ita ſubditi Romanis ſunt, ut etiam
„ Legis ſuæ reliquias teneant. Circumciduntur enim, Sabbata obſervant, azyma comedunt, Legibuſque Moſaicis ac Traditionibus Patrum pertinaciter adhærent; atque ita JUDÆI Manent; Nomen hoc, ut Nomen Generis & Sectæ ſimul gerentes in hunc uſque diem.

Profectò hæc Res eſt omnium attentione & admiratione digna. Ea enim eſt rerum humanarum ac Gentium hujus Mundi conditio, ut nihil earum heic ſit ſtabile ac perpetuum. Quæ cauſſa ergo A: Rei tam inſolitæ, cujus ſimile Exemplum nullibi in toto terrarum orbe exiſtit? Non SUPERBIA Nationis, qua longè infra dignitatem ſuam fore arbitrantur, permiſceri cum populis terræ. Nam aditum ſic ſibi aperirent ad honores, nec amplius à Militiâ, Magiſtratibus, aliiſque publicis Officiis excluſi tenerentur Legibus. Quare miratu dignum eſt, cur ambitioſa gens non dicat cum impiis Patribus apud Ezechielem, Erimus ut iſtæ gentes. Neque VIS atque

Baron. Tom. 1. p. 693.
Cap. xx. 32.

mano, quid erant? quando omnes Romani *facti ſunt, & omnes* Romani *dicuntur.* Judæi *tamen manent cum ſigno, nec ſic victi ſunt, ut à Victoribus abſorberentur.* Baronius *Ann. Tom.* 1. *p. m.* 693. ad *Ann. Chr.* 72. *Enimvero quod ad Romanorum nomen pertinet, Joſephus Judæus hæc ait; Romanorum clementia cunctis non parvulum donum appellationis ſuæ conceſſit, non ſolùm viris ſingulis, ſed etiam maximis gentibus in communi: Hiſpani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini, Romani vocantur.*] *Judæi verò ubicumque locorum ſint, Judæi ſemper nominati habentur, nec unquam Romano dignati nomine.* Vide *Auguſt.* quoque in *Pſ.* XL. & *Serm.* CCCXXXIV.

que Auctoritas Imperantium. Hæc enim Paganiſmi fuêre olim, ac hodie ſunt Muhammedaniſmi ſuſtentacula & fulcra, non Judaiſmi. Imperatores Romani nunc Genitalia circumcidere, nunc Legem ipſam Dei legere ipſis prohibuerunt, quod utrumque inter afflictiones ſuas maximas numerarunt Judæi. Et quoties intempeſtivo zelo ad abnegandam Religionem Moſaicam gladio & flammis non ſunt coacti? Neque porro Religionis Facilitas; nam oneroſa eſt Religio Judæorum, per rituum immenſum Choragium, & dolorificam inprimis Circumciſionem. Neque etiam Vanissima de ſolis Iſraelitis æterna ſalute donandis Persuasio. Nam plurimorum, non optimorum, eſt opinio, Legem ſibi ad vitam quoque temporalem, non ad mortem eſſe datam, ac proinde licere ſibi ad temporalis vitæ commoda ſervanda ſimulare Chriſtianiſmum vel Turciſmum. Neque tandem Spes Imperii in totum Orbem ſubjugandum per Messiam; cujus gloriæ & dominationis ſoli Judæi participes futuri eſſent. Nam hæc ſpes per tot Pſeudo-Chriſtos eluſa eſt dudum, ut ferè abrupta & everſa videatur apud Judæos, quorum aliqui Adventum Terreni Regis Meſſiæ ex numero Articulorum Fidei Fundamentalium expungere non dubitaverunt. (7) Deinde ſi concedamus, omnia modò memorata, &

Cunæus de Rep. Heb. Lib. I. C. XVIII.

Lib. Coſri p. 69, 70.

(7) *Abrabanel* in ספר ראש אמנה *Libro de Capite Fidei*, in Latinum Sermonem tranſlato per *Gulielmum Vorſtium* ſcripſit *Cap.* II. & III quòd *Rab. Choſdai* in Libro ſuo, Or Adonai, & *R. Joſeph. Albo* in ſuo Hikkarim, dubia quædam moverint adverſus Maimonidis

& hanc præcipuè vanissimam eorum spem JUDAISMI hactenus perseverantis esse qualemcunque caussam; efficere tamen hæc cuncta haud potuerunt, ut & IPSI JUDÆI per quotidianam nascentium in locum morientium successionem tanto numero ubique permanerent.

Longè alia ergo heic quærenda caussa est. Est nimirum Deus in Cœlis qui Gentem hactenus ab interitu prohibuit, multorumque contraria molimina irrita fecit. Hoc inter ipsos excœcatos Judæos doctus Auctor Libri COSRI videre potuit. P. 108. „ Qui verò nos, inquit, in hoc nostræ dispersionis & captivitatis statu conservat est אל חי „ DEUS VIVUS. Aliàs enim cogitari non posset, quomodo Gens aliqua in hujusmodi Captivitatem „ veniat, & NON MUTETUR IN ALIAM GENTEM; „ accedente præsertim TANTA TEMPORIS LONGITUDINE. Certè hic Eventus rerum cum Propheticarum Scripturarum sensu conspirans, evidenter docet, DEI SOLIUS sapientissimum CONSILIUM & Potentissimam MANUM CONSERVASSE huc usque omnibus invisum populum. Deus omniscius testatus est, inquit R. LIPMAN, *Non perdam plane*

Wagenseil. Tela ignea Satanæ p. 113. 240. 241.

dis Doctrinam, qui Articulis Fidei necessariis adnumeravit illum de Adventu Messiæ. *Dubium*, inquit, v. *est in articulo* 12. *quod numeret Rab. adventum Messiæ articulum; quia, etiamsi vera esset fides, tamen non erit hæc fides fundamentum, ut ob ejus eversionem concidat Lex, & sane invenimus in cap. Cheleck fol.* 98. *dicere Rabbi Hillel.* Non habent Messiam Israëlitæ, quia jam eo potiti sunt temporibus Chizkihu: *neque convenit dicere, Rabbi Hillel exclusum esse à communione Legis, atque negasse legem; cum in Gemara appellent eum Rabbi, atque dicant traditionem ex ore ejus: atque hoc docet, non esse articulum.* Vide quoque Cap. XIV. & Notas ad illud.

plane Judæos, ſed nullum addidit Locum. Veriſſimum tamen eſt quod dixit malitioſus ille homo. Teſtatus hoc eſt Deus in arcano Volumine Moſis & Prophetarum non uno in Loco. Non adducam nunc RUBUM ARDENTEM & NON CONSUMTUM, à Moſe Viſum in Monte Horebi. Neque etiam proferam VELLUS GIDEONIS, quod ſiccum manebat toto illo tempore quo terra reliqua rore cæleſti erat perfuſa atque irrigata: ne hoſce Typos Propheticos ex humani ingenii conjecturâ magis quàm ex divina interpretatione à me effictos dicatis. „ Aperta potius veritas clamet, „ luceat, atque in obturatas aures irrumpat, omnemque contradicendi conatum confundat.

Auguſt. de Unit Eccleſ. C. v. Tom. IX. p. 233. 234. Edit. Bened.

En Oracula, non ambigua, non flexiloqua, non nuper edita, ſed antiquiſſima, certiſſima, clariſſima, de NON PERDENDIS PLANE JUDÆIS. Tale eſt illud, quod occurrit in LEVITICO, quod quoties legunt Judæi in Synagogis, mirè exultare & jubilare ſolent. „ Sed inſuper & hoc quo- „ que erit, quum erunt in Terra Inimicorum „ ſuorum (ſive Chaldæorum ſive Romanorum) „ UT NON SPERNAM EOS, NEQUE FASTIDIAM EOS, „ AD CONSUMENDUM EOS, irritum faciendo Fœ- „ dus meum cum eis, quia Ego ſum Jehova „ Deus ipſorum. Quo nempe fœdere promiſit Deus Jacobo, non Eſavo, ſemen inſtar *pulveris terræ* numeroſum, per longiſſimam nempe poſterorum ſeriem tale futurum, quæ non deficeret, etſi mundus per *mille generationes* duraret,

Cap. XXVI. 44.

à Lapide in Loc.

ret, quod tamen minimè probabile est. (8) Quando ergo commate trigesimo octavo ejusdem Capitis Leviticorum vigesimi sexti dicitur, „ Peribitis in ipsis gentibus, & absumet vos terra „ inimicorum vestrorum: de Singulorum, qui morerentur in terra hostili, multitudine, non de ipsa gente; vel si de gente, non de *Juda* sed *Israële* decem tribuum hoc capiendum est. Hic enim (exceptis paucioribus, qui Judæis permixti fuêre,) per Assyriam & Mediam disjectus, paulatim cum infinita profanarum gentium multitudine

(8) *Psalm.* cv. 8. *Recordatur in seculum fœderis* sui, *Verbi* quod *præcepit in mille generationes.* Numerus enim millenarius longè excedit numerum omnium generationum, quæ fuerunt ab initio mundi, aut quæ futuræ sunt ad finem ejus: quia quocunque modo accipiatur generatio, etiamsi solum pro quindecim annis, in quâ ætate homo incipit posse generare, quæ est minima duratio; credibile est, Mundum à primâ conditione, usque ad ultimam consummationem non duraturum mille generationibus, id est, quindecim millibus annorum. Siquidem S. Johannes in 1. Epist. Cap. II. 18. dicit novissimam horam nunc esse: & tamen nondum effluxerunt sex millia annorum. Uti haud malè scripsit *Bellarminus.* Respicit Psaltes in *Psalmo* cv. 8. – 12. ad duo potissimum promissa fœderalia Patriarchis data, nempe de possessione terræ Cananææ, *vs.* 11, & de numerosa sobole; quare addit *vs.* 12, quum essent viri *pauci numero.* De Verbo fœderali, quo Numerosum semen promisit dicit *vs.* 8, quod jusserit, seu solenniter pronuncaverit, illud duraturum esse לאלף דור in *mille generationes*, (non propagines) id est, longè plures, imo omnes, vel in *millesimam generationem*, id est, si ad millesimam generationem usque mundus duraret, memor erit Deus pacti sui de Semine numeroso Jacobi futuro. Qualis hyperbole est *Nah.* III. 16. & in hypotheticis locutionibus frequens est in Sacris. Vide 1. *Cor.* IV. 5. & confer *Exod.* XX. 6. Aliqui Judæi per אלף דור intelligunt *Principem generationis*, Abrahamum, cui promissio facta est.

dine confusus, tanquam rivus cum mari vasto, in nihilum evanuit.

Talia quoque sunt Oracula duo, in Deuteronomio. Primum ita sonat. „ Quum angustia *Cap.* IV. 30. 31.
„ fuerit tibi, & apprehenderint te omnes res istæ,
„ IN EXTREMITATE DIERUM converteris ad Jeho-
„ vam Deum tuum. Quandoquidem Deus mi-
„ sericors (est) Jehova Deus tuus, NON DESE-
„ RET TE, NEQUE PERDET TE, nam non oblivi-
„ scetur Fœderis Majorum tuorum, quod ju-
„ ramento sancivit illis. Alterum hoc est. *Cap.* XXXII. 26, 27.
„ Dixissem, EXTERMINABO EOS, FACIAM UT CES-
„ SET E MORTALIBUS MEMORIA EORUM: Nisi in-
„ dignationem ab inimico metuissem, ne igno-
„ rent hostes eorum, ne dicant, Excelsa manus
„ nostra fuit, nec Jehova operatus est omnia
„ hæc. Nec minus luculenta sunt de non perdendis plane Judæis Prophetarum Testimonia. Audiamus Deum apud Jesaiam. „ Propter No- *Cap.* XLVIII. 9.
„ men meum longanimis ero, & propter lau-
„ dem meam, אחתום לך לבלתי הכריתך Coer-
„ CEBO me Tibi, UT NON EXSCINDAM TE, vel SI-
„ GNUM PONAM IN TE, NE EXSCINDARIS; quando allusio esset ad Cainum, Fratricidam, signo no- *Gen* IV. 15.
„ tatum à Deo, ne occideret eum qui eum in-
„ venerit: Quem; vagum ac profugum in terra, NON OCCIDENDUM, eumque in finem cum Signo oberrantem continuè; insignem Judæorum, maledictorum, ubique cum Signo circumcisionis in Carne, cum Signo Legis in manibus, cum Signo iræ divinæ in extremis quas perpessi sunt

& patiuntur etiamnum calamitatibus, vagantium; NON OCCIDENDORUM, ut in hisce terris quoque ferrent pœnas gravissimas sanguinis Fratris justi Messiæ; TYPUM statuêre Veteres, inprimis AUGUSTINUS.

Cap. xxxi. 35, 36, 37. Audiamus quoque JEREMIAM. „ Sic ait Jehova, qui dat solem ad lucendum interdiu, statuta lunæ ac stellarum ad lucendum noctu, qui disrumpit mare, unde fremunt fluctus ejus, cui nomen (est) Jehova (Deus) Exercituum: Si RECEDENT STATUTA ISTA à facie mea (dictum Jehovæ) ETIAM SEMEN ISRAELIS CESSABIT ESSE GENS coram facie mea, OMNIBUS DIEBUS, ait Jehova. Si mensurabuntur cœli superne, aut (si) pervestigabuntur fundamenta terræ inferne; Etiam EGO SPERNAM TOTUM SEMEN ISRAELIS, propter omnia quæ fecerunt, dictum Jehovæ. Quemadmodum Astrorum cælestium non mutabitur ordo ante finem Seculi, & Gen. x. sonantis maris fluctus semper volventur ad littora, sic erit semen Israelis, carnalis scilicet, de quo hîc manifestè agitur, perpetuum, nec unquam deficiet. Imo quemadmodum impossibile est ut ab hominibus mensurentur cæli, aut pervestigentur Fundamenta terræ; sic impossibile est, ut non maneant Judæi in terra superstites, imo ut non sint GENS legibus & vitæ institutis DISTINCTA ab aliis populis, usque dum in Extremo dierum ad Messiam conversa Regno Ejus haud minimam gloriam adferat.

Cap. I. Audiamus denique HOSEAM Vatem, qui postquam

quam Domum Israelis Lo-Ruchamam futuram, & in perpetuum perdendam; Domûs Judæ verò Reductionem ex captivitate Chaldæorum prædixerat, vaticinatur de Judæis ex Babele reversis, quòd Lo-Ammi post Messiam rejectum futuri essent, & quòd in illo statu diutissime perseverantes innumerabili arenæ multitudine similes forent. „ Et ablactavit Lo-Ruchamam, & con-
„ cepit, & peperit filium. Et dixit, voca no-
„ men Ejus Lo-Ammi, quandoquidem Vos non
„ populus meus; & Ego non ero vester. Erit
„ tamen numerus filiorum Israel sicut are-
„ namaris, quæ non mensurabitur, neque nu-
„ merabitur; ab ullo Homine scilicet. Quod frustra Archimedes in Arenario, & Archyta tentarunt. *Horat. Lib. 1. Carm. Ode 28.* *Cap. ix. 8, 9.*

Audiamus tandem Amosum. „ Ecce Ocu-
„ li Domini (sunt) contra hoc Regnum pec-
„ cans, ut perdam ipsum à superficie terræ;
„ Nisi quod non prorsus perdam domum Jaco-
„ bi, dictum Jehovæ. Nam ecce ego præci-
„ piens Vagari faciam in omnibus gentibus do-
„ mum Israelis, ut Agitatur (vagatur) Triticum in Vanno, ita ut non cadat lapillus (vel Granum) in terram. Prædicit Vates populi dispersionem inter omnes gentes, ejusque agitationem quasi in Ventilabro, absque animi & corporis quiete vagaturi de gente in gentem, ex Asia in Europam, in Hispanias, Gallias, Britannias, indeque iterum turbandi; Mansuri tamen in manu Domini, qui sollicitè adeo Conserva-

RET gentem hanc disjectam, ut, proverbialiter loquendo, ne unum granum imo ne lapillus quidem ex Ventilabro illo caderet in Terram. Et hoc futurum erat postquam Dominus discessisset planè ex Templi adyto, atque hoc, imo integra Reipublicæ structura in *Culmine* & *Limine*, funditùs deleta essent.

Vs. 1, 2, 3.

Vultisne adhuc plura, A. de NON PERDENDIS PLANE JUDÆIS Vaticinia? Ex allatis, opinor, satis animadvertitis, quod non alia conservatæ gentis caussa sit quam Deus in cœlis, Deus Abrahami, Isaaci ac Jacobi. Ille est Conservator Israelis, spiritualis non modò, sed & carnalis in hunc usque diem.

Non conservat Deus hanc gentem ut in ejus gratiam MIRACULA EDERET IN MEDIO INIMICORUM, uti olim in Ægypto factum est; quod stolidissimum R. LIPMANNI est figmentum: Nam nulla fecit in gratiam abjecti populi Deus Miracula inde à desolato Templo, sed multa contraria iræ suæ documenta dedit, (9) quæ sunt RES illæ MIRIFICÆ & ADMIRABILES, quas cum Populo hoc IN-

Wagenseil. tela ignea Satanæ p. 113.

(9) *Tzeph.* II. 8. 9. *Audivi opprobrium Moab & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus Exercituum, Deus Israel: quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorra:* &c. In hunc locum ita *Hieronymus.* „ Interrogemus ergo eos, „ quare has potissimum gentes Deus puniat, & non totum orbem „ in quo Judæi longe lateque dispersi sunt. Si enim meretur Moab „ corripi, Judæis insultans, & filii Ammon & reliquæ gentes in „ circuitu: quare Gallia non corripitur? quare Britannias in com- „ mina-

Indesinenter acturus erat, juxta Vaticinia Mosis & Jesaiæ. Sed verius conservat Judæorum gentem Deus, ut ipsa gens tam diu Conservata ingens & Perpetuum esset Divinæ Providentiæ miraculum, prodigiosum iræ divinæ Spectaculum, Divinitatis Scripturæ denique & Veritatis Christianæ Magnum Argumentum. Deut. xxviii 59. Jes. xxix. 14.

Testes sunt Judæi non plane deperditi Divinæ providentiæ. Etenim non casu, non cæco quodam fato hæc ita eveniunt, neque ullus hoc dicet, qui tam notabiles Eventus cum Priscorum Vatum Oraculis comparaverit. Unusquisque Judæus sui aspectu nobis occlamitat, dari Deum futurorum ab æterno præscium, ac Liberrimum omnium Moderatorem ac Dominum, Cunctorum Judicem *Justissimum*, atque peccatorum populi sui Vindicem Severissimum. Idem enim ille Deus, qui ante tot secula Fata scripsit per Mosen & Prophetas, idem quoque eadem potenter exequitur. Et quidem eum in finem antea hæc conscribi curavit Deus, ut crederent mortales ipsum esse Jehovam, cum evenirent prædicta. Sunt Testes præterea Divinæ Auctoritatis Mosis & Prophetarum, quam evidenti argumen- coll. Jes. xliii. 10, 11. coll. Jes. xxx 8. xlviii 3, 4

„ minatione non ponit? cur Hispaniæ ab eâ pœna alienæ sunt? „ quam ob causam de Italia nihil dicitur? de Aphrica cur tacetur? „ Et ut semel dicam, cum totus Orbis Judæos captivos teneat: „ quid solæ gentes tantum commisere flagitii, quæ in circuitu ejus „ sunt, ut solæ potissimum nominentur? Vide etiam *Wagenseilii* Tela ignea Satanæ, & Carminis Lipmanni Confutationem, pag. 241.

gumento cunctis mortalibus PROBANT. Retinent Judæi pertinaciter Religionem Mosaicam, haud detrectantes pro eâ mori, imo ejus, ut ut onerosæ, restitutionem calidissimis precibus quotidie à summo Numine implorant. Cujus rei sanè alia caussa fingi vel adferri nequit, quam firmissima animis illorum inhærens persuasio, de Deo legum suarum Auctore. Quod Argumentum egregiè tractavit Illustris GROTIUS. Post Captivitatem Babylonicam abstinuerunt ab omni idololatria, & etiamnum execrantur eam omnes Judæi. In quo indicium est, quod Veritatem & Originem Legis & Prophetarum Divinam, ipso Vaticiniorum ante Captivitatem editorum implemento edocti agnoverint Majores eorum. Sunt præterea Judæi Librarii nostri, quorum fidelissimâ curâ, minutiis quoque accommodatâ, Biblica Volumina sarta tecta conservata sunt. Portant insuper Divinos Codices, ex quibus malitiosa Gentilium Calumnia, quòd Christiani Mosis ac Prophetarum Volumina post rerum Eventum, æque ac Carmina Sibyllarum, ipsimet conscripserint, validè contundi potest. Ad quam egregiè & frequenter in operibus respondit Magnus Hipponensium Præsul, quando ait; Codicem portat Judæus, Inimicus, Codicem sibi antiquitus à Majoribus commendatum, unde credat Christianus, & confundantur Pagani.

De Verit. Rel. Christ. p. m. 21, 22, 23.

Cunæus de Rep. Heb.

Sunt TESTES denique, qui evidenter testantur VENISSE dudum PROMISSUM MESSIAM, eumque esse JESUM NAZARENUM nostrum. Propter MES-

SIAM,

siam, Venturum ad Templum ſuum, & ut dignoſci poſſet in Adventu ſuo Semen Judæ & Filius Davidis, mirabili Dei Providentiâ, & inaudito antea Exemplo, per quindecim ſecula ſtetit Reſpublica Judæorum. Sed & Propter eundem Messiam, ut demonſtretur *veniſſe* Deſiderium Gentium, evertit Rempublicam Judaicam, nec tamen perdidit Deus hactenus Judæos diſperſos, ut Teſtes manerent aboliti Regni & Sacerdotii Umbratilis. Quotieſcunque enim nobis obverſantur Illi Patriâ ſuâ & Urbe Ejecti, ſine Templo, & ſine Sacrificio oberrantes in Mundo; toties clamoſo quaſi ſilentio nos certiores reddunt Promissum Venisse dudum Messiam, eumque eſſe Jesum noſtrum Nazarenum. Utique deletâ Civitate & funditus diruto Templo victimarum Mactationem Leviticam reipſâ abrogavit Deus, atque in perpetuum ceſſare fecit Sacrificium & Munus. Nam ſi hoc non egit Deus, cur Religionis Moſaicæ Exercitium uni loco alligavit, & cur hunc rurſus irreparabili clade ſubvertit? Certè non ob aliam cauſſam, quàm ut in æternum aboleret umbratilem illum & cruentum cultum. Profectò nullâ aliâ re quàm hac ipſâ magis claruit Jesum eſſe Christum, *exſcindendum* illum *Principem*, & Corpus Leviticarum umbrarum, cui præfigurando & adumbrando Sacerdotium & Templum unicè inſervierant. Rem ſanè admirabilem non animadverterunt Gentiles, tempore Augustini quærentes, cur Deus Hebræorum illos non adjuverit, ne à Romanis ſubjugarentur.

coll. *Jeſ.* XLVI. 3, 4. *Dan.* IX. 17. *Mal.* III. 6.

Dan. IX. 27.

De Conſenſu Evang. Lib. I. C. XIIII. *p.m.* 7.

Nam non eſt victus ipſe Deus in Populo ſuo victo, quando Regnum & Sacerdotium ipſorum Romanis expugnandum permiſit; quia utrumque iſtud poſt Adventum Schilo & Sacerdotis ſecundum Ordinem Melchiſedeci amplius conſiſtere nec poterat nec debebat.

Neque hoc tantùm TESTANTUR miſeri hactenus Judæi, verùm etiam Chriſtum eſſe VERUM ac SUMMUM DEUM, Patriſque ÆTERNUM ac NATURALEM FILIUM. Cauſſa enim tam diuturnæ Calamitatis ac permanentis iræ cœleſtis non poteſt alia eſſe niſi ingens Flagitium & graviſſima quædam & inaudita Iniquitas. Hæc verò iniquitas non eſt morum illa extrema pravitas, quæ viſa fuit in Majoribus eorum ante Excidium urbis, quam JOSEPHUS ſolam allegat, eamque fortè exaggerat nimis, ut veram cauſſam majori cum ſpecie diſſimularet. Præpoſterus enim procul dubio pro Religione avitâ zelus tot cædibus atque rapinis, aliiſque delictis occaſionem quoque dediſſe videtur. Et hodie in depravatis moribus, terrenorum ſtudio, voluptatibus venereis, quarum etiam in Talmude fit mentio, multis Chriſtianis non ſunt deteriores. Optima pars illorum precibus, jejuniis, ſacriſque canticis quotidie Deum placare certat. Tenetur ergo Judæorum Univerſitas alio aliquo graviſſimo Crimine, quod non eſt adeo vitium in moribus, quàm quidem OBSTINATUS ERROR in Religione & in Sacroſanctæ Fidei Myſteriis: Unde *Occæcatio* & *Obtenebratio* mentis illorum ut cauſſa malorum horum

horum omnium ponitur apud JESAIAM non uno in loco. Hic verò exitialis ERROR in Religione esse debet vel IDOLOLATRIA vel INCREDULITAS. Non est Idololatria, quam cum Patribus ex Babylone reversis horrent, & cane pejus & angue fugiunt. Est ergo INCREDULITAS, non adeo circa Verbum Legis, quam EUANGELII, ostensa in protervà Rejectione DIVINI SOTERIS & IMMANUELIS; atque in OCCISIONE ipsius FILII DEI, ut BLASPHEMI, quia Deum habere Filium naturalem & proprium, eandem Essentiam Divinam cum & à Patre possidentem, & se illum esse asseveraverat. Hæc tantarum cælestium irarum caussa est, Blasphemia Sancti Israelis, Rejectio Jehovæ Justitiæ nostræ, & Trucidatio Domini gloriæ. Non exaudiuntur quotidie orantes Deum, non quia veram Nominis Jehovæ pronunciationem hodie ignorant, uti Rabbini nugantur. (10) Sed quia manus ipsorum pollutæ sunt sanguine Filii Dei & cælestis Regis sui, quem insano clamore Cap. v. XXIX.

(10) *Theod. Hakspanius* in Sylloge Disp. de Nom. Dei Disp. 1. §. 57. ait. In Libro Jalkut ad verba Psalm. XCI. 14. *Exaltabo eum quoniam novit Nomen meum*, sic commentantur: מפני מה ישראל מתפללים
„ בעולם הזה sensus est: ut quid Israelitæ orant in hoc seculo, nec
„ tamen exaudiuntur? ea de causa quod ignorant Schem Hamme-
„ phorasch (nomen יהוה) Veruntamen seculo isto felici futuro
„ (nempe Messiæ) Sanctus Benedictus ille (Deus T. O. M.) hoc
„ ipsis (de integro quasi) revelabit; uti dictum est. *Esai.* LII. *vs.* 6.
„ *Propterea cognoscet populus meus nomen meum. Tunc orabunt atque ex-*
„ *audientur*, uti mox sequitur (Scil. Psalm. XCI. 14.) *Invocabit me &*
„ *exaudiam eum* &c.

more ac furore ſibi & liberis ſuis imprecati ſunt, clamantes, SANGUIS EJUS ſit SUPER NOS & ſuper *Filios noſtros.* Supplicium pro hac cæde luunt, Chriſtique Filii Dei ſanguine reſperſi commiſſa piacula ſolvunt, ut verè PRUDENTIUS. Ignorarunt quidem eſſe Dominum gloriæ; ſed propriâ culpa ſuâ. Erat enim ignorantia voluntaria prorſus & facile ſuperanda ex Doctrinâ Moſis & Prophetarum, atque adeo affectata hæc ignorantia culpam augebat potius quam minuebat. Remiſſum hoc eſt peccatum quidem Electis illis ovibus perditis Domûs Iſrael, quando in cruce Filius orabat. „ Pater condona ipſis, neſciunt enim „ quid faciunt: neutiquam verò hoc Genti Univerſæ pravæ & incredulæ condonatum eſt. Eadem ergo Sententiâ Cæleſtis Curiæ, quâ Judæi ad Occiſionem, & Diſperſionem, atque ad perpetuum hoc Exilium damnati ſunt; JESUS noſter crucifixus declaratus ac definitus eſt, Verus Meſſias & Filius Dei proprius ac Unigenitus, non ſecundùm carnem ſed ſecundùm Spiritum Deitatis ſuæ Sanctiſſimæ æternum, atque adeo à crimine blaſphemiæ abſolutus eſt. Sunt adeo TESTES Judæi hodie & INIQUITATIS SUÆ & VERITATIS NOSTRÆ, atque ideo NON PERDUNTUR, ne Fides Chriſtiana hiſce veritatis ſuæ indubitatis Teſtimoniis unquam deſtituatur in Terris.

Matth. XXVII. 25.

Luc. XXIII. 34.

Vide *Lipman apud* Schotanum *p.* 92.

Rom. I. 3, 4.

Aug. in Pſ. LIX. 12.

Hæ ſunt cauſſæ A. Conſervationis Miſerorum Judæorum & cur tenaciſſimis hiſce Captivitatis Romanæ Vinculis detineantur in hunc uſque diem. Vident Effecta Judæi, ſed ſtupent ad Cauſſas. Homines,

mines, inquiunt, præpollentes, eorumque malitia & dominandi libido, calamitatum nostrarum perseverantium Caussæ sunt. Sed Ipse Romanorum Imperator apud Philostratum fateri coactus fuit, se Deo iram demonstranti suas commodasse manus. „ Quis exponit proculcationi „ Jacobum, & Israelem diripientibus, nonne Jehova? cui peccarunt. Peccata itaque nostra, ajunt porro, huic ingenti iræ Divinæ obnoxios nos reddunt. Sed quænam peccata? Sabbata observant, idola non colunt, Molocho liberos non comburunt, imo modestius nunc vivunt quàm olim, & tamen atrociores luunt pœnas. Verùm id quod sequitur A. omnem dementiam ac impietatem superat. Dicunt enorme hoc suæ gentis delictum esse, quod unus ex eà fuerit, qui Se Deum esse dixit. Hoc nefandum Crimen à Deo prævisum Fontem esse volunt omnium malorum posterorum Adami; & hoc Crimen perpetratum à Jesu Nazareno, ex Judæorum gente, hujus miseriæ caussam esse clamant. Quasi verò non plures extitissent mortalium stultissimi qui pro Diis haberi voluerunt, quorum tamen vesania tantorum in gentibus malorum caussa non fuit. Et quoniam Judæorum Proceres sui officii esse rati sunt, blasphemiam istam extremo crucis supplicio punire, & cum turba ipsa cum indignatione clamaverit, *Tolle, Tolle, Crucifige, Crucifige:* quænam Justitiæ Divinæ ratio permitteret, ut tam duris dirisque pœnis involverentur ii, qui nullo modo sceleris ejusdem consortes

In *Vita Apollon. Lib.* v. C xiv.

Jes. xlii. 24.

Christ. Schotan. in Vindiciis Christ. Ver. Cont. Jud. p. 83, 84.

Joh. xix. 15.

 fuê-

fuêre, ſed illud animo ore & opere omni deteſtati ſunt? Verùm ut dicam quod res eſt; NON FECIT Se Deum ô Judææ! ſed prodigioſis operibus Se Divinum Liberatorem comprobavit. Inaudita Miracula ab ipſo patrata, Reſurrectio ejus ex morte, Gentium Converſio, Hoſtium Judæorum Diſperſio, Urbis eorum incenſio, altâ voce clamant, Jeſum iniquiſſimo judicio ut blaſphemum eſſe condemnatum, verè ipſum eſſe Deum, Deique Filium naturalem & æternum; clamant hoc, inquam, æque ac fruſtra tentata Templi poſtea per Julianum reſtauratio ac miraculoſa operis incepti disjectio; ab ipſis gentilibus obſervata; quæ Judæos vel invitos tunc temporis coegit fateri JESUM eſſe DEUM. Miræ profectò cæcitatis ſuæ dant documenta Judæi, quando negant Deum decere, in aſſumta carne manifeſtari, atque pedibus ſuis terram promiſſionis obambulare, quem toties Patres eorum, variis corporeis formis indutum, conſpexerunt ludentem in orbe terrarum, atque colloquentem cum ipſis audiverunt, ac oracula de futura ſua incarnatione quandoque fundentem. Nonne Prophetæ uno ore teſtati ſunt, Meſſiam fore Filium Dei, Deum fortem, ac Jehovam ipſum? Quia ſcilicet nuda creatura non poteſt æquivalens pro infinitis peccati pœnis cœleſti irato judici pretium perſolvere; ideo ipſe Magnificus & Dominator Jacobi ex Jacobo etiam naſci debebat, ut cum proprio ſuo æternique valoris ſanguine tanquam idoneus ſacerdos ad Deum accederet, eum placatu-

Socrates Hiſt. III. C. x. vel XVII.

Jer. XXX. 21.

caturus, quem nulla unquam brutorum, nulla hominum, ipsorumque primogenitorum filiorum cruenta sacrificia placare potuerunt. Sed hoc peccati vel minimi meritum, hanc tremendi Numinis Sanctitatem, hanc denique Dei Justitiam, *Rom.* ix. x. peccatori necessariam, ignorarunt, teste Paulo, & ignorant etiamnum & protervè rejiciunt perditissimi Judæi.

Quando perditissimos appello A. nolo dicere *Rom.* ix. Deum in æternum abjecisse populum quondam suum. Absit! Cecidisse Judæos non excidisse *Cunæus.* certum est. Fulgebit illis quoque iterum Lux sua. Recordabitur aliquando Deus Fœderis pri- *Levit.* xxvi 44, 45. scorum. Mortui illi reviviscent olim, & exibunt *Ezech.* xxxvii. 1.–14. ex sepulchris suis. Uti nunc magnus est dies Iisrehel dispersi populi per judicium Dei perdurans, ita & magnus erit per eorum Conversionem futuram, stupenda Dei bonitate ac potentiâ efficiendam, quando in loco dispersionis præsentis iterum miserebitur Deus Lo-Ruchamæ, & *Hos.* i. dicet Lo-Ammi, populus meus es tu. „ Sedebunt quidem multis diebus Filii Israel, sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, sed „ ultimis temporibus quærent Jehovam Deum „ suum, & Davidem Regem suum, & pavidi „ accedent ad Jehovam & ad bonitatem ejus. Hoc Mysterium appellavit meritò magnus gentium Apostolus; quia solâ Dei revelatione notum *Rom.* xi. est; multorum fidem & expectationem superabit; Modus & Media Ejus non sunt curiosè rimanda; quia denique Tempus ejus occultum hacte-

hactenus est. Nondum plenitudo gentium introiit. Lento gradu procedit Euangelii Prædicatio. Progressum tamen aliquem fecit ante pauca secula apud Indos & Americanos. Inde plures & majores speramus indies, ut tandem omnes populi, nullo planè excluso, ad fidem Crucifixi Messiæ lætis successibus invitentur. DUÆ PARTES reproborum Judæorum, qui post decedentes alios nascerentur continuò, in animâ pariter & corpore periturae sunt. TERTIA verò PARS, postremis temporibus victura, convertetur, ut vivat, & fiat iterum Dei populus juxta Illustre ZACHARIÆ vaticinium. (11) Unde etiam colligi
Cap. XIII. 8, 9. potest, non tantum temporis à conversione illâ Ju-

(11) Verba *Oraculi* Zachariæ *Cap.* XIII. 8. ita sonant. *Et erit in omni terra, Dictum Domini, Partes duæ* (Hebr. פי שנים *os Duorum* coll. Deut. XXI. 17. 2. *Reg.* II. 9.) *in eâ excidentur, expirabunt: & tertia relinquetur in eâ.* Ubi hoc certum esse puto, quod *duæ* hæ *partes*, in *omni terra* excidendæ ac expiraturæ, sint partes *Gregis* istius *dispergendi* post occisionem Pastoris Messiæ. Sic enim dicitur *vs.* 7. *Percute pastorem & dispergentur grex.* Similiter certum esse autumo, quod hic *grex* sit grex *Judæorum*, cujus Pastor fuit Christus *Zach.* XI. 4. *Matth.* XV. 24. In illo grege verò dispergendo erant tunc temporis paucissimi Electi per fidem in Crucifixum salvandi, de quibus *vs.* 7. *Et convertam manum ad parvulos* coll. *Matth.* XXVI. 31. 32. XXVIII. 7. De reliquis incredulis Judæis, magno numero per *omnem terram* dispergendis, ait porro Oraculum: *Partes duæ in ea (omni terra* dispersionis) *excidentur, expirabunt.* Notandum hîc est, Judæorum incredulorum ac per Romanos dispersorum multitudinem in *duas* distingui *Partes*, non quia moribus aut fatis foret distincta pars una ab aliâ coexistente, sed *tempore.* Non coexisterent itaque hæ partes simul in *omni terrâ* dispersionis suæ, verum una *post* aliam existeret. Unde & duplex fortè adhibetur Verbum, *excidentur, expirabunt.* De *Tertia* seu *Ultima* parte dicit Dominus, *relinquetur in ea*, id est, communem cladem evadet, atque à præsentanea nece erepta vitæ quasi restituetur, ac in eâ conservabitur. Quod tum in sequentibus latius

Judæorum effluxurum esse usque ad finem mundi, quantum quidem ab Excidio Gentis per Romanos effluxit, & ad illam expectatam & desideratam eorum Resipiscentiam hactenus restat futurum.

Hæc verò Electorum Judæorum conversio. (12) Caussa est quoque quare hactenus non est deleta tantopere & tam diu afflicta Natio. Hoc Jesaias in laudato modò oraculo disertè significavit. Cap. vi. 13

latius exponitur *vs.* 9. ubi promittitur *Lo-Ammi*, quòd iterum sit futurus *Dei Populus*, nempe in ultimo dierum. Non opus est ut partes hæ plane cogitentur æquales, attamen aliqua heic statui debet proportio Prima pars videtur dudum expirasse. Altera nunc quotidie moritur ac perit in æternum. Vivimus enim in altero post Christum millennio. An Tertiæ Partis conversio demum in tertio millennio fiet, affirmare pro certo non ausim.

(12) Non desunt Judæi, qui contendunt semen Abrahami comparari *Arenæ* quæ in *littore* est, *Gen.* xxii. 17. quia caussa est cur irâ Dei non perdatur mundus impius; sicuti arenosa littora obstant quo minus vastum mare terram inundet, dum efficit ut conterantur & retrorsum redeant elati atque feroces fluctus ejus. Vide *Phelippæum* in Hos. 1. p. 242. Quod ferri posset; si ad *Messiam*, Semen illud Abrahami, in quo benedicuntur omnes gentes, respicerent, de quo ipsi Talmudici in Massechet Sanhedrin dicunt, propter Messiam mundum esse conditum; saltem si *Semen Electum*, ultimis temporibus convertendum, intelligerent, quod juxta *Jesaiam*, in Oraculo adducto, gentis hodie dispersæ *Fulcrum* est. Sed quia de Carnali Semine hoc capiunt Vanitatis ac Superbiæ Judaicæ insigne edunt specimen. Ad *Numerositatem* Seminis Abraham referendæ sunt Comparationes Ejus, cum *Stellis cæli Gen.* xv. 5. xxii. 15. 17. & cum *pulvere terræ Gen.* xiii. 16. xxviii. 14 *Num* xxiii. 10. & denique cum *Arena maris Hos.* 1. 10. æque quæ in *Littore Gen.* xxii. 17. ac quæ in *fundo* est *Gen.* xxxii. 12. Si verò velint Judæi præter hanc numerositatem aliud quid etiam significari, id erit; quòd *Semen Electum* instar stellarum cæli sit futurum lucidum ac cæleste; sed quòd *Carnale* tantùm *Semen*, copiosum non modò, sed etiam per totum orbem dispergendum, aridum ac infœcundum sit futurum, imo pedibus gentium ubique terrarum conculcandum.

„ cavit. Sicut in Ilice & Quercu, quæ eſt בשלכת „ in DEJECTIONE (ita ut vel ipſa dejiciat folia, vel ita ut ſecuri percuſſa ab hominibus violenter dejiciatur, ſolo trunco in terra reſiduo) eſt adhuc „ CONSISTENTIA (ſtatumen, fulcrum) ita SEMEN SANCTUM, Electum ſcilicet ultimo tempore convertendum, FULCRUM EJUS, populi diſperſi & occœcati, ERIT. Conſervat ergo Deus gentem hanc, ut convertat aliquando Electionis in illa reliquias: quod tam certò fiet, quàm certum eſt hodie perdurare in terris Judæos internecione dignos.

Deut. XXXII. Ex Dictis itaque meritò concludimus A. ADMIRANDAM PLANE eſſe HANC GENTIS JUDÆORUM CONSERVATIONEM. Luce enim meridiana clarius Teſtimonium perhibet cunctis mortalibus, de Dei Exiſtentia & Providentia æterna ac temporali, de Divinitate quoque S. Librorum Moſis & Prophetarum, & ſimul de indubitata Veritate Religionis Chriſtianæ.

Utinam Judæi animum tandem adverterent ad FINEM SUUM, & Excidium per Romanos ultimum & interminabile, in quo eſt certiſſima declaratio Jeſum Crucifixum eſſe MESSIAM, ac IMMANUELEM promiſſum, ac JEHOVAM JUSTITIAM noſtram! Utinam verà Fide reciperent tandem illum: ut SUMMUM PROPHETAM, qui hæc triſtiſſima illorum Fata ſæpius illis prædixit: & ut UNICUM illum SACERDOTEM ſecundum Ordinem MELCHISEDECI, cujus Sacerdotium cum illo Aaronico umbratili conſiſtere nequit; quare Templum

plum cum Urbe æternis ignibus conflagrandum tradidit: & denique ut Regem Tzijonis æternum ac cælestem, quem gentes adorant & colunt; ne diutius Nutantibus Lumbis & Dorso incurvato, ut est in Oraculo Psalmi, incedant, terrenumque aliquem Regem Messiam desiderent, & à cælesti illo oculos ac animos avertant! Utinam tandem spes illas vanissimas deponerent de reædificandis Hierosolymis, de Templo quodam Tertio Levitico extruendo, & restituendo cultu Levitico, atque de Reversione sua in terram Cananæam, ut Terram suam! Tunc enim revertentur in Terram suam, & tunc vivent & habitabunt in Canaan: quando Christi crucifixi per fidem proprii fient, & Regnum Filii Dei suscipient, Regis gloriæ, cujus est universa terra: Quando fidei pretiosæ istius in Christum Sponsorem & Filium Dei æternum, quæ olim tradita à Prophetis fuit in solà Cananæâ, consortes erunt: Quando fruentur gratiosâ Dei præsentiâ, per Spiritum fidei effusum in corda eorum, qui olim intra Cananææ terminos coarctabatur: Quando denique utentur cum gaudio illis salutis Mediis, quæ omni Frumento Musto & Oleo Cananæo longè sunt præstantiora, & sub his vocibus per Metaphoram sæpe promissa: Quando tandem admittentur ubique ad Officia, Honores, & Magistratus Politici & Ecclesiastici Munera, nec amplius pro peregrinis habebuntur. Certè omnia Prophetarum Loca quæ de Reditu Judæorum in Cananæam, Messiæ temporibus futuro, lo-

Ps. LXIX.

loquuntur, de non alio Reditu intelligenda ſunt; quàm de Spirituali per Converſionem ad Religionem veri Iſraelis, vel etiam Analogico, qui aditum ad Honores civiles illis aperiet.

Quis noſtrûm A. ubi tam perſpicuè impleta videmus quæ de Gentis Judaicæ Fatis prædicta continentur in Sacris Literis, Deum Futurorum Præſcium, Mundique Gubernatorem Sapientiſſimum ac Potentiſſimum, Legiſlatorem æquiſſimum ac omnium Judicem non agnoſceret? Quis Noſtrûm tremendas Numinis iras in gentem hanc ingratam, ſuperbam, incredulam tantâ copiâ effuſas uſque in hunc diem, non metueret, & feſtinato Fidei & Reſipiſcentiæ ſtudio non averteret? Quis Noſtrûm denique Scripturam Sacram V. & N. T. non reverenter habeat, cujus divina origo, tot argumentis, & tot teſtibus, quot ſunt Judæi hodie, comprobata eſt? Quis Noſtrûm denique ferret Homines inter Chriſtianos Judaizantes, qui Deitatem Veram ac Summam Jeſu Noſtri Crucifixi negant, vel etiam Filium eum eſſe Dei Patris æternum ac naturalem inficiantur, aut illud Myſterium cognitu ad ſalutem neceſſarium cuniculis oppugnare inſtituunt; cujus Veritatis tam evidens eſt demonſtratio in Judæis, qui *Deicidii* in Chriſto commiſſi, & Paternæ impietatis in Filium Dei debitas pœnas per tot ſecula tulerunt? Credite A. Myſterium hoc Deitatis Chriſti, ſine quo ſalus noſtra tuta eſſe nequit. Exoſculamini Filium, atque adorate Crucifixum nunc in cælis Regnantem. Minus certè pecca-

peccaverunt Crucifigentes in Terra ambulantem Judæi, quam peccant hodie, qui contemnunt in cælo ſedentem Chriſtiani. Sperate firmiter gentis nunc occœcatæ converſionem futuram, & ex iis quæ prædicta fuêre & impleta, ea que reſtant implenda, per eoſdem Vates infallibiles ſimiliter prænunciata, ſine dubitatione ventura credite atque expectate. Deplorate, ad imitationem Domini plorantis olim calamitates haſce Hieroſolymæ obventuras, Judæorum hodiernum verè ærumnoſum ſtatum, qui non tranſgreſſione Legis ſolùm, ſed & ejus intempeſtiva obſervatione Deum quotidie magis exacerbant. Promovete tandem omnibus viribus, pro vario ſtatu veſtro, converſionem illorum. Non ſunt ejiciendi ſed tolerandi Judæi, nec cogendi ad Sacra noſtra, ſed Humanitate & inprimis vitæ Sanctitate ſuaviter invitandi ac alliciendi, nam ſi quæſtus amore vel pœnæ terrore moti ad Chriſtum accederent, repulſam ferrent. Romana Curia cogit Judæos ut Romæ ſingulis Sabbatis, definito numero, concionibus in templo quodam habendis à Monacho quodam Dominicano interſint: ſed quæ compoſitæ ſunt ad riſum excitandum potius, & ad Judæos exagitandos quam ad eos convertendos, quoniam ſi converterentur omnes, Romanæ Curiæ reditibus multum decederet, ut quæ gravioribus Tributis Judæos onerat quam Chriſtianos. Longe prudentius profectò & Chriſtianè magis Noſtri Proceres & Civitatum Magnarum Magiſtratus agunt, ab

Auguſt. in Pſ. LXIX.

Wagenſeil. Tela Ign. Sat. in Præf. p. 90.

ejusmodi Hypocrisi & Avaritiâ Romana alienissimi.

Quod reliquum est Aud. pia & ardentia Vota concipite mecum pro salute Gentis, quæ tam diu temporales, easque gravissimas, imo & æternas Numinis læsi iras sustinuit. Tu Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi recordare tandem Fœderis & populi quondam tui. Condona ipsis Crimen Læsæ Majestatis Divinæ Filii tui. Tolle clementer & potenter operculum illud cordibus illorum per tot secula impositum, ut videant Crucifixum Dominum, finem Legis suæ & tuæ? Erige rursum illos, qui tanto tempore nutantibus lumbis & dorso incurvato incesserunt, ut oculos tandem ad cœlum tollere, ac Dominum Nostrum ad dextram tuam sedentem intueri queant, ac pavidi coram eo procumbant, ejusque gratiam implorent. Veniat cito & nascatur in diebus nostris aut Filiorum nostrorum Semen illud Sanctum & Electum, quod nunc est Fulcrum impiæ gentis. Severitate tuâ confractos ramos infinitâ misericordiâ insere rursus radici suæ. Congrega dispersos tuos ab extremitatibus terræ, ut accumbant cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo Patribus eorum in Regno cælorum; quando Fides Sanctorum tuorum crescet, impietati os obstruetur, & gloria Jesu Christi Filii tui, ac Regni ejus in Terris, valde augebitur, in cælis consummanda!

DIXI.

JOHANNIS WESSELII, ORATIO FUNEBRIS

IN

OBITUM

MAGNI THEOLOGI

JOHANNIS MARCKII,

PHIL. ET THEOLOGIÆ DOCTORIS, HUJUSQUE UT ET HIST. ECCLES IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS LONGE CELEBERRIMI, NEC NON ECCLESIÆ IBIDEM PASTORIS VENERANDI.

Dicta Publicè

Ex RECTORIS MAGNIFICI ET SENATUS ACADEMICI DECRETO.

A. D. XV. Februarii, Anni MDCCXXXI.

JOHANNIS WESSELII ORATIO FUNEBRIS IN OBITUM JOHANNIS MARCKII.

COnſpicitis me apud Vos dicentem mœſto vultu, luctuoſo amictu, atris & infortunatis his inſignibus indutum ad Veſtram meamque calamitatem deplorandam. Nihil hîc fucatum, nihil ſimulatum, nihilque ad imitationem effictum eſt; ſed cuncta animi, magnitudine jacturæ vehementer cruciati, certiſſima ſunt indicia. Amiſi Ego Cognatum Honoratiſſimum, Præceptorem quondam ſapientiſſimum, Amicum poſtea integerrimum, Socium in Munere jucundiſſimum, imo alterum in terris Patrem dilectiſſimum, meique amantiſſimum. Amiſit Academia fulgentiſſimum ſidus ac ingens decoramentum ſuum; in Cathedra doctorem dexterrimum

ac indefessum ad extremum vitæ suæ senilis halitum; in Senatu Consiliarium, primum, consideratissimum, prudentissimum, longo rerum usu experientissimum. Amisit Ecclesia Fidei suæ pretiosæ Defensorem strenuum, hostium suorum Terrorem, Oraculorum Divinorum Interpretem solidissimum, Pietatis infucatæ & priscæ simplicitatis ac probitatis Exemplar Optimum, Pacis Fraternæ Studiosissimum, Schismatum ac Schismaticorum Nominum Osorem Infensissimum, Ordinis Boni observantissimum, in Conventibus denique Ecclesiasticis Cynosuram illam fidissimam, ad quam Juniores pariter ac Seniores Symmystæ, in rebus majoris momenti ac dubiis, suffragia laturi & decreta condituri jugiter respiciebant. Amisimus Marckium Nostrum, Magnum verè Theologum, si vastam ejus Eruditionem, stupendos Labores, Scripta innumera ac elaboratissima, si Discipulorum, ex Belgis, Germanis, Helvetiis, Hungaris, Polonis, Gallis, Britannis, quos formavit ad sapientiam cælestem, ingentem multitudinem, ac Nominis per Orbem totum Celebritatem consideremus.

Tot inexhaustæ Doctrinæ fontes, tot acerrimi ingenii amœnitates, tot benignissimos Naturæ pariter ac Gratiæ Divinæ Flores, tot fœcundissimi Animi Lumina, tot facundissimi Oris Flumina, tot annorum exploratas & probatas Virtutes, dies una, una hora, unum momentum abstulit!

Hinc omnium Bonorum gemitus illi. Hinc demissi ac lacrymosi Filiorum vultus. Hinc ille animi mei perturbatio. Ob quam sanè major mihi venia

nia debetur, si tanta pressus sollicitudine, in tanta Orationis paupertate, minus adsequi potero, quod opto, Magni Viri laudes recensere. Quibus etiam imparem summum quemlibet Oratorem arbitror, quantumvis Animi Constantiam & Orationis Copiam attulerit. Non eget laudibus nostris Defunctus, qui dum vixit, laudum suarum tam multa & tam egregia Monumenta erexit, in æternum duratura, ut secutura ætas nunquam, etiamsi vellet, Ejus oblivisci queat. Itaque non profusè enarrabo laudes Incomparabilis Viri, satis notas, nec una hora referendas; sed ut Moribus antiquis, & Decreto Senatus Academici, ac Hæredum Voto, meoque Officio satisfaciam, Historiam Vitæ longævæ & præclaræ dabo brevem, ejusque notabiliores Casus modò exponam, ut habeat quod æmuletur, quod miretur sera Posteritas. Sequar autem quoad rerum capita ipsam Defuncti narrationem, quam ad annum ætatis suæ 30. pertextam nobis providè reliquit; cætera Ejus Fata, & Acta per XLV. annos adhuc reliquos, ex Libris Ejus editis, Hæredum suppeditatione, atque ex iis quæ ipsemet, multorum Testis, in memoria habeo, fideliter exponam.

Natione FRISIUS fuit, cui genti ingenia læta, acria, amæna tribuit UBBO EMMIUS: quæ si doctrinæ studio se dedant facile ad summam eruditionem perveniunt, ac in suo genere excellunt. Hoc semper etiam pro laude habuit Defunctus, quod ex Frisia ingenua, candida, liberâ, nulliusque rei magis ac servitutis impatiente, prodierit, nec unquam dulcissimæ & laudatissimæ Patriæ oblivisci penitus potuit.

Nativitatis Locus erat SNECA, urbs in Frisia haudquaquam minima, & antiquitus, hodieque multis se supra alias vicinas commendans; quæque gloriatur splendidissimis Nominibus; excelsisque Ingeniis, quæ produxit, aluit, fovit, apud BERTIUM & WINSEMIUM, aliosque memorata, quibus nunc meritò addere illa potest MARCKIUM suum, qui plus gloriæ & splendoris urbi patriæ conciliat, quam ab ipsa accepit.

Pater Ejus fuit WILHELMUS à MARCK, Vir literis variis haud leviter imbutus, moribusque gravissimus. Natus is erat Groningæ Anno MDCXXIII. Patre CORNELIO à MARCK, Viro Mercatore, origine Dordraceno, & Matre BARBARA ARNOLDI; Filià ARNOLDI ARNOLDI Tribuni Leovardensis, & IDÆ, filiæ WILHELMI BRAS, in initio Reformationis apud Leovardienses & Groninganos reformatæ Veritatis Præconis, Atavi mei quoque: quæ IDA, expleto propemodum octogesimo ætatis anno, superioris seculi anno LIV. grandæva obiit. His parentibus orta BARBARA, & brevi conjuge dilecto privata, Groningæ sedem fixit, ubi & filium WILHELMUM enixa est. Matrona ea, ut erat prudentissima, pientissima & longe supra communem sexus sortem vigilantissima, ita & filium WILHELMUM Unigenitum suum enixè diligebat, Eumque ut Ecclesiæ Dei inserviret, liberaliter in studiis educabat. Nec tantum in Groninganâ Academia maximis eum Præceptoribus commendavit sed & Bremam, Harderovicum, Franekeram transmisit ad ulteriorem studiorum profectum. Quæ res eum habuit successum,

ut

ut non tantum ſolidam Theologiæ Cognitionem asſecutus fuerit WILHELMUS, ſed & in Literis ac Philoſophiâ conſummatus audiverit. Unde vix ſe ad Miniſterium ſacrum, Claſſicali Examine cum laude defunctus, præparavit, quin mox ſpeciali divinæ Providentiæ Virgulâ, à Snecanis ad ſcholæ ſuæ haud incelebris eo tempore Rectoratum vocatur. Quem accipere Ille, iteratis invitationibus, ferme cogebatur, & quem acceptum ita Ille ornare ſtuduit, ut, ſepoſitis ſtudiis Theologicis, Literis totum ſe daret, præſciſſis, quæ poſtea offerebantur, Eccleſiaſticis Vocationibus, ratus ſe in hoc vitæ genere & Rempublicam & Eccleſiam ſummopere posſe juvare.

In hoc Friſiæ oppido conſtitutus Parens Defuncti noſtri, in tori Sociam elegit MARGARITAM, re & nomine talem, Filiam Celebris Theologi JOHANNIS CLOPPENBURGII, (qui biennio ante, poſt Miniſterium in florentiſſimis Belgii urbibus, inter quas Amſtelodamum, cum applauſu exercitum, Profeſſione etiam Theologicâ in Harderovicena Academia defunctus, in Franekerana Profeſſione obierat) & ELISABETHÆ BESSELS, Matronæ ex Celebri Amſtelodamenſium familiâ ortæ.

Ex hiſce Parentibus natus eſt Noſter JOHANNES MARCKIUS, juxta ſtylum Gregorianum x. Januar. MDCLVI. ſed ultimo die anni MDCLV. juxta vulgarem Epocham ac Calendarium Julianum, quod tunc ſequebantur Friſii, & Calendis Jan. MDCLVI. ſacro Baptiſmate tinctus eſt ab HERMANNO DE LESPIERE, Eccleſiæ Snecanæ Miniſtro, & Nomen JOHANNIS ipſi

ipsi datum fuit, ex voto superstitis tum Aviæ ELISABETÆ BESSELS, in memoriam Avi JOHANNIS CLOPPENBURGII. Annus hic uterque & LV. & LVI. superioris seculi ob sævientem in multa hominum millia pestem, Belgis aliisque Europæi orbis incolis lamentabilis admodum fuit, & luctificus quoque ædibus Paternis, quas invasit etiam Pestis, ac uxorem Marito, Matrem tenerrimo infanti 27. Julii MDCLVI. abstulit. Qui casus, ut acerbissimus Parenti erat, ita & infanti molestissimus, quia tum nulla Nutrix sana, beneque valens ad manus erat, cui ille committi posset. Sed tutus erat Infans sub alis Providentiæ, ad amplissimos Ecclesiæ usus destinatus. Hæc caussa fuit, quod Vitam a Deo acceperit, nec fulmine pestifero Matrem lactantem feriente, infans vitam amiserit. Pro qua benignissima cælestis Patris curâ perhumiles Deo gratias agentem Defunctum nostrum ex hoc Loco ante 29. annos audivimus.

Ita Matre orbatus infans Maternæ Aviæ ELISABETÆ BESSELS, ac materteris adhuc Virginibus committitur, à quibus Franekeræ educatus est usque ad Aviæ mortem. Post quam à Patre revocatus ac ædibus Paternis redditus est, nactus ibi Matris loco optimam Aviam paternam BARBARAM & Patrem summopere diligentem, qui curam summam habuit ut filius unicus in pietate, modestia, & timore Domini educaretur ad Ejus gloriam & Ecclesiæ ædificationem, quam unicè intendebat pius non minus quam eruditus parens. Hinc Filiolum in primâ mox ætate literis vernaculis legendis scribendisque im-

imbuendum tradidit, ut etiam quinto ætatis anno accuratè satis legere, ac literarum formas non inconcinne depingere potuerit. Hinc etiam ad literas primum Latinas, post & Græcas ipsum applicuit, ac in iis optatos progressus pro ratione ætatis semper cum Voluptate observavit. Unde etiam majorem domi quotidie in filio informando diligentiam adhibuit, atque hic ad Patris scholam undecimo ætatis anno promotus fuit, indies ad Academica studia maturescens. Sed ecce tristissimum casum! Dum in elegantiis Græcæ Latinæque Linguæ, in Rhetorum flosculis, in Oratoriis declamationibus, in Poëticis lusibus, in Logicorum subtilitatibus plenius a Parente esset instituendus; Hic, jam inde a plurimis annis Vir tenerrimæ valetudidinis, præmaturâ morte ipsi præripitur 16. Sept. MDCLXVII. relicta illi sola Avia Paternâ, quæ ad annum MDCLXXVII. superfuit, & cujus prudentiam, vigilantiam, pietatem, ac morum insignem dulcedinem ille semper magnopere laudavit. Haud exiguum equidem inexspectatus hic Casus sufflamen studiis ejus injecit, sed continuata industriâ, atque accedente Novi Rectoris manuductione, factum tamen est, ut cum honestissimo testimonio ad Academiam Franekeranam admissus sit, & Studiosorum albo inscriptus, a Clar. Viro D. Abrahamo de Grauw, tum Academiæ Rectore, anno ætatis suæ decimo quarto, circa calendas Februarii MDCLXX. Franekeræ primum annum & sequentem integrum publicè impendit Philosophiæ, atque aliqua ex parte Mathesi, privatim verò tum Poësi, tum literis Græ-

cis,

cis, tum etiam Historiarum studio, sub Manuductione Cl. WUBBENA Phil. Prof. Avunculi Ejus, qui Viduam Cl. Wissenbachii, filiam Cloppenburgii in uxorem duxerat. Atque mox anno secundo profectuum suorum in philosophicis egregia specimina dedit publicis Disputationibus, de Loco, de FONTIBUS, Aliisque materiis Physicis, ab ipso conscriptis, & masculè defensis. Tertio Anno Academico ad studia sacra transiit. In quibus duplex ipsi contigit incommodum. Quorum primum fuit Communis Belgii Afflictio ex sævissimo Bello, quod inferebant Angliæ & Galliæ Reges potentissimi cum Præsulibus Coloniensi & Monasteriensi, & tanto cum successu, ut devictis repentè tribus fœderati Belgii Provinciis, de rebus nostris conclamatum planè videretur. Hinc arma studiorum loco passim tractabantur, animum omnes despondebant, nec ullus reperiebatur, cujus animus, tum continuà solicitudine, tum quotidianis cladibus, tum exhaustis per extremum periculum ærariis, à seriis studiis non avocabatur. Alterum fuit malum, quod annis præcedentibus defuncti jam essent Viri Theologi Celeberrimi D. CHRISTIANUS SCHOTANUS & D. JOHANNES MELCHIOR STEINBERGIUS, a quibus magna sibi promiserat. Supererat tamen insignis Theologus D. NICOLAUS ARNOLDUS, cujus cum eruditione juncta in instituendo facilitas priora damna resarcire poterat. Inchoavit itaque hujus auspicio studia Theologica, eaque anno sequente MDCLXXIII. pressius ursit, habito etiam per aliquot Menses apud Doctorem BECKERUM, Ecclesiæ Franekeranæ tunc Mini-

Miniſtrum, Collegio Biblico. Eodem tempore non tantùm Græcanici ſermonis elegantias apud NICOLAUM BLANKARDUM, publicè Harpocrationem, privatim Ariſtophanem explicantem, audivit, ſed & in Hebræa literaturâ ſe exercuit, manuducente JOHANNE TERENTIO. Atque interea temporis defenſionem non tantum ſuſtinuit theſium de Sacramentis, quos ſcripſerat D. ARNOLDUS, ſed & ipſe Diſputationes Theologicas binas conſcripſit, unam de Peccato in Spiritum ſanctum, alteram de Vita æterna. Poſthæc cum Clar. Avunculo conſilium iniit de promovendis alibi ulterius ſtudiis. Groningam ipſum vocabat, præter Loci propinquitatem, JACOBI ALTINGII (defuncto jam MARESIO, quem verno ejus anni LXXIII. tempore in fatali lecto ſalutaverat) celebritas in Hebraicis ſtudiis. Lugdunum alliciebat CHRISTOPHORI WITTICHII fama, quem Virum ſupra reliquos omnes æſtimabat, tum ob Philoſophica ſtudia, quæ celebritatem ei conciliabant, tum ob inſignes laudes, quibus ipſum cumulabat Doctor BALTHASAR BEKKERUS.

Hæ poſteriores rationes prævaluerunt. Iter Lugdunenſe ſtatuitur, atque Teſtimoniis juſtis a D. ARNOLDO, BLANCARDO, BECKERO, inſtructus Lugdunum Batavorum contendit in fine Auguſti A. MDCLXXIII, ac Civium Academicorum Albo inſcriptus eſt a Magnifico Rectore FRIDERICO SPANHEMIO. Fuit hîc ipſi Vitâ eò Jucundior, quo contingebant non modò celebriores Præceptores, ſed & dulciores Amici, inter quos JACOBUS TRIGLANDIUS, PAULUS HULSIUS, poſtea Profeſſores celeberrimi,

ANTONIUS KLINGLERUS, Ecclesiæ Tigurinæ postea Antistes, ADRIANUS A WESEL, HERMANNUS DE MOOR, ISAACUS ZEVENHOVEN, ABDIAS VELINGIUS, in florentissimis Ecclesiis postea Verbi Divini Præcones æstumatissimi. Ex quibus solus postremus hodie superstes apud nos est, fere octogenarius, plurimum de aliis, & hac quoque Ecclesia Leidensi meritus, viva fide, & firma spe ac desiderio anhelans & expectans laborum suorum & fidelitatis suæ mercedem gratuitam & coronam justitiæ ipsi cum omnibus Christum sincerè diligentibus repositam. Collegia mox ingressus est noster Defunctus, & quidem bina Clar. WITTICHII ad COCCEJI fœdus, & dictatas quasdam Theologicas Theses, Lectiones quoque ejus ad Psalmos diligenter frequentavit. Lectiones quoque Venerandi Senis ABRAHAMI HEIDANI, & AULARDI UCHTMANNI, ut & Disputationes ANTONII HULSII sæpius audivit. Maximè vero delectabat ipsum SPANHEMII institutio, quem publicè sedulò audiebat, & apud quem Collegia varia privatim habebat, Didactica, Elenctica, Historica. Privatim quoque domi cum TRIGLANDIO se dedit linguis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, & per feriarum intervalla in Germanicis & Anglicis se itidem exercuit. In praxi utebatur ope D. PETRI VAN STAVEREN, & præcipuè D. DAVIDIS KNIBBE, utriusque Pastoris Lugdunensis dignissimi. Sæpius quoque publicè defendit, semel Theses SPANHEMII contra Walenburgios, septies verò proprias de PANE ἐπιούσιον, & LOCIS CONVENTUUM ÆTATE APOSTOLICA. Interfuit quoque Anno LXXIV. Orationi,

ni, qua Bibliothecam, mense post obsidionem solutam seculari, de novo aperuit SPANHEMIUS, & VIII. Februarii MDCLXXV. Academico Jubilæo. Cui solennitati, post 50. annos, iterum interesse ipsi, per 36. annos jam in hac Academia Professori, cum paucissimis datum fuit ante sexennium.

Ita ad pedes Celebrium Doctorum Leidensium Considentem, & magni ingenii rarissimæque eâ ætate Eruditionis specimina publica quotidie edentem per biennium, finem Academicis studiis imponere coegit improvisa ipsi, EVERHARDI NAPPII, Amersfurtum vocati, in Ministerio Ecclesiæ MIDLUMANÆ designata SUCCESSIO. Dependebat illa vocatio a D. JOHANNE A GOSLINGA, Territorii Franekerani Prætore, Viro non tantum Antiqua generis sui Nobilitate sed etiam Virtute & Eruditione Illustri, qui audita fama ejus præclarâ, nec Juvenilem in eo ætatem, nec Ecclesiasticam profectuum, quæ præcedere solet, Explorationem expectans, novendecim annorum Adolescentem, de facie ipsi vix cognitum, Ecclesiæ, in Territorio suo vix ulli secundæ, præesse voluit. Itaque amplissimis studiorum Testimoniis SPANHEMII, WITTICHII, HULSII, UCHTMANNI, WILHELMII, KNIBBE cumulatus Frisiam repetit, Ecclesiastico Examini se sistit, explorantur profectus Ejus ex Classis Voto a Clar. WITSIO, Pastore tunc temporis & Professore Franekerano, admittitur ab Illo ad præconium Verbi publicum XIII. April. LXXV. ritè & legitime vocatur ad Ministerium Ecclesiæ Midlumanæ XXIII. Aprilis, & inauguratur solenniter IX. Maji LXXV. a Clar.

WITSIO, & Rev. D. RENEMAN Paſtore Harlingano, Avunculo meo; & initium Sermonum ſuorum ipſo Feſto Adſcenſionis XIII. Maji MDCLXXV. fecit.

In hac Eccleſiâ, per ſeſquiannum ferè, omnes fideliſſimi ac prudentiſſimi paſtoris partes implevit, & Auditorium ſemper per Concurſum Franekeranorum & Harlinganorum Civium frequentiſſimum habuit. Quod una cum Gregis benevolentiâ & amore, Sacri graviſſimi Muneris, & multiplicatarum inprimis Concionum, quibus aſſueta erat illa Eccleſia, moleſtias delevit.

Verùm intra hujus Eccleſiæ anguſtias Lumen ingens diu coarctari non potuit. Claſſicale Examen, & laudes ipſi a Cl. WITSIO Examinatore tributæ, qui ubique cum admiratione de ipſo loquebatur, effecerunt ut amici fermè omnes eum ad gradum Doctoratus in Philoſophia & Theologia, ante annum ætatis vigeſimum, capeſſendum hortarentur. Quorum ut Votis unicè ſatisfaceret, non immoderata honorum cupiditate ductus, non vana ſui perſuaſione turgidus, Examen Philoſophicum in Senatu Academico Franekerano ſubiit XXI. & XXII. Junii Ai. LXXV, & Theologicum XXIV. & XXV. ſequentibus ſuſtinuit, & poſt habitas Diſputationes Inaugurales, XXVIII. Junii Philoſophiæ Doctor a Cl. WUBBENA, avunculo ſuo, & XXIX. Junii Theologiæ Doctor a Clar. ARNOLDO renunciatus eſt. Fecit rei hujus novitas, ut Nobiliſſimi Ordinum Friſiæ Delegati Novemviri ipſi, utroque hoc gradu inſignito, ante vigeſimum ætatis annum, inſolitum diligentiæ & eruditionis præmium quingentorum floreno-

renorum decreverint: & ut mox de ipso ad Academicam Cathedram promovendo consilia agitata fuerint. Post unius tantum anni moram; cum annus ætatis vigesimus primus currebat, volente Celsissima Nassaviæ Principe Albertinâ, atque urgentibus Amplissimis Academiæ Curatoribus, ex J. J. & P. P. Ordinum Frisiæ decreto de Tertio Theologo vocando; in Ordinarium Theologiæ Professorem, in Academia Franekerana, magnis meritis, LYDII, LUBBERTI, ANTONIDIS, MACCOVII, AMESII, MEIN. SCHOTANI, BOGERMANNI, VEDELII, CLOPPENBURGII, COCCEJI, CHRIST. SCHOTANI, VALKENIERII, STEINBERGII, celeberrimâ, electus est xxx. Junii MDCLXXVI. ut cum Clar. Viris D. ARNOLDO, & D. WITSIO Sacram Juventutem vera & solida scientia Theologica imbueret.

Itaque x. Sept. MDCLXXVI. post ferias Caniculares Ecclesiæ publicè valedixit binis concionibus, non absque Ejus serio dolore ex discessu Ejus concepto, & xv. Sept. publicè Franekeræ inauguratus est, præsentibus plurimis ex Nobilissimis Frisiæ Proceribus, habita, summo cum omnium Auditorum Applausu, Oratione de AUGMENTO SCIENTIÆ THEOLOGICÆ, postea typis impressa.

Sic in sublimi Doctoris Cathedra collocatus viginti annorum Adolescens, videt ad pedes suos considentes quibuscum paulò ante inferiora discentium subsellia occupaverat, quique, quem modò Condiscipulum admirabantur, nunc cum majore adhuc admiratione venerantur Magistrum & Doctorem, summâ cum dexteritate, assiduitate, facilitate, facun-

cundia, ſapientiæ cæleſtis flumina fundentem, & ad commoda illorum omni modo promovenda paratiſſimum. Hunc in finem in Lectionibus publicis & domeſticis Collegiis, per ſexennium, quo Franekeræ docuit, pro variante Variorum deſiderio, Didacticam Theologiam ad Mareſii Syſtema ſine intermiſſione tradidit, & per intervalla, nunc tractavit Controverſias Pontificias & Arminianas, nunc Ameſii Caſuiſticam explicavit, nunc Epiſtolas Pauli ad Romanos & Galatas interpretatus eſt, nunc Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad Iſagogen Spanhemii enarravit. Diſputationes etiam quam plurimas conſcripſit, poſtea in lucem editas omnes. Nec adverſa valetudo, & languidum malum, & intercurrentes Epidemicæ Febres, poſtea in quartanas moleſtiſſimas degeneratæ, quibus per triennium ferè colluctari debuit, docendi & ſcribendi ardorem in ipſo extinguere valuerunt. Ex Diſputationibus illis paulò ante diſceſſum ſuum ab Academia hac Patriâ publici juris fecit illas de SIBYLLINIS CARMINIBUS, in quibus ſtupendæ eruditionis juvenilis inſigne Monumentum reperitur.

Poſt quadriennium ferè exactum in hac prima ſtatione ſuâ Franekerana, in initio anni LXXX. ſuperioris ſeculi, Groningani per Paſtorem Urbis ſuæ Rev. D. MATTHÆUM ipſum invitarunt ad Profeſſionem apud ſe capeſſendam, volebantque ut necdum ſolenniter vocatus ſe ipſis addiceret: quod cum tum reſpuiſſet, illique, præter Cl. BRAUNIUM vocaſſent Doctiſſimum JURIUM primùm, dein Celeb. HEIDEGGERUM, utrumque fruſtra, iterum Defunctum noſtrum,

ſtrum, anno ſequente LXXXI. ineunte, ſollicitarunt: ſed & fruſtra, maximè ob Friſiorum in ſe affectum. Anno autem inſecuto LXXXII. Groningani Proceres inopinato Decreto XI. Martii Theologiæ Profeſſorem, Ordine apud ſe Primum, & Concionatorem Academicum ipſum dicunt, addito ſtipendio 1800. florenorum cum liberis ædibus, ac Tabulas Vocationis VII. Martii per Miniſtrum publicum transmittunt. Qui Caſus tunc plane inexpectatus ipſi fuit. Friſiæ Proceres omnibus modis ſtudebant MARCKIUM detinere; offerebant ipſi titulos majores & ſtipendium Groninganum, & tandem, in quo rem hærere videbant, Philoſophiæ ex voto Ejus Profeſſorem a ſe Vocandum pollicebantur. Poſt ſeriam deliberationem, ad hæc reſpondebat ſe Patriæ ſuæ eſſe obligatum abſque novis Honoribus aut Muneribus, quibus ideo generoſè ſpretis promittebat ſe manſurum eſſe, ſi poſtremum illud de tali Philoſopho vocando, quod ipſi non rogati obtulerant, ad commune Academiæ & Eccleſiæ Bonum præſtaretur. Verum lenta hac in parte Procerum Friſiæ Conſilia, & nimis tarda molimina effecerunt, ut ſe Groninganis, valde urgentibus Adventum Ejus, etiam per Miſſum Rev. D. GULIELMUM VELINGIUM Paſtorem ſuum, ipſi amiciſſimum, addixerit, & Vocationem miſſam literis datis acceperit. Accedebat etiam, quod Vita Franekerana, poſt diſceſſum Amiciſſimi WITSII, candidiſſimi Pectoris ac pacis ſtudioſiſſimi, & poſt mortem Venerandi ARNOLDI, qui nemini gravis, omnibus gratus erat; ipſi ob cauſſam non unam minus quam antea placebat,

bat, Ægre admodum dimiserunt MARCKIUM suum Frisii, doloremque suum serium de Ejus abitu, Magnamque de Meritis ejus Existimationem, Verbis & Munificentissimis factis testati sunt.

Ipsis Calendis Junii Anni MDCLXXXII. habita Oratione DE FICTA CONSTANTINI DONATIONE Academiæ Franekeranæ valedixit. Hæc erat quarta ejus Oratio intra sexennium recitata, post Primam Inauguralem modò nominatam, & Alteram in Obitum Celeberrimi NICOLAI ARNOLDI, & Tertiam cum Academiæ Rectoratum capesseret, de COELITUM STOLIS ALBIS, ex occasione datarum Professoribus ab Ordinibus Togarum, quando ipse primus ex Cathedra togatus Rector verba faciebat. Franekerâ itaque relicta venit Groningam, in Professoratu successurus Celeberrimo Theologo SAMUELE MARESIO, & in functione Academico-Ecclesiastica locum Clar. JAC. ALTINGII occupaturus.

Initiatus est Muneri Professorio, Oratione habita de SOPIENDIS IN ECCLESIA LITIBUS, XX. Junii Anni MDCLXXXII. Lectionum etiam mox initium fecit præsentibus omnibus Professoribus. Invenit Academiam illam, quam olim RAVENSPERGERI, GOMARI, ALTINGII, PASORES, MARESII, WIDMARII magno studiosorum numero locupletaverant ac inclytam effecerant, ferè vastam; sed brevi tempore post Adventum Ejus videt eam florentissimam. In Collegiis non modò Privatis sed & in Lectionibus Publicis plus quam octoginta Auditores habuit. In quorum gratiam pro vario eorum desiderio ac in Studiis progressu Collegia instituit Dogmatica, Elenctica,

Exe-

Exegetica, Practica, Alia. Anno Primo vix elapso augent Ill. & Potent. Gron. & Oml. Ordines honores Ejus & simul labores, Professionem Historiæ Ecclesiasticæ ipsi decernentes. Quam, Oratione Publicè habita de VETERUM & HODIERNORUM PAPISTICORUM ERRORUM CONVENIENTIA, mox excusa, aggressus est IX. Maji MDCLXXXIII. Tot laboribus obrutus voce operosa non modò docuit Juventutem sacram, sed & Scriptis evulgatis diligentiam exercuit suam, & indefatigabilem industriam comprobavit.

Hîc edidit, præter EXERCITATIONES JUVENILES, ANALYSIN in JES. LIII. Exegeticam, COMPENDIUM illud THEOLOGIÆ Consummatissimum, ex triplici Editione Latinè & Belgicè simul ab ipso translatum extans in amplissimos Ecclesiæ totius Usus; nec non COMMENTARIUM in APOCALYPSIN JOHANNIS, ab æquis rerum Divinarum æstimatoribus magnopere laudatum, & avidissime exceptum, iterum quoque excusum.

Turbata fuit interim tranquillitas Ejus, in gratissima hac alias Statione Groninganâ, & haud parum molestiæ ac doloris ipsi creatum fuit ex Litibus secum habitis, quas fugere quidem, juxta seria Vota sua in Oratione Inaugurali expressa, omni conatu voluit, sed effugere haud potuit. Illustres Groningæ & Omlandiæ Ordines Defunctum nostrum Primum ordine Theologum esse jusserant. Hoc vero ægre tulit admodum Clar. JOH. BRAUNIUS, qui novum Collegam ideo plane ab amicitia sua & consuetudine alienavit, parum ut videtur tunc cogitans

Rem hanc Ordinibus imputari debere non Defuncto, qui nihil de hoc ordinis primatu præsciverat, nihil affectaverat. Hæc tamen invidiosa Contentio si non unica saltem prima & præcipua Caussa fuit litium inter celebres hos Theologos Collegas ortarum. Quomodo autem se Defunctus in iis gesserit, & veritati ac charitati satisfacere studuerit, testatur Ejus NARRATIO APOLOGETICA una cum APPENDICE publicè quoque edita Groningæ.

Sed ad pacatiorem Sedem & simul altiorem Stationem Ipsum transferre decreverat Divina Providentia. Postquam per octennium ferè Cathedram Groninganam exornaverat & extulerat valde, ad Splendidissimam hanc Academiam Leidensem, sapientiæ veræ & charitatis synceræ Asylum ab Illustrissimis ejus Antistitibus, Loco Cl. STEPHANI MONACHII vocatus est honestissime, & Muneri Professorio inauguratus, 5. Decembris MDCLXXXIX. habita Oratione de DEBITA SACRARUM SCRIPTURARUM, (quarum secundum Leges hujus Academiæ Exegesin debuit suscipere) VENERATIONE, Quà ipse Eas, si quisquam alius per totam vitam suam, in omnibus Sermonibus & Scriptis suis prosecutus est.

Hîc invenit Magnum SPANHEMIUM Præceptorem quondam suum, qui paternum amorem erga seum habebat: Hîc ruit in amplexus fraternos amicissimi TRIGLANDII SUI, qui mox alteram Ministerii sui Ecclesiastici partem, per legitimam Vocationem in eum translatam, libentissimè Ei concessit, ut sic partitis operis hanc Vineam Christi Leidensem excolerent. Cui Muneri Ecclesiastico initiatus est IX. Julii Anni

ni MDCXC. Quemadmodum sic suavissimi olim Commilitonis in utroque Munere Conjunctissimus Collega est factus; sic etiam post obitum SPANHEMII dignissimum cesuerunt Eum Illustres Curatores, qui in incomparabilis illius Viri & Præceptoris quondam sui Locum sufficeretur; ad Professionem historiæ Ecclesiasticæ eum vocantes. Cui novo Muneri initiatus est IX. Jan. MDCCII. habita Oratione de CHRISTIANISMI PROPAGATI ADMIRANDIS.

In hac ergo celebratissima Academia & Ecclesia Leidensi reliquum Vitæ Publicæ annosæ spatium per unum & XL. annos transegit, magno cum utriusque fructu, & ingens utriusque Ornamentum & Fulcrum existens. Cujus sera Posteritas non recordabitur unquam nisi cum summæ felicitatis Civium Academiæ & Urbis Leidæ commemoratione ac celebratione.

Non opus est ut multis dicam Ego quomodo se hic gesserit Defunctus noster. Vos omnes enim Testes estis, quanta cum alacritate, industriâ, fidelitate utramque hanc sibi demandatam spartam exornaverit, & gravissimis hisce Muneribus suis perfunctus fuerit. Ad ultimam usque Vitæ senilis horam perseveravit in omnibus Academicis Exercitiis privatis, nec non in publicis Prælectionibus, quietem post tot annorum labores assiduos, ipsi quidem in summâ senectute convenientissimam, nunquam quæsivit, multò minus sibi propria auctoritate indecenter & audaciter sumsit. Nullo magis & sæpius unquam incaluit hæc Cathedra quam MARCKIO Disputatore, acutissimo, promptissimo, modera-

tiſſimo, nunquam non Auditores doctiores dimittente.

Et vix ullus Doctorum Virorum, qui hujus Lycei Lumina & Columina fuerunt, atque editis Scriptis ſuis gloriam immortalem ei conciliarunt, unquam fuit, qui prela impreſſoria magis ſudare facit, pluraque Scripta in lucem emiſit, quam Marckius noſter. Recenſui quæ in Statione priori utraque edidit. Verùm ſi enarrare vellem omnia quæ ab initio vitæ ſuæ Leidenſis, per ſingulos ferè annos ſucceſſivè uſque ad hunc diem cum Orbe Erudito communicavit, dies me deficeret; ſi vel Librorum titulos nominare, & multò magis, ſi Argumenta eorum atque ſelectas, præclaras, maximique momenti ac ſummæ utilitatis in iis pertractatas Materias tangere vellem. Pentateuchi Moſis, Cantici Salomonis, XII. Prophetarum Libros, Pſalmoſque Davidis Propheticos plurimos pleniſſimis Commentariis illuſtravit. Integra quoque ex reliquis Prophetis, Hagiographis, Euangeliis, Epiſtolis Paulinis & Catholicis Capita, & longe plura adhuc Loca notabiliora, quæ Veterum olim & Recentiorum Interpretum ingenia & induſtriam exercuerunt, expoſuit; ita planè, ut nec nimia brevitas obſcuritatem, nec nimia prolixitudo tædium & faſtidium pariat; & ita plenè, ut omnis ultra ſcrutandi aviditas expleatur, & poſt lectos Markii Commentarios fruſtra quæras apud Alios, quod hìc non inveneris. Ipſe Indicem Operum ſuorum uſque ad annum hujus ſeculi XXVIII. adjecit calci penultimi Libri ſui, Exaltationis Jesu Christi Historiam Illustratam

con-

continentis. Cui Ultimum tandem Opus Latinè conſcriptum anno elapſo xxx. acceſſit, Expectationem Gloriæ futuræ Jesu Christi, ex Propheticis Oraculis ad Chriſtianam fidem aſſerendam & impietatem oppoſitam profligandam, Illustratam exhibens. In cujus Gloriæ Capitis omniumque Membrorum ejus meditatione ſe magnopere oblectavit Pia Defuncti Anima, jam Cœlo propinqua, & fide certiorata, ſpe vivâ ac firmâ, & ardentiſſimo deſiderio jam præoccupans cœleſtis iſtius gloriæ Poſſeſſionem, ſibi cum omnibus Sanctis per Chriſtum acquiſitam ac repoſitam. Muneris quoque Eccleſiaſtici partes fideliter implevit. Nondum oblita eſt Eccleſia noſtra Leidenſis excultorum & elegantium Sermonum Ejus, quos Magna cum perſpicuitate ſuavitate & vi dicendi flexanimâ e ſuggeſtu toties habuit; & precum illarum fervidiſſimarum & efficaciſſimarum, quas ex corde Spiritus ſancti igne accenſo coram throno Divinæ Majeſtatis toties quoque effudit.

Et quamvis vox Ejus ſuaviſſima inde ab anno hujus ſeculi xii. non amplius e ſuggeſtu Eccleſiaſtico audita fuerit; vitæ tamen verè piæ & Divino cultui devotæ exemplum gregi ſuo præbuit, atque ſimul omnes Miniſterii ſancti reliquas functiones, quæ ad curam & Regimen Eccleſiæ ſpectant, fideliter præſtitit. In Synedriis & Claſſicalibus Conventibus aſſiduus, & a multo tempore Primus, ſapientiſſimis conſiliis ſuis Symmyſtas ſuos in rebus agendis plurimum adjuvit; Legum etiam & Conſuetudinum Claſſicalium Collectione, Conſcriptione atque in

communem usum impressione procuratâ. Quibus absque Eo careret fortè hodie, cum haud levi boni ordinis observandi detrimento, veneranda Classis Leidensis. Prætereo nunc dignitates alias; tum Academicas Rectoris Magnifici, & Actuarii Senatus, quo utroque Munere bis perfunctus fuit; tum Ecclesiasticas quas sustinuit: in quibus summam rerum Academicarum & Ecclesiasticarum peritiam non modò probavit, sed & data occasione Academiæ & Ecclesiæ utilitatibus plurimum prospexit.

Sic brevem dedimus Historiam longæ ac præclaræ vitæ Defuncti publicæ, nunc breviorem vitæ privatæ daturi. Vidimus Eum in Cathedra Academica sacros juvenes formantem feliciter in Viros Dei, & in suggestu Ecclesiastico plebem Christianam fideliter ædificantem in fide & charitate. Nunc videamus Eum in propriis ædibus, thalamisque suis domum quoque sibi constituentem.

Initio Anni LXXVII. superioris seculi dilectissima Defuncti Avia, jam octogenaria ac dierum satura obiit. Qui Casus fecit, ut de Conjuge lateri suo jungenda serò magis cogitaverit, atque in vitæ & tori sociam petierit honeste & feliciter acceperit Virginem, genere, virtute, & venustate corporis conspicuam, HELENAM BUKHOLT, filiam JOHANNIS BUKHOLT, J.U.D. & apud Embdanos; ut ex familiâ Præcipua & Consulari orti, Paterni Maternique generis respectu; ita & variis Dignitatibus honorificis Defuncti, ulterius etiam sine dubio, nisi mors prævenisset, promovendi. Venerat Illa in Frisiam per secunda Matris HELENÆ a LONINGA Vota, quibus

bus hæc, dignissimis etiam & honestissimis apud Embdanos Parentibus oriunda, fidem Conjugalem addixerat D. HENRICO SCHOTANO A STERRINGA, Celebris Lugdunensis Juris Consulti Filio, ad varias Dignitates in Frisia promoto.

Conjugium ex voto fuit consummatum solenniter in Templo Franekerano, copulante Conjuges & benedicente Celeb. Triglandio, ad diem XXIII. Septemb. Anni MDCLXXVII. Fides intemerata, Amor mutuus castus & sincerus, & Concordia summa Conjugii hujus Vincula fuerunt. Quo stante sex Liberorum parens ex Uxore dilectissima factus est Defunctus. Dumseptima proles mascula, in Utero Matris exstincta, Matri, etsi fœtu liberatæ, post corporis angores & cruciatus stupendos, mortem, & Patri, ex acerbissima hac morte fidissimæ Uxoris, quæ affectu verè conjugali Maritum ad finem usque complexa erat, ingentem tristitiam conciliavit, XXX. Maji Anni MDCLXXXVI. Ex sex illis natis ipsi Liberis sola superest HELENA BARBARA, nata VI. Junii MDCLXXXV, & sacrâ genitali unda manu Patris aspersa, nunc nupta amplissimo Viro ac D. CORNELIO VAN DORP, D. PETRI VAN DORP, plus semel Leidensi Consulatu, aliisque Reipublicæ Muneribus perfuncti Filio, Juris consulto Senatori & Judici hujus Civitatis Gravissimo. Cum quo per novem annos vixit in Conjugio exoptatissimo, ex voto nostro per longe plures victura Uxor fidissima, in Virum & Familiam studiosissima, propter raram animi morumque dulcedinem mariti amore & omnium laude dignissima.

Post

Post justum tempus justissimo dolori datum & luctui, ad secundas Nuptias transiit Defunctus, & altera Conjuge ducta pensavit vidui tristia damna tori.

Nomen hujus est CATHARINA URSINUS, Naturæ, Fortunæ, & Gratiæ inprimis Divinæ dotibus eminentissima Matrona, dulcissima & fidissima conjux, nunc mœstissima vidua: cujus modestia & pietas non patiuntur ut pluribus verbis, laudes Ejus, in ipsa senectute florentis & corporis forma & animi excelsi egregiis donis, enarrem.

Pater ejus fuit JOHANNES URSINUS, JOHANNIS Pastoris Enchusani Filius, JOHANNIS Pastoris Medenblicensis Nepos; Ipse verò, dum viveret, inde ab Anno 29. ætatis suæ verbi divini Minister Rotterodamensis dignissimus, quem ob doctrinam, pietatem, facundiam, gravitatem, prudentiam, candorem, non modò æstimavit Auriacus Princeps, Rex postea Magnæ Britanniæ, cui anno superioris seculi LXXVI. & LXXVII. in castris fuit a sacris, sed & venerata est ac tenerrimè dilexit Rotterodamensis Ecclesia, ac amarissimis lacrymis deflevit ejus præmaturum obitum, qui contigit in initio anni MDCLXXXVIII.

Mater Ejus fuit FREDERICA TIMMAN Enchusana quoque, ex consulari familia ibi orta. Sororem habuit PERTONELLAM URSINUM omni nostra laude quoque majorem, per multos annos conjugem viri Amplissimi CORNELII VAN DEN BERG, sæpius Judicum Rotterodamensium Præsidis, qui hodie Octogenarius superstes anhelat Civitatem illam cælestem quæ sola fundamenta habet æterna.

Hæc

Hæc altera Conjux novem liberos Defuncto successive peperit. Ex quibus duo tantum sunt reliqui. Quinque filias in infantili ætate festinata mors rapuit. Duo filii etiam sine prole discesserunt. JOHANNES YSBRANDUS optimæ indolis Juvenis ante ætatis annum 17. fatis cessit. Primogenitus verò JOHANNES FREDERICUS, Juris Consultus, connubio optato sed haud stabili junctus Eximiæ Virgini MARIÆ VIS, ex VISSIANA Enchusanorum familia Consulari, postquam varia munia obiisset, ac Civitatis Enchusanæ tribunal conscendisset, in medio ætatis flore, Patriæ, Urbi, Parentibus, Uxori ereptus est, anno ætatis XXXI. vix expleto.

Divina autem gratià supersunt adhuc duo, unus modo Filius, & una Filia. Filius est JOHANNES WILHELMUS, natus 3. Decemb. MDCXCI. Paternæ virtutis imago, in quo doctrina solida, modestia laudabilis & prudentia singularis de palmâ certare videntur: qui Ecclesiis binis in Frisia occidentali & Hollandia boreali, Berkhoutianæ & Assendelfensi per breve tempus, doctrina sana & vitâ sancta præluxit; abhinc verò novennio Ecclesiæ GOUDANÆ Minister fuit fidelissimus & æstimatissimus, nuper quoque ex voto parentium matrimonio junctus selectissimæ & præstantissimæ Virgini DIDERICÆ HOOGWERF. Ex quo matrimonio, prole inprimis masculâ fœcundo, ut vivat MARCKII nomen in seris nepotibus ex animo optamus.

Filia vero est FREDERICA MARGARITA plurimis quoque & egregiis virtutibus, animique & corporis dotibus ornata, quæ ante paucos annos ivit in conjugales amplexus Spectabilis Viri D. NICOLAI PLEM-

 PER,

PER, JCTI, cujus majores ab antiquis temporibus inter bene natos Rhenolandiæ nomen habuere suum; cujusque domum illa jam duobus filiis JOHANNE & CORNELIO beatam reddidit.

Ex hac vitæ Ejus publicæ & privatæ Historia facile colligitis A. MARCKIUM Eruditis Præcocibus adnumerari debere, sed illis, qui ad frugem venerunt, & non obstantibus continuatis imo auctis laboribus ætatem suam ad extremam metam produxerunt; secus ac in præcocibus fructibus observamus vulgo, quibus serotini solent esse durabiliores.

In prima Adolescentia Discipulus in Academiis omnibus admirationi fuit, omnesque superavit, imo & semet ipsum annorum suorum respectu; uti uno ore Franekerani pariter & Leidenses Professores de ipso testati sunt. Clar. ANTONIUS HULSIUS fatetur se *in admirationem fuisse abreptum, videre Juvenem, qui ad aperturam librorum, textus Hebræos, Græcos, Chaldaicos, Syriacos, in Linguam Latinam, ex tempore & promtissime quidem, novisset transfundere. Imo quod magis est, qui eadem promptitudine in Græcismo formationes Temporum, rationes accentuum, in Hebraismo mutationes Punctorum vocalium, in Chaldaismo & Syriasmo dialectorum discrepantias, earumque deflexiones & anomalias, tum a se invicem tum a matre lingua Hebræa, indicare didicisset, idque tanta cum* ἀκριβείᾳ, *ac si isti studiorum generi fuisset innutritus. Et tamen, quod magis mirum,* αὐτοδίδακτος. *Usque adeo*, hoc addit HULSIUS, *ut ex quo sacras linguas vel ipse discere vel alios docere occœpi, me in huic Juve-*

Juveni similem non incidisse, ne quidem judæis exceptis, affirmare ausim.

In ipsis Muneris sui auspiciis tam luculenta diffusæ eruditionis dedit indicia, ut longe supra ætatem esse viderentur quæ dicebat, scribebat, faciebat. Audite judiciosissimum TRIGLANDIUM ad Effigiem Ejus, ante quinquaginta annos & ultra, ita canentem, verum vatem

Æmula Timantis veli quam cernis imago
Ora refert MarkI, sed meliora tegit.
Divinum ingenium, studii miracla, Docentis
Suadam vix orbis, nulla tabella capit.
Ista dabant quatuor peragentem lustra, Lycei
Illustres inter nomen habere viros.
Scilicet haud numerat natales Gratia; quod si
Ver hoc, quam messis prodigiosa manet!

Audite quoque Candidissimum WITSIUM, de VITA TIMOTHEI, MARCKIUM iis adnumerantem viris magnis, qui non ab annis, sed a sapientia prudentia & gravitate censendi sunt. *Nisi*, inquit, *Vivorum parcendum esset modestiæ, possem & Ego memorare aliquem, qui eadem non modo qua* SADEEL *ætate, sed & minori, anno ætatis* XIX. *Philosophiæ ac Theologiæ Doctor multa cum laude renunciatus, mox anno* XX. *Theologicæ Cathedræ in celebri Academia admotus, dignitatem Professoriam omnibus suis numeris ita tuitus est, ut Juvenes prudentia & gravitate anteiret, Senibus & qui artis nostræ Veteres erant, ingenii promptitudine ac solertia, judicii soliditate* atque *acrimonia, multarumque tam Linguarum quam rerum diffusa eruditione par*

 esset,

esset, omnibus denique admirationi. Quæ eo a me referuntur, inquit, *ut & Dei in sublimibus ejusmodi ingeniis liberam liberalitatem grati prædicemus, & nostri temporis Juventutem excitemus ad æmulationem.*

Fuit præterea Theologus Verus, Modestus, Pacificus, Pius, Consummatus. Theologus fuit qui ex Deo ejusque verbo semper locutus fuit. Non fuit servus hominum. Placuit ipsi aurea prophetandi libertas illa, quæ procul habeat & turpem servitutem & profligatam licentiam. Liberè dissensum testatus est suum ab iis Viris Doctissimis qui vulgares Expositiones recipiunt, sed & Recentioris Nominis veneratio nunquam tanta fuit ei, ut non modestè quoque notaverit sæpius, quæ displicebant. Non poterat tacere in Commentariis suis de Maximi Theologi glossis, ne videretur eas vel ignorare vel superbè contemnere. Aliarum sententiarum Collationem ad veri sensus indagationem utilissimam meritò statuit. In rebus dubiis determinandi temeritatem fugiens, affirmandi arrogantiam prudenter quandoque vitavit. Si quisquam alius æstimabat Ille rationis lumen ut ingens Dei Donum, sed ejus conclusiones, & ratiocinationes suas nunquam habuit pro cælestibus oraculis; ita alienus ab omni servitute dictorum humanorum, ut omnibus diffideret hominibus, & sibi quoque, soli Deo & infallibili Ejus Verbo fidem adhibens, omnemque Cogitationem suam captivam ducens in obedientiam Christi; probe sciens, quod nostra corruptio se facile misceat ratiociniis nostris, & inimica contra Christi

sti mysteria cogitata omnibus inspiret. Quare nunquam ferre poterat Philosophiam vocari Scripturæ Interpretem, per quam Prophetiæ in humanæ imaginationis ludibria convertuntur, Miracula operibus Naturæ solitis adscribuntur, Mysteria fidei negantur, literalis denique Scripturæ sensus, ut Deo indignus, ad imitationem Origenis, periculosè spernitur. Hoc præterea valde ipsi doluit, verè Pacifico Theologo, Pacis Regnum ita perpetuis, & internis quoque motibus concuti: & ægre semper tulit diram dominandi in Conscientiam hominum libidinem eorum, qui scalam sibi ponere videntur, qua soli in cælum adscendant, & intolerando fastu ac temeritate damnabili ad se trahere, quod solius Dei est, nempe infallibiliter discernere inter Regenitum & Irregenitum. Quos hoc pacto schismatum periculosorum fundamenta ponere, semper autumavit. Nunquam rixarum Auctor fuit, sed lacessitus nunquam etiam Caussam Dei & suam deseruit. Molestias & injurias ab iracundis turbulentis & contentiosis ingeniis illatas, ferre maluit quam inferre, aut ulcisci; animosè spernens contumelias in opere bono laborans & cum bona conscientia.

Credidit ipse quæ aliis credenda ex Verbo Dei suadebat. Uti Eruditus fuit absque vana ostentatione, ita & Pius fuit absque hypocrisi. Plus suas infirmitates sensit & cum dolore serio fassus est, coram Deo & hominibus, quam aliorum. Ita doluit deformem Tzijonis statum hodiernum, ut ab altera parte statum Belgicæ Ecclesiæ amœnum, per Dei gratiam in aliquibus saltem conspicuum, ad gloriam

Dei agnoverit & celebraverit. Testem cito Ultimum ejus Scriptum Belgicum de vera Forma Ecclesiæ et justo Ejus Regimine, ad institutionem & Correctionem compositum, nunquam satis laudandum; quod instar Testamenti sui Ecclesiæ reliquit; & in quo Fidei Ejus immotæ in Christum, Pietatis in Deum, Charitatis in fratres, Prudentiæ Christianæ, studii Pacis, & Ordinis boni in Ecclesiæ servandi, tot indicia comparent quot verba. Quodque omnibus Ministris Euangelii seriò commendamus, ut in Timore Domini secundum illas in isto scripto datas regulas, in Verbo Dei fundatas se componant, si velint ad suam & multorum salutem in Ecclesiâ Dei fideliter & feliciter versari.

Frustra nunc expectabitis A. me post hæc omnia vel verbum amplius esse additurum de ingenio, judicio, memoria Ejus, quæ vere prodigiosa fuit, reliquisque animi donis, quæ ad finem usque omnium admirationem excitarunt. Loquantur ejus Scripta Senilia, quæ Septuagenarius & Vegetus, ac deinceps adhuc edidit elaboratissima & consummatissima profectò, in quibus invenies Juvenilem ardorem, alacritatem, ac vim mentis omnia penetrantis incredibilem. Quæ nuper etiam ab exteris Auctoribus in Germaniâ observata & meritis encomiis laudata sunt.

Mores ejus erant ad prisci seculi simplicitatem compositi. Consortium ejus erat jucundissimum, omnibus gratum, & nemo facile illo in communi convictu inveniri potest suavior, procul habito vaniloquio & turpiloquio omni. Candorem spirabant omnia

omnia ejus dicta & facta, pari cum prudentia civili conjunctum, & verè se juxta symbolum, quod sibi sumserat, multorumque Albis inscripsit, composuit. Quod erat hoc Euangelicum Domini nostri dictum, *Estote prudentes ut Serpentes, & simplices ut Columbæ.*

Statura ipsi corporis erat justa. In Vultu modesta quædam gravitas cum comitate & sermonis affabilitate juncta apparebat. In oculis vigor & mentis acies resplendescebant. Cultus corporis nec comtus nec sordidus erat. Structura corporis valida, robusta & adversus aeris injurias obfirmata, etiam in ipso senio, unde spes affulgebat ipsum per multos adhuc annos vitam protracturum. Sed venerat letalis dies & hora, a summo Numine determinata, fixusque vitæ terminus quem nemo transgreditur. Die 18. præcedentis mensis, in lecto decumbens, summo mane, & inter amplexus charissimæ uxoris evigilatæ, multorum eruditorum morbo corripitur; qui mox sensuum hebetudinem induxit, usumque Linguæ abstulit, postea non nisi ad brevissima momenta quædam restitutum; & quo adversus omnia remedia ingravescente, nec Deo nobis in precibus repetitis occurrente, die xxx. Januarii, placide in Domino obdormivit, has terras mortalium sedes reliquit, in cælestem patriam & Paradisum introiit, & feliciter expertus est, quid sit mori, dissolvi & esse cum Christo, & in consortio Spirituum Justorum Consummatorum in cælesti Hierosolyma.

Historiam funesti morbi accuratissimè descripsit Inclytus hujus Civitatis Medicus Dr. Wilh. Mylius hisce

hisce Verbis. Anno 1727. quo Febres omnis generis continuæ & intermittentes autumnales hìc Leidæ grassabantur, Vir doctrina & meritis Clarissimus Joh. à Marck, anno ætatis suæ 72. pariter cum omni populo circa finem mensis Octobris tentabatur duplici tertiana continua, ingravescente quotidie cum sensuum hebetudine & memoriæ & virium imbecillitate, quæ magno Viro minabantur interitum. Aliter vero placuit Deo T.O.M. nam intra dies decem vitæ periculum depulsum, morbi vis fracta & continua febris mutata est intermittentem, quam convenientibus medicamentis & exquisita diæta intra mensis spatium superavit, remanente vertigine tenebricosa, quæ primo vere evanuit: dehinc sanus & hilaris vixit ac se suasque animi excellentes dotes consueto literario labori dedit, ac meditando, scribendo, corrigendo horas subsecivas plus debito impendit, quibus mentem fatigavit atque animi vires debilitare non destitit, oblitus monitionum Medici sui: ne nimium cogitationibus subtilioribus mentem labefactare velit. Agebat nihilominus indefessus per subsequentium annorum decursum, in quo plus solito interdum vigilans, interdum cibi inappetens sæpissime de vertigine questus est non continua sed interpolata, adeo ut multas hebdomadas bene valuerit & sanitate satis laudabili usus sit. Tandem initio hujus anni 1731. morbus vertiginosus invaluit, contra quem medicamen quidem rogavit, sed non vel vix assumsit, senectuti adscribens cerebri infirmitatem. 17°. Januarii quietus animo nec corpore delassatus

lectum

lectum petiit, mediam post noctem insomniis turbulentis expergefactus est, ac uxori amantissimæ injucundas menti repræsentatas ideas significavit: nec mora longa, incidit mox in somnum gravem cum respiratione sibilosa ac stertore, ex quo Virum Cl. non nisi difficulter potuit suscitare fidissima Conjux, mariti humeris horsum vorsum motis, Viro Cl. iterum relabente in somnum profundissimum. Rei periculo perculsa Domina me Medicum accersi jussit hora matutina sexta, 18°. Januarii; inveni Cl. Virum profunde dormientem, excitavi motu quatiente; oculos aperuit, mutus ad interrogata non respondit & mox altè dormivit; facies erat pallida, respiratio difficilis cum stertore & sibilo, pulsus parvus ac debilis; deprehendi Cl. Virum laborare Cataphora seu Comate somnolento, habentem nunc annos 75, motus sanguinis & animi vis unà dormire videbantur; quare stimulis arte medica sæpe probatis excitare Cl. Virum adnixus fui, clysteribus nempe acrioribus, vesicantibus & epispasticis, frictionibus, atque spirituosorum & confortantium usu interno & externo. Hisce intra dies quatuor coma somnolentum mutabatur in vigil, & spes restituendæ sanitatis si non integræ saltem particularis affulsit. Mentis sanæ indicia adstantibus monstravit, nutu enim, tactu & visus hilaritate, atque paucis verbis animi vigorem exprimere conatus est. 6°. & 7°. a morbi invasione die, febris accessit, quæ talibus morbidis solet esse proficua, nostro verò ægroto nunc Lethargico hemiplegiam apportavit. Membra quæ huc usque moverat Vir Cl. a dextris delas-

ſata & abſque motu proprio a me elevata ceciderunt, nec illa tollere aut movere potuit, pulſus per totum morbi decurſum parvus, debilis & vigente febre celerior, contractus & inæqualis morbi periculum ſignificavit comite faſtidio cibi & potus. 8°. die apparuerunt Aphthæ albæ, fauces, palatum, labia, totum os internum occupantes, quouſque, decreſcentibus viribus, motu, voce, appetitu omnis cibi & potus, anxietates & totius machinæ debilitas vitæ periculum auxerunt, & Vir Cl. bene agendo defeſſam vitam cum morte mutavit 30°. Januarii, irritis adhibitis ſelectioribus omnibus, quæ ars medica, fida dexteritas, longa experientia aliis & ſimilibus ægrotantibus multoties proficua exporrigere inſueverunt. Hactenus Doct. Mylius.

Ita Natus eſt, ita Vixit, ita Mortuus eſt Magnus Theologus Johannes Marckius! Non invidemus tibi, Beatiſſima Anima, fortunatas cœleſtium ſedes, jucundiſſimam & ſanctiſſimam Quietem ab omni opere tuo moleſto, Intuitum eorum coram lætiſſimum quæ nos credimus & ſperamus. Abſolveras opus tuum, certamen certaveras, curſum finiveras, coronam nunc accepiſti, Tibi toti etiam in corpore glorioſè reſuſcitato imponendam in die illo.

Non Te deflemus, Beate Marcki, millies nobis feliciorem, sed Viduam dulci vitæ ſolamine orbatam, Liberos parente optimo deſtitutos, Academiam & Eccleſiam utiliſſimo & incomparabili Doctore privatam utramque. O Damnum irreparabile! O nos infelices, quibus datum non fuit Ei abituro a nobis ad Cæleſtem patriam pro tot acceptis beneficiis,

eiis, & operis pro Ecclesia præstitis, adhuc semel debitas gratias agere! vel unum verbum consolationis ac benedictionis paternæ, ex ore moribundi Patris verè aureo audire!

Sed quorsum me abripiunt affectus mei! Diu satis locutus erat; & loquetur in Scriptis relictis, quamdiu veritas & pietas in Belgio remanebunt superstites. Agamus potius gratias benignissimo Numini, qui tam diu ingens illud Lumen terris nostris concessit, omnium Professorum totius Belgii jam a multis annis, & Pastorum, excepto fortè uno vel altero nunc emerito, antiquissimum. Temperemus quoque doloribus & gemitibus nostris. Reliquit Viduam mœstissimam, sed verè Christianam, fide & spe animam erigentem, & in Connubio suo Spirituali stabili cum Christo sponso omnem spem & unicam consolationem suam collocantem, ac æternas cum Agno nuptias jugiter & fervide meditantem, desiderantem, expectantem. Reliquit Liberos, sed adultos omnes, Politicis & Ecclesiasticis Muneribus spectabiles, venerabiles, opibus florentes, pietate insignes, Civitatis & Ecclesiæ decoramenta.

Reliquit Academiam & Ecclesiam, sed & simul post se non Unum Elisam, Filios Prophetarum, & quidem in Academia Viros magnos, insignes Theologos FABRITIUM & HONERTIUM, cum quibus socias dextras jungam Ego ad studia juventutis sacræ promovenda, quamdiu spiro & spero.

Ite igitur A. & Miramini MARCKIUM, quem præsens ætas mirata fuit, & secutura stupescet, Excel-

lentiſſimis quos Friſia unquam protulit Viris, & quibus Belgium totum gloriari poteſt, jure merito adnumerandum.

Ite A. & Imitamini MARCKIUM, ejuſque Virtutes ſupra laudatas omnes, & inprimis ejus in opere Domini indefatigabilem induſtriam, prudentiam & candorem in converſatione civili, pietatem denique infucatam, & zelum ardentiſſimum pro gloria Dei Triunius.

Ite tandem A. & Veneramini mecum Deum calidiſſimis votis, ut det Vobis & Nobis MARCKIOS plures.

D I X I.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

ALTER VOCUM QUARUNDAM AC RERUM PRÆCIPUARUM.

C.

G.

N.

N.

O.

P.

R.

Remane

re, non *Obedientiâ*, sed *solâ Fide.* 272
Unum a Davide expetitum quid sit. 162. 168. 173, 174
Votum Mosis *Num.* xi. 29. an Propheticum. 106, 107
—— non repugnat prærogativis Fidelium N. T. 105, 106
—— fuit hypotheticum & invitatorium ad officium, 107
Vulgaria præjudicia ineptè pro *Ecclesiæ* sententia venditantur a Cremero. 604, 605
Uxor Christi tota Ecclesia, & simul singuli Fideles. 259, 260. 280. 287

W.

Witbby (Dan.) notatus. 82

Z.

Zeli boni in Caussa Religionis *defectus* hodie, hujusque *Caussæ* notantur. 111
Zelotarum Jus fuit abusus zeli. 99
Zelus bonus, qualis. 99, 100
—— *malus.* *ibid.*

F I N I S.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Errata sic corrigenda.

Pag. 3.	lin. 9	leg. *Num.* XXVI 5. 9.
P. 7.	lin. 21	leg. 1. *Reg.* III. 5. IX. 2.
P. 11.	lin. 13	leg. *Jos.* XXIII 13.
P. 19.	lin. 25	leg. *per annum unum & alterum*
P. 28.	lin. 11	leg. *illatas*
P. 31.	lin. 9	leg. in *admirationem*
P. 182.	lin. 24	leg. *similitudinis*
P. 231.	lin. 7	leg. *indicativi*
P. 245.	lin. 4	leg. *Psalm.* CV. 15.
P. 250.	lin. 4	leg. *Exaltatio* Messiæ
P. 275.	lin. 15	*ad*, lege *ac Latinum*
P. 548.	lin. 14	leg. *Eccles.* XII. 13.

Digitized by Google